






Harvard College
Library
VE RI TAS
FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

119

MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM

PLURIMIS GALLIÆ DIŒCESIBUS

EX CONCESSIONE APOSTOLICA

CELEBRANDÆ

QUÆ

IN MISSALIBUS ROMANIS RATISBONÆ EDITIS

DESIDERANTUR

UNACUM ORATIONIBUS IN MISSA PRÆSANCTIFICATORUM
FERIÆ VI. IN PARASCEVE CANTANDIS.



RATISBONÆ, 1879.
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
SANCTÆ SEDIS APOST. ET SACR. RIT. CONGR. TYPOGRAPHI.

SUPPLEMENTUM
AD
MISSAS PROPRIAS
PLURIMIS GALLIÆ DIŒCESIBUS
CONCESSAS.



Die 29. Novembris.

S. Saturnini, Episc. et Mart.

Introitus.



ANnuntiáte inter gentes, quóniam omnes dii géntium dæmónia: Dóminus autem cœlos fecit. Ps. Cantáte Dómino cánticum novum, cantáte Dómino, omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáti Saturníni Mártyris tui atque Pontíficis prædicatióne, de incredulitátis ténebris nos vocásti in admirábile Evangélii lumen; fac ut, ejus intercessióne, crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit.

Commemor. Vigiliæ, et S. Saturnini, Martyris.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

1. Thess. 2.

Fratres: Fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo: sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est; nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli: sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis. Mémores enim estis, fratres, labóris nostri et fatigatiónis: nocte ac die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis et Deus, quam sancte, et juste, et sine queréla, vobis qui credidístis, fúimus: sicut scitis, quáliter unumquémque vestrum, sicut pater fílios suos, deprecántes vos et consolántes, testificáti sumus ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum et glóriam.

Ideo et nos grátias ágimus Deo sine intermissióne; quóniam cum accepissétis a nobis verbum audítus Dei, accepístis illud, non ut verbum hóminum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operátur in vobis, qui credidístis.

Graduale. Audíte, fílii, disciplínam patris, et atténdite ut sciátis prudéntiam. Donum bonum tríbuam vobis; legem meam ne derelinquátis. ℣. In Christo Jesu per Evangélium ego vos génui: rogo ergo vos, imitatóres mei estóte, sicut et ego Christi.

Allelúja, allelúja.

℣. Deo grátias qui semper triúmphat nos in Christo Jesu, et odórem notítiæ suæ maniféstat per nos in omni loco. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient; linguis loquéntur novis; serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent et bene habébunt.

Offertorium. Grátia data est mihi a Deo, ut sim miníster Christi Jesu in géntibus: sanctíficans Evangélium Dei, ut fiat oblátio géntium accépta et sanctificáta in Spíritu sancto.

Secreta.

Offerendórum tibi múnerum, Deus, auctor et dator, adaúge in nobis eam, quæ tibi acceptábile sacrifícium est, bonórum invisibílium fidem; ut quæ beátum Saturnínum evéxit ad glóriam passiónis, éadem nos perdúcat ad plenitúdinem sanctitátis.

Communio. Non cessámus pro vobis orántes, et postulántes ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, ut ambulétis digne Deo per ómnia placéntes, in omni ópere bono fructificántes.

Postcommunio.

Réspice, Dómine, famíliam tuam, quam beátus Saturnínus génuit verbo veritátis, et Christi carnis áluit sacraménto: et quos grátia tua fecit illíus ministério fidéles, fáciat ejúsdem précibus in caritáte fervéntes. Per eúmdem Dóminum.

Evangelium ultimum Vigiliæ.

Alibi Missa. Státuit. de Communi Mart. Pont. 1. loco cum Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui per beátum Saturnínum Mártyrem tuum atque Pontíficem, infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti: da nobis ejus intercessióne; in fide stábiles, et in spe Evangélii quod prædicávit immóbiles permanére. Per Dóminum.

Secreta et Postcom̃unio ut supra in Missa præcedenti.

Die 1. Decembris.

S. Eligii, Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. præter Orationem sequ.

Oratio.

Indulgéntiam nobis, Dómine, quǽsumus, sancti Elígii, Confessóris tui atque Pontíficis póstulet tibi grata precátio: ut intercéssio illíus et tuam nobis non désinat placáre

justítiam, et nostram tibi devótam effícere servitútem. Per Dóminum.

Die 17. Decembris.

Solemnis Comm. susceptæ partis

Capitis S. Joannis Bapt.

quæ præfert venerandam ejus faciem.

Missa ut in festo Decollationis S. Joannis Bapt. die 29. Augusti præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beáti Præcursóris Fílii tui sacra pígnora pópulis tuis reveláre dignátus es: concéde propítius; ut tanti Præcónis hortaménta sectántes, ad eum, quem prædíxit et monstrávit, felíciter accedámus. Per Dóminum. Commem. Feriæ.

Secreta.

Súscipe, Dómine, preces et múnera: quæ, ut tuo digna sint conspéctu, sancti Joánnis Baptístæ, cujus relíquias hodiérna die suscépimus, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, qui Ambianénsem ecclésiam pretiósa sancti Joánnis Baptístæ fácie decorásti: repléti munéribus sacris te súpplices deprecámur; ut grátia tua contra ómnia mundi scándala nos róboret, quæ fáciem sacram sancti Præcursóris petram duríssimam contra prævaricántes pósuit. Per Dóminum.

Eadem Die

S. Lazari Resuscitati, Ep. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. præter Ev. et Comun. Et fit commemoratio Feriæ.

Evang. Erat quidam. de Feria vi. post Dominicam iv. Quadrages.

Communio. Joann. 11. Videns Dóminus flentes soróres Lázari ad monuméntum, lacrymátus est coram Judǽis, et exclamávit: Lázare, veni foras. Et pródiit ligátis mánibus et pédibus, qui fúerat quatriduánus mórtuus.

Die 3. Januarii.

S. Genovefæ, Virginis.

Introitus.



Venerémur omnes in Dómino voce, corde, nisu toto sanctitátem Genovéfæ Vírginis, de cujus commemoratióne cum Angelis gaudent pópuli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Beátæ Genovéfæ, Vírginis tuæ, Dómine Deus, gloriósis méritis adjuvémur: ut ejus sacro intervéntu, córporis et ánimæ sanitáte gaudéntes, grátia tua cooperánte salvémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 10. d. et 11.

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me: æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.


Graduale. O pia sponsa Dei, mœstis auróra diéi, Virgo Francígena, o Virgo, dulcédine plena, ad te clamántes audi, nec sperne rogántes. ℣. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúja, allelúja.
℣. Genovéfa virgo clemens, te precántes ádspice, tolle pondus culpæ, preméntes hostes et clades ábige, ægrum corpus et cor gemens salúbriter réfice. Allelúja.

Temp. Pasch., omisso Graduali, ad ℣. præc. additur ℣. Ora pro nobis míseris, sancta Virgo Genovéfa: quæ nunc in cœlis gaudes miráculis innúmeris, fulgens virtúte supérna. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam, quia concupívit rex spéciem tuam.
℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo.
℣. Adducéntur regi vírgines post eam; próximæ ejus afferéntur tibi.
℣. Afferéntur in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum regis.


Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Prótege nos, quǽsumus, Dómine, per mérita sanctæ Genovéfæ, ab ómnibus malórum angústiis; ut majestáti tuæ serviámus assídue, tandémque nobis te vidéndum et fruéndum dare velis.

Secreta.

Interveniénte pro nobis beáta Vírgine Genovéfa, cleméntiam tuam depóscimus, omnípotens ætérne Deus: ut salútem animárum nostrárum páriter et córporum hæc hóstia sacrosáncta efficáciter operétur. Per Dóminum.

Communio. O Genovéfa, réspice nos pietátis óculo, consors lúcis angélicæ, cœlésti clara título, regis assístens vúltui, nos regi reconcília; da nobis sponso pérfrui, sponsa sponsíque fília.

Postcommunio.

Cœlésti pane refécti humíliter deprecámur cleméntiam tuam, Dómine Jesu Christe; ut per preces et mérita beátæ Genovéfæ, Vírginis tuæ, véniam delictórum, sospitátem córporum, gratiámque et glóriam ætérnam consequámur animárum: Qui vivis et regnas.

℟ Alibi autem dicitur sequ. Missa propria.

Introitus.


Gaudens gaudébo in Dómino, quia índuit me vestiméntis salútis, et induménto justítiæ circúmdedit me quasi sponsam ornátam monílibus suis. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ, quo beátam ancíllam tuam Genovéfam implevísti: ut sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide et ópere placeámus. Per Dñm.

Epistola. Fratres: Qui gloriátur. ut in Missa præced.

Graduale. Sponsábo te mihi in sempitérnum in justítia, et judício, et in miseratiónibus. ℣. Et sponsábo te mihi in fide, et scies quia ego Dóminus.

Allelúja, allelúja. ℣. Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. Allelúja.

Evangelium. Símile erit regnum cœlórum. ut in Missa præced.

Offertorium. O Genovéfa, réspice nos pietátis óculo; consors lucis angélicæ, regis assístens vúltui, nos Deo reconcília.

Secreta.

Offeréntibus tibi, Dómine, preces et múnera in honóre sanctæ Vírginis tuæ Genovéfæ: da nobis ejus exémplo perseveráre in innocéntia vitæ, in humilitáte pœniténtiæ, in mansuetúdine patiéntiæ. Per Dóminum nostrum.

Communio. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúja.

Postcommunio.

Prosint nobis, quæsumus Dómine, ad salútem mentis et córporis sacraménta quæ súmpsimus: ut sicut in beáta Vírgine Genovéfa te mirábilem prædicámus; sic per ipsíus suffrágia tuæ sumámus beneficéntiæ largitátem. Per Dñm.

℟ Alibi dicitur Missa. Dilexísti. de Communi cum Orationibus ut in præc. Missa. Gaudens gaudébo.

℟ Vel eadem Missa. Dilexísti. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Beátæ Genovéfæ natalítia veneránda Ecclésia tua, Dómine, devóte suscípiat: ut, dum glorificatiónis ejus gaúdia experítur, tantæ fídei profíciat exémplo. Per Dñm.

Die 4. Februarii.

B. Joannæ Valesiæ, Viduæ.

Introitus. Ps. 30.


Exsultábo et lætábor in misericórdia tua, Dómine, quóniam respexísti humilitátem meam: salvásti de necessitátibus ánimam tuam. Ps. ib. In te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui ad imitándum beátæ Vírginis Fílii tui genitrícis virtútes, novum per beátam Joáñam sacrárum vírginum cœtum institúi voluísti: ejus méritis, precibúsque concéde; ut per éadem gradiámur virtútum exémpla. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prov. 31. b.

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Ps. 118. Adhǽsi testimóniis tuis, Dómine: in corde meo abscóndi elóquia tua. ℣. Bonum mihi lex oris tui, super míllia auri et argénti.

Allelúja, allelúja. ℣. Judic. 5. Audíte reges, et aúribus percípite príncipes: ego sum quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israël. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 118. Exspectábam salutáre tuum, Dómine, et mandáta tua diléxi. ℣. Custodívit ánima mea testimónia tua: et diléxit ea veheménter. ℣. Servávi mandáta tua, et testimónia tua: quia ómnes viæ meæ in conspéctu tuo.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 13. f.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro, quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et

separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Offertorium. 2. Paral. 9. **Regína postquam vidit domum Dei, et víctimas quas immolábant in domo Dómini, non erat præ stupóre ultra in ea spíritus, dixítque: Sit Dóminus Deus benedíctus, quia díligit pópulum suum, et vult serváre eum in ætérnum.**

Secreta.

Da nobis, quǽsumus Dómine, per hæc sancta sacrifícia, regnum tuum, justitiámque ejus semper inquírere: pro cujus adeptióne beáta regína Joánna falláces regni terréni pompas et illécebras incunctánter abjécit. Per Dóminum.

Communio. Ps. 60. **Inhabitábo in tabernáculo tuo in sǽcula: prótegar in velaménto alárum tuárum: quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam.**

Postcommunio.

Infúnde nobis, Dómine, hujus virtúte sacraménti, sanctam amóris tui suavitátem: ut beátæ Joánnæ intercessióne, superátis ómnibus mundi impediméntis, tibi uni cum illa adhærére mereámur. Per Dñm.

℟ Alibi Missa. Cognóvi. de Commúni nec Virg. nec Mart. cum Oratione ut supra.

Eadem Die.

S. Josephi a Leonissa, Conf.

Missa dic. ut in die S. Vincentii a Paulo, 19. Julii, præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, fidélium remunerátor servórum, qui beátum Joséphum exímium in evangélica prædicatióne operárium effecísti: ejus, quǽsumus, intercessióne concéde; ut a grato tibi servítio numquam cessémus in terris, et plenam a te mercédem recipiámus in cœlis. Per Dóminum.

Die 6. Februarii.

S. Vedasti, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Com̃. Conf. Pont. 1. loco, cum Orationibus sequ., ubi sunt concessæ. Oratio.

Deus, qui beátum Vedástum, Confessórem tuum atque Pontíficem, ad opus Evangélii in Ecclésiam tuam advocáre dignátus es: concéde propítius; ut mémores labóris et caritátis ejus, digne Evangélio Christi, quod prædicávit, conversári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Commem. S. Dorotheæ.

Secreta.

Hujus virtúte sacrifícii, Dómine, cui ministrándo sanctus Vedástus presbýteros constituébat et diáconos, respícere dignéris plebem tuam, et in eam míttere idóneos mysteriórum tuórum dispensatóres; ut nostris étiam diébus, Ecclésia tua méritis augeátur et número. Per Dóminum.

Postcommunio.

Pópulum tuum, Dómine, quem beátus Conféssor et Póntifex Vedástus, verbo veritátis edócuit et miraculórum testimónio confirmá[vit], percépta sacraménta tueántu[r], et in data tibi fide stábilem eff[ici]ant. Per Dóminum.

Die 18. Februarii.

B. Reginaldi Aurelianensis, Conf. Ord. Prædicatorum.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orationes sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Confessórem tuum Regináldum singulári sanctíssimæ Genitrícis tuæ protectióne donásti, illíus nobis méritis et précibus concéde ut ejúsdem gloriósæ semper Vírginis perpétuo muniámur auxílio. Qui vivis et regnas.

Secreta.

Adésto supplicatiónibus nostris, miséricors Deus, ut hæc oblátio salutáris in honórem beáti Confessóris tui Regináldi exhíbita, ad úberem grátiam tuam nobis impetrándam in odórem suavitátis ascéndat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Ineffabílibus reflécti sacraméntis, quǽsumus clementíssime Jesu, intercedénte beáto Regináldo Confessóre tuo, ab omni nos ánimæ et córporis infirmitáte custódi, ut divíni óperis fructum propénsius exsequéntes in ætérnam íngredi réquiem festinémus. Qui vivis.

Die 28. Martii.

B. Joannæ Mariæ de Malliaco, Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Comm. præter Orat. sequ.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, humilitátis et caritátis amátor, qui beátam Joánnam Maríam, tuo amóre succénsam, cœléstibus donis decorásti, et próspera mundi despícere docuísti: da; ut quam festíva celebritáte venerámur, humilitáte, caritáte et terrenárum rerum contémptu imitémur. Qui vivis.

Die 16. Aprilis.

B. Benedicti Josephi Labre, Conf.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum Jóséphum Confessórem tuum humilitátis stúdio, et paupertátis amóre tibi uni adhærére fecísti: da nobis ejus suffragántibus méritis terréna cuncta despícere, et cœléstia semper inquírere. Per Dñm.

In Quadrag. fit commem. Feriæ.

Secreta.

Obláta múnera, clementíssime Deus, propítius réspice: et beáti Benedícti Jósephi Confessóris tui interveniénte suffrágio, in salútem nobis proveníre concéde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sacris, Dómine, refécti munéribus: quǽsumus; ut beáti Benedícti Jóséphi Confessóris tui virtútes imitémur, cujus póscimus méritis adjuvári. Per Dóminum.

Die 11. Maji.

S. Mamerti, Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes. de Com. Conf. Pont. 2. loco, præter Orat. et Evang.

Oratio.

Clamántes ad te, quǽsumus Dómine, dignánter exaúdi: ut sicut ad preces beáti Mamérti, Confessóris atque Pontíficis, pópulo in afflictióne pósito, pepercísti; ita nobis, ejus intercessióne, in omni tribulatióne, succúrras. Per Dñm.

Evangelium. Vidéte, vigiláte. ut in Missa votiva de elect. Episc.

Die 2. Junii.

Ss. Pothini et **Soc.** Martyrum.

Temp. pasch. Missa. Protexísti. de Comm. unius Mart.

Extra tempus paschale. Missa. Intret. de Communi 1. loco.

Oratio.

Sanctórum Mártyrum tuórum Pothíni Pontíficis, Blandínæ Vírginis et Sociórum solémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut in caritáte radicáti et fundáti, passiónes hujus témporis amóre illíus glóriæ, quæ revelánda est in nobis, invícto ánimo sustinére valeámus. Per Dóminum.

Alibi fit Missa temp. pasch. Sancti tui; extra temp. pasch. Sapiéntiam. de Coñ. 2. loco, cum Oratione ut supra; Secreta vero et Postcomm. ut sequ.

Secreta.

Adésto Dómine, munéribus nostris: et præsta; ut sicut píetas beatórum Mártyrum tuórum nobis caritátis præbet exémplum, sic spíritum grátiæ tuæ, quo júgiter muniámur, semper implóret. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, cujus virtútis esse cognóscimus ut sancti Mártyres tui ánimas suas odiéndo dilígerent et perdéndo servárent: præsta; ut per hujus participatiónem mystérii, ad tantæ fídei exémpla sectánda et eórum beáta recordátio nos íncitet, et orátio digna perdúcat. Per Dñm.

Die 3. Junii.

S. Clotildis, Reginæ Francorum, Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart., præter Orat. sequ.

Oratio.

Réspice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium; et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, eísdem, per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

Secreta.

Exaúdi, Dómine, pópulum sub patrocínio Regínæ suæ sanctæ tibi supplicántem; regnúmque, quod tibi subjécit, protectióne custódi. Per Dóminum.

Postcommunio.

Auxiliéntur nobis, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus; et quos per beátam Clotíldem ad cœléste regnum vocáre dignátus es, ejúsdem fac regni possessióne felíces. Per Dóminum.

Die 8. Junii.

S. Medardi, Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes. de Communi 2. loco, præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Medárdum Pontíficem pópulo tuo verbo et exémplo præésse voluísti; pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Die 15. Junii.

B. Germanæ Cousin, Virginis.

Missa. Vultum tuum deprecabúntur. de Comm. Virginum, præter Orationes sequ.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Germánam Vírginem tuam, caritátis et patiéntiæ decóre excéllere disposuísti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

Secreta.

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut beátæ Germánæ Vírginis tuæ suffúlti præsídio, puris méntibus et mundo corde hæc sacra mystéria operémur. Per Dñm.

Postcommunio.

Divíni múneris participatióne refécti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut intercedénte beáta Germána Vírgine tua, mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, tibi uni adhærére valeámus. Per eúmdem Dóminum.

℟ Alibi dicitur Missa. Dilexísti. de Comm. 1. loco cum Orationibus præced.

Die 28. Junii.

S. Irenæi, Episc. et Mart.

Omnia ut in Missali inter Festa pro aliqu. loc. die 4. Julii.

Die 3. Julii.

S. Martialis, Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont. 2. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Martiálem, Confessórem tuum atque Pontíficem, plebi tuæ sanctæ præésse voluísti: quǽsumus; ut ejus suffragántibus méritis, pietátis tuæ grátiam largiáris. Per Dóminum.

Et fit commem. Octavæ Apostolorum, ut in Missali.

Die 19. Julii.

S. Vincentii a Paulo, Confessoris Congr. Miss. Fundat.

Introitus. Ps. 131.

Paúperes Sion saturábo pánibus: sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. Ps. ibid. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui ad salútem paúperum, et cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua per beátum Vincéntium famíliam congregásti: da, quǽsumus; ut eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dñm.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 1. d.

Vidéte vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi, elégit Deus, ut confúndat sapiéntes: et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia, et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio: ut quemádmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Et ego cum veníssem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum.

Graduale. Luc. 4. Evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde.
℣. Ps. 67. Parásti in dulcédine tua paúperi, Deus: Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multa.
Allelúja, allelúja.
℣. Isai. 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiántis, et prædicántis pacem; annuntiántis bonum, prædicántis salútem. Allelúja.
Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur
Tractus. ℣. Prov. 31. Manum suum apéruit ínopi: et palmas suas exténdit ad paúperem.
℣. Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénum, et paúperem: in die mala liberábit eum Dóminus.
℣. Ps. 111. Jucúndus homo qui miserétur, et cómmodat: dispónet sermónes suos in judício, quia in ætérnum non commovébitur.
Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur
Allelúja, allelúja.
℣. Isai. 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiántis, et prædicántis pacem: añuntiántis bonum, prædicántis salútem. Allelúja.
℣. ibid. Exíte de médio Babylónis: mundámini qui fertis vasa Dómini. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 9. d.

IN illo témpore: Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni, et curans omnem languórem, et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dicit discípulis suis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Credo.

Offertorium. 3. Reg. 8. Inclínet Dóminus Deus noster corda nostra ad se, ut ambulémus in univérsis viis ejus, et custodiámus mandáta ejus, et cæremónias ejus, et judícia quæcúmque mandávit pátribus nostris.

Secreta.

Deus, qui beáto Vincéntio divína quotídie celebránti mystéria tribuísti quod tractábat imitári: ejus nobis précibus indúlge; ut immaculátam hóstiam offeréntes, ipsi quoque in holocaústum tibi accéptum transeámus. Per Dóminum.

Communio. Ps. 106. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum: quia satiávit ánimam inánem, et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Postcommunio.

Cœléstibus, Dómine, refécti sacraméntis: quǽsumus; ut ad evangelizántem paupéribus Fílium tuum imitándum, beáti Vincéntii, sicut exémplis provocámur, ita et patrocíniis adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Die 30. vel 31. Julii.

S. Germani Autissiodorensis,
Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.
Alibi Missa. Sacerdótes. de Communi 2. loco.

Die 13. Augusti.

S. Radegundis, Reginæ, Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart. præter sequ.

Oratio.

Tuórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra: et beátæ Radegúndis précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere, et cœlésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit commem. Oct. S. Laurentii et Ss. Hippolyti et Cassiani Mm.

Secreta.

Múnera, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: ut tibi grata et nobis salutária, beátæ Radegúndis pia supplicatióne, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut quos salutáribus dignátus es erudíre mystériis, beátæ Radegúndis intercéssio gloriósa refíciat cœléstibus auxíliis. Per Dóminum.

Die 25. Augusti.

S. Ludovici, Franciæ Regis, Conf.

Missa ut in Missali. Ubi vero est concessa dicitur sequens.

Introitus. Ps. 20.



N virtúte tua, Dómine, lætábitur rex, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium cordis ejus tribuísti ei, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Ps. ibid. Prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum, de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti; ejus, quǽsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes: Qui tecum vivit.

Léctio libri Machabæórum.

1. Mach. 3.

In diébus illis: Dilatávit Judas glóriam pópulo suo, et índuit se lorícam sicut gigas, et succínxit se arma béllica sua in prǽliis, et protegébat castra gládio suo. Símilis factus est leóni in opéribus suis, et sicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et persecútus est iníquos, perscrútans eos; et qui conturbábant pópulum suum, eos succéndit flammis; et repúlsi sunt inimíci ejus præ timóre ejus, et omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt: et dirécta est salus in manu ejus. Et exacerbábat reges multos, et lætificábat Jacob in opéribus suis, et in sǽculum memória ejus in benedictióne. Et perambulábat civitátes Juda, et pérdidit ímpios ex eis, et avértit iram ab Israël. Et nominátus est usque ad novíssimum terræ.

Graduale. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. ℣. Manus mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 143. Benedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prǽlium. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini

dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et adstántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia ómnia habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium. Eccli. 47. De omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum: dedit in celebratiónibus decus, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem.

Secreta.

Edoce nos, quǽsumus, Dómine, dignas, Majestáti tuæ, beáti Ludovíci exémplo, laudes persólvere; ejúsque in amplificándo divíni cultus splendóre sollicitúdinem fac nos æmulári. Per Dóminum.

Communio. Ps. 5. et 37. Introíbo in domum tuam, Dómine, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Postcommunio.

Deus, qui beáto Ludovíco, inter falláces temporális regni delícias, veram ætérni regni felicitátem toto corde concupíscere tribuísti: fac nos, quǽsumus, ejúsdem felicitátis amatóres, cujus in hoc sacraménto pignus accépimus. Per Dñm.

Die 26. Augusti.

S. Cæsarii, Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beáti Cæsárii, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte lætíficas: præsta; ut quod ille sapiénter dócuit, te adjuvánte, sequámur. Per Dóminum.

Alibi Missa. In médio Ecclésiæ. de Comm. Doct.

Die 17. Octobris.

B. Margaritæ Mariæ Alacoque, Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias cordis tui beátæ Margarítæ Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis ejus méritis et imitatióne; ut te in ómnibus, et super ómnia diligéntes, jugem in eódem corde tuo mansiónem habére mereámur: Qui vivis et regnas.

Secreta.

Accépta tibi sint, Dómine, plebis tuæ múnera: et concéde; ut ignis ille divínus nos inflámmet, quo de corde Fílii tui emísso beáta Margaríta veheménter æstuávit. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Córporis et sánguinis tui, Dómine Jesu, sumptis mystériis: concéde nobis, quæsumus, beáta Margaríta Vírgine intercedénte; ut supérbis sæculi vanitátibus exútis, mansuetúdinem et humilitátem cordis tui indúere mereámur. Qui vivis et regnas.

Die 31. Octobris.

S. Quintini, Martyris.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Martyris non Pont. 4. loco præter Orationem ubi est concessa.

Oratio.

Annue, Dómine, supplicatiónibus nostris, et intercessióne beáti Quintíni, Mártyris tui, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

Eadem Die.

S. Austindi, Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Oratio.

Consuétam misericórdiam tuam, Dómine, super nos cleménter osténde: ut qui beáti Austíndi, Confessóris tui atque Pontíficis memóriam ágimus, vestígiis ejus inhærére non desinámus. Per Dóminum.

Die 3. Novembris.

B. Alpaidis, Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. præter Orationem sequentem.


Oratio.

Dómine Jesu Christe, bone pastor, qui infírma mundi éligis: concéde quæsumus; ut intercedénte beáta Alpáide Vírgine, et humília sectári, et áspera pro te ampléctí valeámus. Qui vivis et regnas.

Die 13. Novembris.

S. Abbonis, Mart. et Abbat.

Missa. Lætábitur. de Comm. unius Mart. non Pont., cum Evangelio. Dixit Jesus turbis. de Missa. Státuit. ut in Comm. unius Mart. Pont.



ORATIONES

ANTE DETECTIONEM CRUCIS

IN MISSA PRÆSANCTIFICATORUM FERIÆ VI. IN PARASCEVE

QUÆ


IN MISSALI ROMANO SINE NOTIS INVENIUNTUR

HEIC ADDUNTUR


AD MAJOREM CELEBRANTIUM COMMODITATEM

CUM CANTU.


Sacerdos stans in cornu Epistolæ, incipit absolute junctis manibus:




O-rémus, di-le-ctís-si-mi no-




bis, pro Ecclé-si-a sancta De-i:




ut e-am De-us et Dó-minus




noster pa-ci-fi-cá-re, ad-u-ná-




re, et cu-sto-dí-re di-gnétur




to-to or-be ter-rá-rum: subjí-




ciens e-i prinći-pá-tus, et po-




te-státes: detque no-bis qui-é-



tam et tranquíllam vi-tam de-




géntibus, glo-ri-fi-cá-re De-um




Patrem o-mni-po-tén-tem.

Diaconus.



O - rémus. Flectámus génu-a.


Subdiaconus.




℟. Le - vá - te.

Oratio cantatur in tono feriali Orationis Missæ, extensis manibus. Et hic modus servatur in subsequentibus.


Omnípotens sempitérne Deus, qui glóriam tuam ómnibus in Christo géntibus revelásti: custódi ópera misericórdiæ tuæ; ut Ecclésia tua toto orbe diffúsa, stábili fide in confessióne tui nóminis persevéret. Per eúmdem Dóminum nostrum. ℟. Amen.




O-rémus et pro be-a-tís-si-




mo Pa-pa no-stro N. . . . ut




De-us et Dóminus noster, qui




e-lé-git e-um in ór-di-ne e-




pi-sco-pá-tus, sal-vum, at-que




in-có-lumem cu-stó-di-at Ec-



clé-si-æ su-æ sanctæ, ad re-




gén-dum pó-pu-lum sanctum




De - i. O - ré-mus.

Diaconus. Subdiaconus.




Flectámus génu-a. ℟. Le-vá-te.


Omnípotens sempitérne Deus, cujus judício univérsa fundántur: réspice propítius ad preces nostras, et eléctum nobis Antístitem tua pietáte consérva; ut christiána plebs, quæ te gubernátur auctóre, sub tanto pontífice, credulitátis suæ méritis augeátur. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.




O -rémus et pro ómnibus E-




pí-scopis, Presbý-te-ris, Di-




a-có-nibus, Subdi-a-cónibus,




A-có-lythis, Ex-or-cístis, Le-




ctó-ri-bus, O-sti-á-ri-is, Con-



fes-só-ri-bus, Vir-gí-ni-bus,




Ví-du-is: et pro o-mni pó-pu-




lo san-cto De-i.

Diaconus.




O-rémus. Flectámus génu-a.

Subdiaconus.




℟. Le-vá-te.


Omnípotens sempitérne Deus, cujus spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur, et régitur: exaúdi nos pro univérsis ordínibus supplicántes; ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.




O-rémus et pro Christi-a-nís-




si-mo * Impe-ra-tó-re nostro




N. . . . ut De-us et Dó-minus



noster súbdi-tas il-li fá-ci-at




omnes bárbaras na-ti-ó-nes, ad




nostram perpé-tu-am pacem.

Diaconus.



O-rémus. Flectámus génu-a.


Subdiaconus.




℟. Le-vá-te.


Omnípotens sempitérne Deus, in cujus manu sunt ómnium potestátes, et ómnium jura regnórum: réspice ad Románum benígnus Impérium; ut gentes, quæ in sua feritáte confídunt, poténtiæ tuæ déxtera comprimántur. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.


Si non est coronatus, dicatur: * elécto Imperatóre.

































Diaconus. Subdiaconus.





Omnípotens sempitérne Deus, qui Ecclésiam tuam nova semper prole fœcúndas: auge fidem et intelléctum catechúmenis nostris; ut renáti fonte baptísmatis, adoptiónis tuæ fíliis aggregéntur. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.



















dis-sól-vat: per-e-grinán-ti-bus


ré-di-tum: in-firmán-ti-bus sa-



ni-tátem: na-vigán-ti-bus por-


tum sa-lú-tis in-dúl-ge-at.


Diaconus.


O-rémus. Flectámus génu-a.


Subdiaconus.



℟. Le - vá - te.


Omnípotens sempitérne Deus, mœstórum consolátio, laborántium fortitúdo: pervéniant ad te preces de quacúmque tribulatióne clamántium; ut omnes sibi in necessitátibus suis misericórdiam tuam gaúdeant affuísse. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.



O-rémus et pro hæ-ré-ti-cis,



et schismá-ti-cis: ut De-us et


Dóminus noster é-ru-at e-os



ab er-ró-ri-bus u-ni-vérsis; et


ad sanctam matrem Ecclé-si-



am Cathó-li-cam, atque A-po-


stólicam re-vo-cá-re dignétur.


Diaconus.


O-rémus. Flectámus génu-a.

Subdiaconus.



℟. Le-vá-te.

Omnípotens sempitérne Deus, qui salvas omnes, et néminem vis períre: réspice ad ánimas diabólica fraude decéptas; ut omni hærética pravitáte depósita, errántium corda resipíscant, et ad veritátis tuæ rédeant unitátem. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.


O-rémus et pro pér-fi-dis



Judǽ-is: ut De-us et Dóminus



noster aú-fe-rat ve-lámen de



córdibus e-ó-rum; ut et ip-si




a-gnóscant Je-sum Christum



Dó-mi-num nostrum.

Non respondetur Amen, sed statim dicitur:

Omnípotens sempitérne Deus, qui étiam judáicam perfídiam a tua misericórdia non repéllis: exáudi preces nostras, quas pro illíus pópuli obcæcatióne deférimus; ut, ágnita veritátis tuæ luce, quæ Christus est, a suis ténebris eruántur. Per eúmdem Dóminum nostrum. ℟. Amen.




O-rémus et pro pa-gá-nis: ut




De-us o-mní-po-tens aú-fe-rat



i-ni-qui-tá-tem a cór-di-bus



e-ó-rum; ut re-lí-ctis i-dó-lis




su-is, convertántur ad De-um



vivum et verum, et ú-ni-cum



Fí-li-um e-jus Jesum Christum




De-um et Dó-minum nostrum.

Diaconus.



O-rémus. Flectámus génu-a.

Subdiaconus.



℟. Le-vá-te.

Omnípotens sempitérne Deus, qui non mortem peccatórum, sed vitam semper inquíris: súscipe propítius oratiónem nostram, et líbera eos ab idolórum cultúra; et ággrega Ecclésiæ tuæ sanctæ ad laudem et glóriam nóminis tui. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.

INDEX ALPHABETICUS
FESTORUM ET NOMINUM SANCTORUM
HUJUS PROPRII.



Imprimi permittitur.

Ratisbonæ, die 24. Aprilis 1879.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

2

DIE XVII DECEMBRIS

SOLEMNIS COMMEMORATIONIS

SUSCEPTÆ PARTIS CAPITIS

S. JOANNIS BAPTISTÆ

QUÆ PRÆFERT VENERANDAM EJUS FACIEM.

Duplex II. classis.

Missa ut in Decollatione S. Joannis Baptistæ, die XXIX Augusti, præter sequentia.

ORATIO.

Deus, qui beáti Præcursóris Fílii tui sacra pígnora pópulis tuis reveláre dignatus es : concéde propítius ; ut tanti Præcónis hortaménta sectántes, ad eum, quem prædíxit et monstrávit, felíciter accedámus. Per eumdem.

Et fit Comm. Feriæ occurrentis.

SECRETA.

Suscipe Dómine, preces et múnera ; quæ ut tuo digna sint conspéctu, sancti Joánnis Baptístæ, cujus relíquias hodiérna die suscépimus, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Et fit Comm. Feriæ occurrentis.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui Ambianénsem Ecclésiam pretiósa sancti Joánnis Baptístæ Fácie decorástí : repléti munéribus sacris te súpplices deprecámur ; ut grátia tua contra ómnia mundi scándala nos róboret, quæ Fáciem sacram sancti Præcursóris ut petram duríssimam contra prævaricántes pósuit. Per Dóminum.

Et fit Comm. Feriæ occurrentis.

PRÆFATIO

SINE CANTU.

¶ *Sequens Præfatio dicitur in omnibus Missis tam festivis quam votivis, et infra Octavam S. Joannis Baptistæ.*

PER ómnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum. ℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere : Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus. Et tuam in Beáto Joánne Baptísta Præcursóre magnificéntiam collaudáre, qui vocem Matris Dómini nondum éditus sensit, et adhuc clausus útero, advéntum salútis humánæ prophética exultatióne significávit. Qui et genitrícis sterilitátem concéptus ábstulit, et patris linguam natus absólvit, solúsque ómnium prophetárum Redemptórem mundi, quem prænuntiávit, osténdit. Et ut sacræ purificatiónis efféctum aquárum natúra concíperet, sanctificándis Jordánis fluéntis, ipsum Baptísmo Baptísmatis lavit auctórem. Et ídeo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cœli et terra glória tua, Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini, Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO

CUM CANTU.

¶ *Sequens Præfatio dicitur in omnibus Missis tam festivis quam votivis, et infra Octavam S. Joannis Baptistæ.*

Per omni-a se-cu-la sæ-cu-lo-

rum. ℟. A-men. ℣. Dominus vo-

bis-cum. ℟. Et cum spi-ri-tu

tu-o. ℣. Sur-sum cor-da.

℟. Ha-be-mus ad Do-mi-num.

℣. Gra-ti-as a-ga-mus Domi-no

De-o no-stro. ℟. Di-gnum et

ju-stum est. Ve-re dignum

et justum est, æquum et sa-

lu- ta-re, nos ti-bi semper

et u-bi-que gra-ti-as a-ge-

re, Do-mi-ne sancte, Pater omni-

po-tens, æ-ter-ne De-us. Et

tuam in Be-a-to Jo-anne Bap-

ti-sta Præcur-so-re ma-gni-fi-

cen-ti-am col-lau-da-re, qui

vo-cem Matris Do-mi-ni nondum

e-di-tus sen-sit, et adhuc

clausus ute-ro, adventum sa-

lutis humanæ propheti-ca exul-tati-o-ne si-gni-fi-ca-vit. Qui et ge-nitri-cis steri-li-ta-tem concep-tus abs-tu-lit, et pa-tris lin-guam natus ab-sol-vit, solusque omnium prophe-tarum Redemptorem mundi, quem prænunti-a-vit, os-ten-dit. Et ut sacræ puri-fi-cati-onis effec-tum a-quarum na-tu-ra con-ci-peret, sancti-fi-candis Jordanis fluen-tis, ip-sum Baptismo Baptis-matis la-vit aucto-rem. Et i-de-o cum Ange-lis et Ar-chan-ge-lis, cum Thronis et Domi-na-ti-o-ni-bus, cumque omni mi-li-ti-a cœ-les-tis ex-er-ci-tus hymnum glo-ri-æ tu-æ ca-ni-mus, si-ne fi-ne di-centes.

Imprimatur utpote cum originali a S. R. C. approbato concordans.

Ambiani, die Maji 1879.



† LUDOVICUS,

Episcopus Ambianensis.

Ambiani. Typis Delattre-Lenoel, via dicta de la République, 32.

DIE VII. NOVEMBRIS.

B. Joannis Gabrielis Perboyre.

Introitus. **Ps.** 63.

LAetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo : et laudabúntur omnes recti corde. **Ps. ib.** Exáudi Deus oratiónem meam, cum déprecor : a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri, etc.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui beátum Joánnem Gabriélem Mártyrem tuum, inter Sinárum gentes, vitae innocéntia, apostólicis labóribus et praecípua tuae Crucis participatióne mirábilem effecísti : tríbue, quaesumus, ut ipsíus fídei, caritátis ac patiéntiae documénta sectántes; ejúsdem glóriae mereámur esse consórtes. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum.

Léctio **Epístolae** beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2. **Tim.** 2. b

CAríssime, Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans : sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quae est in Christo Jesu, cum glória coeléstì. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes : quália mihi facta sunt Antiochíae, Icónii, et Lystris : quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. **Ps.** 36. Justus, cum cecíderit, non collidétur : quia Dóminus suppónit manum suam. ℣. Tota die miserétur, et cómmodat : et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúia, allelúia. ℣. **Joann.** 8. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris : sed habébit lumen vitae aetérnae. Allelúia.

Post Septuages. omissis Allelúia, *et Versu seq. dicitur :*

Tractus. **Psalm.** 3. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiae in domo ejus : et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

✠ Sequéntia **sancti Evangelii** secúndum Matthaeum. **Matth.** 10. c

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nihil est opértum, quod non revelábitur : et occúltum, quod non sciétur.

Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine : et quod in aure audítis, praedicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere : sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam, et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére : multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso : vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúia.

Secreta.

HAec oblátio, Dómine, quae beátum Joánnem Gabriélem ad subeúndum pro fide certámen praeparávit, perpétuam in tuo servítio constántiam cónferat ac salútem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia saecula saeculórum.

Communio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur : et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

COeléstem nobis, Dómine, tríbuant percépta sacraménta virtútem : qua Beátus Joánnes Gábriel innocénter vívere; et martyrii váluit reportáre triúmphum. Per Dóminum.

Concordat cum originali. In fidem etc.
Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 30 Julii 1890.
R. Card. Monaco.
VINC. NUSSI Secr.

Imprimatur.
Tornaci, die 1 Septembris 1890.
G. F. J. BOUVRY Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistae. — DESCLÉE, LEFEBVRE et SOC. -- Tornaci [Belg.]

MISSÆ PROPRIÆ

PRO

ECCLESIIS ORDINIS MONIALIUM VISITATIONIS.

Die 29. Januarii.

S. Francisci Salesii Episcopi Conf. et Ecclesiæ Doctoris, Institutoris Ordinis Monialium Visitationis.

Pro ecclesiis ejusdem Ordinis juxta decret. S. R. C. d. d. 16. Jan. 1821 et 12. Dec. 1877.

Introitus. Eccli. 45.



Tátuit ei testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium gentis: et beatificávit illum in glória: et circumcínxit eum zona glóriæ, et índuit eum stolam glóriæ, et coronávit eum in vasis virtútis.

Ps. 118. Quam dúlcia faúcibus meis elóquia tua: super mel ori meo.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui ad animárum salútem beátum Franciscum, Confessórem tuum atque Pontíficem, ómnibus ómnia factum esse voluísti: concéde propítius; ut caritátis tuæ dulcédine perfúsi, ejus dirigéntibus mónitis, ac suffragántibus méritis, ætérna gaúdia consequámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 3. b.

Factus sum miníster secúndum donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndum operatiónem virtútis ejus. Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc: in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit: ut innotéscat principátibus et potestátibus in cœléstibus per ecclésiam, multifórmis sapiéntia Dei, secúndum præfinitiónem sæculórum, quam fecit in Christo Jesu Dómino nostro, in quo habémus fidúciam et accéssum in confidéntia per fidem ejus. Propter quod peto, ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis, quæ est glória vestra. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo et longitúdo, et sublímitas et profúndum; scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus aut intellígimus, secúndum

virtútem, quæ operátur in nobis: ipsi glória in ecclésia, et in Christo Jesu, in omnes generatiónes sǽculi sæculórum. Amen.

Graduale. Eccli. 33. Respícite, quóniam non mihi soli laborávi, sed ómnibus exquiréntibus disciplínam. ℣. Audíte me, magnátes et omnes pópuli, et rectóres ecclésiæ aúribus percípite.

Allelúja, allelúja.
℣. Ps. 32. Ecce óculi Dómini super metuéntes eum: et in eis qui sperant super misericórdia ejus. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 33. Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: beátus vir, qui sperat in eo.
℣. Prov. 16. Cor sapiéntis erúdiet os ejus, et lábiis ejus addet grátiam.
℣. Ibid. 17. Qui moderátur sermónes suos, doctus et prudens est: et pretiósi spíritus vir erudítus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽũ. Matth. 5. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cœlum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum: qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

Credo.

Offertorium. Apoc. 2. Novi ópera tua, et fidem, et caritátem tuam, et ministérium, et patiéntiam tuam, et ópera tua novíssima, plura prióribus.

Secreta.

Per hanc salutárem hóstiam, quam offérimus tibi, Dómine, divíno illo sancti Spíritus igne cor nostrum accénde: quo mitíssimum beáti Francísci ánimum mirabíliter inflammásti. Per Dóminum. in unitáte ejúsdem Spíritus.

Præfatio.

℣. Per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum, et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. Qui Ecclésiæ suæ beátum Francíscum pastórem juxta cor suum suscitávit, ut scriptis, sermónibus, et exémplis pietátem corroboráret, et áspera convérteret in vias planas. Quique illum suæ lenitátis spíritu tam mirabíliter adimplévit, ut non

solum induráta peccatórum corda ad pœniténtiam flécteret, sed et rebélles tot hæreticórum mentes ad fídei cathólicæ unitátem revocáret. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes. Sanctus. etc.

Communio. 1. Cor. 9. Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucrifácerem. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos.

Postcommunio.

Deus, qui in beáto Francísco, Confessóre atque Pontífice, exímium christiánæ perfectiónis minístrum tribuísti, et per eum nova Ecclésiam tuam sacrárum vírginum prole augére dignátus es: concéde, quǽsumus; ut per sacraménta, quæ súmpsimus, ejus caritátem et mansuetúdinem imitántes in terris, glóriam quoque consequámur in cœlis. Per Dóminum.

Die 21. Augusti.

S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Viduæ.

Pro omnibus ecclesiis Monialium Visitationis S. Mariæ, ex decreto S. Rit. Congregat. diei 22. Julii 1821.

Introitus. Gen. 12.

Egrédere de terra tua, et de cognatióne tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrábo tibi: faciámque te in gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum.

Ps. 83. Quam diléсta tabernácula tua, Dómine virtútum! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui beátam Joánnam Francíscam, tuo amóre succénsam admirábili spíritus fortitúdine per omnes vitæ sémitas, in via perfectiónis donásti, quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti: ejus méritis et précibus concéde; ut qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, cœléstis grátiæ auxílio, cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum.

Léctio libri Ecclesiástici. Eccli. 26.

Múlier sensáta et tácita, non est immutátio erudítæ ánimæ. Grátia super grátiam, múlier sancta et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus. Lucérna splendens super candelábrum sanctum, et spécies faciéi super ætátem stábilem. Colúmnæ aúreæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris. Fundaménta ætérna super petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

Graduale. Esth. 14. Et deprecabátur Dóminum Deum Israël, dicens: Dómine mi, qui rex noster es solus, ádjuva me solitáriam, et cujus præter te nullus est auxiliátor. ℣. Sap. 8. Intrans in domum meam, conquiéscam cum illa: non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tǽdium convíctus illíus, sed lætítiam et gaúdium.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 26. Unam pétii a Dómino, hanc requíram: ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ. Allelúja.

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum.** Matth. 13. f.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis; ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Credo.

Offertorium. Judith 15. **Quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum, eo quod castitátem amáveris, et post virum tuum álterum nescíeris: ídeo et manus Dómini confortábit te, et ídeo eris benedícta in ætérnum.**

Secreta.

Illo nos amóris igne, quǽsumus Dómine, hæc hóstia salutáris inflámmet: quo beátæ Joánnæ Franciscæ cor veheménter incéndit, et flammis adússit ætérnæ caritátis. Per Dóminum.

Communio. Judith 16. **Erat étiam virtúti cástitas adjúncta, ita ut non cognósceret virum ómnibus diébus vitæ suæ, ex quo defúnctus est vir ejus.**

Postcommunio.

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut quos cœléstis panis virtúte satiásti, beáta Joánna Francísca intercedénte, fácias terréna despícere, et te solum Deum pura mente sectári. Per Dóminum.



Imprimatur.

Ratisbonæ, die 15. Martii 1885.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

Ratisbonæ 1885. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apostolicæ Typographi.

Die 17. Octobris.

In Festo

B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virginis.

Introitus. Cant. 2.



Ub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo. Ps. I. Reg. 2. Exsultávit cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo: quia lætáta sum in salutári suo.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias Cordis tui beátæ Margarítæ Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis, ejus méritis et imitatióne; ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, jugem in eódem Corde tuo mansiónem habére mereámur: Qui vivis et regnas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 3. b.

Fratres: Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem: Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Graduale. Cant. 8. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem nec flúmina óbruent illam. ℣. Ps. 72. Defécit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Allelúja, allelúja. ℣. Cant. 7. Ego diléсto meo, et ad me convérsio ejus. Allelúja.

Post Septuagesimam omissis Allelúja et Versu sequenti dicitur:

Tractus. Ps. 83. Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. ℣. Etenim passer invénit sibi domum, et turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos. ℣. Altária tua Dómine virtútum, Rex meus et Deus meus.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Prov. 9. Veníte, comédite panem meum et bíbite vinum quod míscui vobis. Allelúja.

℣. Ps. 30. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine, quam abscondísti timéntibus te. Allelúja.


Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 11.

IN illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde; et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Offertorium. Zach. 9. Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans vírgines?

Secreta.

Accépta tibi sint Dómine plebis tuæ múnera et concéde: ut ignis ille divínus nos infláм̃et, quo de Corde Fílii tui emísso beáta Margaríta veheménter æstuávit. Per eúmdem Dóminum.

Communio. Cant. 6. Ego diléсto meo; et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Postcommunio.

Córporis et sánguinis tui, Dómine Jesu, sumptis mystériis, concéde nobis quǽsumus, beáta Margaríta Vírgine intercedénte; ut supérbis sǽculi vanitátibus exútis, mansuetúdinem et humilitátem Cordis tui indúere mereámur: Qui vivis et regnas.



Imprimatur.

Ratisbonæ, die 7. Martii 1885.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

IN FESTO

SANCTI FRANCISCI SALESII

EPISCOPI ET CONFESSORIS.



Er ómni-a sǽcu-la sæcu-lórum. ℟. Amen. ℣. Dóminus vo-bís-cum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu - o. ℣. Sur-sum cor-da. ℟. Ha-bé-mus ad Dó-minum. ℣. Gráti-as a-gá-mus Dómi-no De - o no-stro. ℟. Di-gnum et ju-stum est. Ve-re di-gnum et justum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper et u-bí-que grá-ti-as á - ge-re, Dó-mi-ne san-cte, Pa-ter o-mní-po-tens æ-tér-ne De - us: per Chri-stum Dó-mi-num no-strum. Qui Ec-clé-si-æ su - æ be-á-tum Fran-cí-scum Pa-stó-rem jux-ta cor su-um

su-sci-tá-vit, ut scri-ptis ser-mó-ni-bus et ex-émplis pi-e-tá-tem

cor-ro-bo-rá-ret, et á-spe-ra con-vér-te-ret in vi-as pla-nas.

Qui-que il-lum su-o le-ni-tá-tis spí-ri-tu tam mi-ra-bí-li-ter ad-im-

plé-vit, ut non so-lum indu-rá-ta pecca-tórum corda ad pœ-ni-tén-

ti-am flé-cte-ret, sed et re-bél-les tot hære-ti-có-rum men-tes ad

fí-de-i ca-thó-li-cæ u-ni-tá-tem re-vo-cá-ret. Et íd-e-o cum

An-ge-lis et Archán-ge-lis, cum Thronis et Domi-na-ti-ó-ni-

bus, cumque o-mni mi-lí-ti-a cœ-lé-stis ex-ér-ci-tus, hy-mnum

gló-ri-æ tu-æ cá-ni-mus si-ne fi-ne di-céntes.



Ratisbonæ 1888. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

7

MISSÆ PROPRIÆ
CONGREGATIONI MISSIONIS
A PRETIOSO SANGUINE D. N. J. C.
A SANCTA SEDE CONCESSÆ.

Dominica III. post Epiphaniam.

Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum.

Introitus. Matth. 2.

ANgelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum.

Ps. 54. Ecce elongávi fúgiens: et mansi in solitúdine.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Protéctor in te sperántium, Deus, qui Unigénitum tuum, Redemptórem nostrum, ex Heródis gládio fuga in Ægýptum erípere voluísti: concéde nobis fámulis tuis, beatíssima semper Vírgine, ejus matre María intercedénte; ut ab ómnibus mentis et córporis perículis liberáti, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit comm. Dom. occurr.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isaiæ 19. c.

IN diébus illis clamábunt ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis salvatórem et propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscent Ægýptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis, et in munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent. Et percútiet Dóminus Ægýptum plaga, et sanábit eam, et reverténtur ad Dóminum, et placábitur eis, et sanábit eos Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 90. Angelis suis Deus mandávit de te: ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. In mánibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum.

Allelúja, allelúja.

℣. Matth. 2. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Matth. 2. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum.

℣. Et esto ibi, usque dum dicam tibi.
℣. Futúrum est enim, ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 2.

In illo témpore: Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi: futúrum est enim, ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum. Qui consúrgens accépit púerum, et matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur, quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi fílium meum. Credo.

Offertorium. Isaiæ 19. Cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscent Ægýptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis et in munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus, supplíciter deprecántes: ut, qui cum beatíssima matre Vírgine María in Ægýptum exsul deférri voluísti; éxsules nos, eádem beáta Vírgine intercedénte, ad cœléstem pátriam benígnus perdúcas: Qui vivis et regnas.

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio. Matth. 2. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur, quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi fílium meum.

Postcommunio.

Largíre sénsibus nostris, omnípotens Deus: ut per temporálem Fílii tui fugam, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedísse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dóminum.

Feria III.
post Dominicam Quinquagesimæ.
In Festo

Inventionis Tituli Ss. Crucis D. N. J. Chr.

Introitus. Gal. 6.

Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: per quem salváti et liberáti sumus.

Ps. 66. Deus misereátur nostri et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, Rex noster, qui Ecclésiam tuam Sanctíssimæ Crucis Título decorári voluísti; concéde propítius, ut sicut in illo passiónis tuæ memóriam celebrámus, ita et ejúsdem Passiónis felícem consequámur efféctum. Qui vivis et regnas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Phil. 2.

Fratres: Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens: in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen: (Hic genu-

flectitur) ut in nómine Jesu omne genu flectátur, cœléstium, terréstrium, et infernórum: et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Graduale. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

℣. Ps. 95. Dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit a ligno.

Tractus. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi, quia per crucem tuam redemísti mundum.

℣. Tuam crucem adorámus Dómine, tuam gloriósam recólimus Passiónem: miserére nostri qui passus es pro nobis.

℣. O crux benedícta, quæ sola fuísti digna, portáre regem cœlórum, et Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Joáñem. Joan. 18, 19.

IN illo témpore: Scripsit autem et títulum Pilátus: et pósuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarénus, Rex Judæórum. Hunc ergo títulum multi Judæórum legérunt; quia prope civitátem erat locus, ubi crucifíxus est Jesus: et erat scriptum, Hebráice, Græce, et Latíne. Dicébant ergo Piláto Pontífices Judæórum: Noli scríbere, Rex Judæórum; sed quia ipse dixit: Rex sum Judæórum. Respóndit Pilátus: Quod scripsi, scripsi. Credo.

Offertorium. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta.

Oblátum tibi, Dómine, sacrifícium intercedénte unigéniti Fílii tui passióne vivíficet nos semper, et múniat. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Præfatio de Cruce.

Communio. Per signum crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

Postcommunio.

Adésto nobis, Dómine Deus noster, et quos sanctæ crucis títuli lætári facis honóre, passiónis tuæ perpétuis defénde subsídiis. Qui vivis et regnas.

Dominica II. post Pascha.

S. Sepulchri D. N. J. C.

Introitus. Isai. 11.

IN die illa erit radix Jesse, qui stat in signum populórum: ipsum gentes deprecabúntur, allelúja: et erit sepúlchrum ejus gloriósum, allelúja, allelúja.

Ps. 45. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in sepúlchro depósitus tértia die resúrgere voluísti: concéde fámulis tuis; ut qui sepúlchri tui memóriam recólimus, resurrectiónis quoque glóriæ partícipes esse mereámur: Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Dominicæ occurr.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. 13.

IN diébus illis: Surgens Paulus, et manu siléntium indícens, ait: Viri fratres, fílii géneris Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salútis hujus missum est. Qui enim habitábant Jerúsalem, et

príncipes ejus, ignorántes Jesum et voces prophetárum, quæ per omne sábbatum legúntur, judicántes implevérunt. Et nullam causam mortis inveniéntes in eo, petiérunt a Piláto, ut interfícerent eum. Cumque consummássent ómnia, quæ de eo scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto. Deus vero suscitávit eum a mórtuis tértia die; qui visus est per dies multos his, qui simul adscénderant cum eo de Galilǽa in Jerúsalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

Allelúja, allelúja.

℣. Job. 13. Qui exspéctant mortem, et non venit, quasi effodiéntes thesaúrum, gaudéntque veheménter, cum invénerint sepúlchrum. Allelúja.

℣. Joann. 20. Currébant duo simul, et ille álius discípulus præcucúrrit cítius Petro, et venit prior ad monuméntum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 24. c.

Una sábbati valde dilúculo venérunt mulíeres ad monuméntum, portántes, quæ paráverant, arómata: et invenérunt lápidem revolútum a monuménto. Et ingréssæ non invenérunt corpus Dómini Jesu. Et factum est, dum mente consternátæ essent de isto, ecce duo viri stetérunt secus illas in veste fulgénti. Cum timérent autem, et declinárent vultum in terram, dixérunt ad illas: Quid quǽritis vivéntem cum mórtuis? Non est hic, sed surréxit: recordámini, quáliter locútus est vobis, cum adhuc in Galilǽa esset, dicens: Quia opórtet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum, et crucifígi, et die tértia resúrgere. Et recordátæ sunt verbórum ejus. Et regréssæ a monuménto, nuntiavérunt hæc ómnia illis úndecim, et céteris ómnibus. Erat autem María Magdaléne, et Joánna, et María Jacóbi, et céteræ quæ cum eis erant, quæ dicébant ad Apóstolos hæc. Et visa sunt ante illos, sicut deliraméntum, verba ista: et non credidérunt illis. Petrus autem surgens, cucúrrit ad monuméntum, et procúmbens, vidit linteámina sola pósita, et ábiit secum mirans, quod factum fúerat.

Credo.

Offertorium. Ps. 41. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei, allelúja.

Secreta.

Deus, qui per depositiónem sanctíssimi córporis Fílii tui in sepúlchro, idem sepúlchrum sanctificásti: concéde, quǽsumus; ut in hoc sepúlchro ánima et corde habitémus. Per eúmdem Dóminum.


Præfatio Paschalis.

Communio. Sap. 9. Beátus, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei, allelúja.

Postcommunio.

Deus, qui nos sancti sepúlchri Fílii tui lætári facis honóre: præsta, quǽsumus; ut in eódem sepúlti, mundo moriámur, et tibi soli vivámus. Per eúmdem Dñm.

In fine legitur Evang. Dom. occurr.



Die 12. Maji.

B. M. V. Misericordiæ Matris.

Introitus.

Audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis Misericórdiæ Matris, de cujus solemnitáte gaudent Ángeli et collaúdant Fílium Dei, allelúja, allelúja.

Ps. 63. Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, a multitúdine operántium iniquitátem.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui univérsum mundum ineffábili providéntia regis, atque gubérnas: præsta nobis fámulis tuis; ut intercedénte beáta María semper Vírgine Misericórdiæ Matre, ab hóstibus defénsi, et fructus tui dulcédine satiáti, ad cœléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 24. c.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúja, allelúja.
℣. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit. Allelúja.
℣. Virgo gloriosíssima, Mater Misericórdiæ, réspice in nos, et dírige nos in viam rectam. Allelúja.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Cant. 1. Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere et abi post vestígia gregum.
℣. Pasce hœdos tuos juxta tabernácula pastórum.

Allelúja, allelúja.
℣. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 19. c.

In illo témpore: Stabat juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium. Si quis est párvulus véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est: Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis, allelúja.

Secreta.

Præsta quǽsumus, omnípotens Deus, ut précibus beátæ Maríæ semper Vírginis, fidéles tui hóstiam salutárem tibi fervéntius ófferant, et efféctum consequántur. Per Dóminum.

Præfatio. Et te in festivitáte.

Communio. Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, et

super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, et salvum me fáciet déxtera tua, allelúja.

Postcommunio.

Grátias tibi reférimus, Dómine, sacro múnere vegetáti, tuam Misericórdiam deprecántes, ut ab illécebris carnis, et mundánis oblectaméntis sub custódia semper Vírginis Maríæ segregáti, cœléstia gaúdia indesinénter appetámus. Per Dóminum nostrum.

Die 31. Maji.

Festum **B. M. V. Gratiarum.**

Missa. **Vultum tuum.** ut in Festo Ss. Nominis Mariæ, Dominica infra Octav. Nativ. ejusdem B. Virginis.

Oratio.

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ Virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti: concéde; ut, quam grátiæ matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Prima Feria vi. mensis Junii.

In Festo

B. M. V. Divini Pastoris Matris.

Introitus.



Audeámus **omnes in Dómino,** diem **festum celebrántes** sub **honóre beátæ** Maríæ **Vírginis, Divíni** Pastóris Matris, **de cujus solemnitáte gaudent Angeli et collaúdant Fílium Dei, allelúja, allelúja.**

Ps. 63. **Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, a multitúdine operántium iniquitátem.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui univérsum mundum ineffábili providéntia regis atque gubérnas, præsta nobis fámulis tuis, ut intercedénte beáta María semper Vírgine, quæ vígili custódia nos pascit, ab hóstibus defénsi et fructus tui dulcédine satiáti ad cœléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum.

Reliqua ut supra in Festo B. M. V. Misericordiæ Matris.

Dominica I. Junii.

Sacrarum Reliquiarum,

quæ in Ecclesiis nostræ Congregationis asservantur.

Missa. **Sapiéntiam Sanctórum.** de Communi plurimorum Martyrum præter Orationem sequentem.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Dominica III. post Pentecosten.

Purissimi Cordis B. M. V.

Missa. **Omnis glória.** ut inter festa pro aliqu. locis eadem Dominica.

Die 8. Julii.

B. Eugenii III. Pap. et Conf.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 19. Decembris.

Beati Urbani Papæ V.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 19. Martii 1885.

M. Dandl, Vicar. in Spirit. Generalis.

Ratisbonæ. Ex Officina Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typographi.

PROPRIUM MISSARUM
PRO DIŒCESI ALEXANDRINA
JUXTA NOVISSIMAS MISSALIS ROMANI EDITIONES REDACTUM.

Die 5. Decembris.

S. Dalmatii Episc. et Mart.

Missa. **Sacerdótes.** de Comm. unius Mart. 2. loco, præter seq.

Oratio.

Deus qui per beátum Dalmátium Mártyrem tuum mirabília operátus es: ejus nobis intercessióne concéde; ut quam ille prædicávit fidem et sánguine adséruit, hanc fírmiter ad mortem usque teneámus. Per Dóminum.

Die 9. Decembris.

S. Syri Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. 1. loco præter seq.

Oratio.

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Pontíficis Syri glorióso tránsitu præstitísti: concéde propítius: ut cujus protectióne lætámur, ejúsdem intercessióne indulgéntiam misericórditer consequámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. Im̃ac. Concept. et Fer., et dic. **Credo** ratione Octavæ.

Secreta.

Puríficet nos, quæsumus Dómine, múneris præséntis oblátio: et intercedénte beáto Syro Confessóre tuo, dignos sacra participatióne effíciat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut pro nobis beáti Syri Pontíficis non desit orátio, cujus nos donásti patrocínio gubernári. Per Dñm.

Die 14. Decembris.

S. Homoboni Confessoris.

Missa. **Justus.** de Comm. Conf. non Pont. 2. loco.

Oratio.

Deus, qui beátum Homobónum Confessórem tuum pietátis et misericórdiæ donis insígnem ad promíssa misericórdibus prǽmia felíciter perduxísti: tríbue, quæsumus; ut quem paúperum patrem habúimus in terris, tutelárem propítium habeámus in cœlis. Per Dñm.

Et fit comm. Oct. Immac. Conc. et Feriæ.

Dicitur **Credo** ratione Oct.

Secreta.

Hæc múnera, quæsumus Dómine, beáti Homobóni suffrágiis tibi accépta reddántur, qui ejus in paúperes dona benígno semper vultu respexísti. Per Dóminum.

Postcommunio.

Divínæ largitátis mystériis in festivitáte beáti Homobóni suscéptis, da nobis, quæsumus Dómine, ut ejus pietátis sequámur vestígia, et caritátis accendámur exémplis. Per Dóminum.

Die 16. Decembris.

S. Columbani Abbatis.

Missa. Os justi. de Comm. Abb.

Oratio.

Deus, qui in beáto Columbáno Abbáte evangelizándi munus, et monásticæ vitæ stúdium mirabíliter conjunxísti: præsta, quæsumus ut ejus intercessióne et exémplo, nos spíritu per veram conversiónem renováti, mundi concupiscéntias superáre, et præmia cónsequi mereámur ætérna. Per Dóminum.

Die 26. Decembris.

Pro Comm. **Omn. Ss. Martyrum**

Oratio.

Deus, qui nos concédis ómnium sanctórum Mártyrum tuórum commemoratiónem cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum Mártyrum tuórum tibi grata sint honóre et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus ómnibus sanctis Martýribus tuis, ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 14. Januarii.

Commemoratio Sanctorum quorum Corpora seu Reliquiæ in Ecclesiis asservantur.

Introitus. Ps. 33.

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. Ps. ib. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum nostrum.

In Cath. additur comm. Transl. Ss. Laurentii et aliorum Mm. ut infra.

Comm. S. Felicis Presb. Mart.

Oratio.

Concéde, quæsumus omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 44.

Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum, et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet Ecclésia.

Graduale. Ps. 149. Exsultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis. ℣. Ps. ib. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in Ecclésia Sanctórum, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 67. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia, allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6. c.

IN illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos dicébat: Beáti paúperes, quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis, quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis, quia ridébitis. Beáti éritis cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter fílium hóminis. Gaudéte in illa die et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta.

Implorámus, Dómine, cleméntiam tuam; ut Sanctórum tuórum, quorum Relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum.

Pro S. Felice Presb. Mart.

Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, beáti Felícis Mártyris tui dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Communio. Ps. 32. Gaudéte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Postcommunio.

Multíplica super nos, quǽsumus Dómine, per hæc sancta, quæ súmpsimus misericórdiam tuam: ut sicut in tuórum solemnitáte Sanctórum, quorum Relíquias cólimus, pia devotióne lætámur: ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum.

De S. Felice. Postcom̃unio.

Quǽsumus Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut beáti Felícis Mártyris tui, cujus solémnia celebrámus, oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Eadem die.

Pro Commemoratione Translat. Corp. **S. Laurentii** Mart. et aliarum Reliquiarum, in Eccl. Cathedr. tantum facienda ante Com̃. S. Felicis.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Lauréntii et aliórum translatiónem cólere; da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére.

Comm. S. Felicis, ut supra.

Secreta.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in Sanctórum tuórum translatióne deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur.

Secreta S. Felicis, ut supra.

Postcommunio.

Quǽsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis, ut quorum translatiónem cólimus, eórum oratiónibus adjuvémur.

Pro Comm. S. Felicis Postcomm.

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus Dómine Deus noster; ut cujus exséquimur

cultum, intercedénte beáto Felíce Mártyre tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum.

Die 15. Januarii.

Translatio **S. Mauritii** Mart.

Patroni totius Ditionis Regis Sardiniæ.

Missa. In virtúte. de Com̃. unius Mart. non Pont. Evang. Si quis venit. ex Missa. Státuit. 1. loco. Credo per totam Octavam.

Oratio.

Annue, quæsumus, omnípotens Deus, ut sancti Mártyris tui Maurítii nos lætíficet festíva solémnitas: ut cujus suffrágiis nítimur, ejus Translatióne gloriémur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Réspice, quæsumus, Dómine, múnera, quæ in sancti Mártyris tui Maurítii translatióne deférimus: et præsta; ut cujus honóre sunt grata, ejus nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti sacraméntis, et gaúdiis, súpplices te rogámus, Dómine; ut cujus gloriámur triúmphis, protegámur auxílio. Per Dóminum nostrum.

Die 19. Januarii.

S. Maximi a Valentia Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Die 29. Januarii.

S. Valerii Episc. Mart.

Missa. Státuit. de Comm. unius Mart. Pont. 1. loco.

In Cathedr. Credo ob insign. Reliquiam.

Die 30. Januarii.

B. Sebastiani Valfrè Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, præter Orat. seq.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Dómine, ita pro animárum subsídio in tua dilectióne manére, sicut beátum Sebastiánum Confessórem tuum ad multórum salútem novum tibi Sacerdótem fidélem suscitásti. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Beáti Sebastiáni Confessóris tui, Dómine, vestígiis inhæréntes, fac nos sacri altáris mystérium et pura tractáre manu, et digno prósequi piæ devotiónis afféctu. Per Dñm.

Postcommunio.

Vitáli, Dómine, sacraménto refectos beáti Sebastiáni Confessóris tui méritis ita nos protegéndo confírma; ut quibus dedísti grátiam largiáris et glóriam. Per Dóminum nostrum.

Die 3. Februarii.

In Cathedrali **S. Laurentii** Mart.

Missa. In virtúte. de Com̃. unius Mart. non Pont. cum Evang. Si quis venit. ex Missa. Státuit. Addit. comm. S. Blasii ut infra, et dicitur Credo.

Eadem die.

In Civitate et Diœcesi.

S. Blasii Episcopi et Martyris.

Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Oratio.

Deus qui beátum Blásium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, in suis perferéndis supplíciis et in aliórum depelléndis infirmitátibus admirábilem effecísti: concéde pro-

pítius; ut illíus et in fide constántiam imitémur, et in perículis patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Die 12. Februarii.

S. Ephysii Martyris.

Introïtus. Ps. 16.



Probásti, Dómine, cor meum, et visitásti nocte: igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ps. 33. Benedícam Dóminum in omni témpore, semper laus ejus in ore meo.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui per Crucem et Passiónem tuam mundum vicísti, eodémque signo mirábili beátum Ephýsium, Mártyrem tuum, fídei præcónem deléctum ad converténdas infidélium gentes cœlitus vocáre dignátus es: præsta quæsumus; ut quem fídei propagatórem habúimus in terris, intercessórem gloriósum habére mereámur in cœlis: Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti.

Si venerit in Quadrag. fit comem. Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 10. 6.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam Sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum; et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec ásferret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant; et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum; et dedit illi claritátem ætérnam Dóminus Deus noster.

Graduale. Exod. 15. Gloriósus Deus in Sanctis suis, mirábilis in majestáte fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua Dómine glorificáta est in virtúte, déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 3. Beátus vir qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

Post Septuag. omiss. Allelúja, et Vers. sequ. dicitur

Tractus. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis.

℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 10. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam, et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus; et qui amat fílium, aut fíliam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est

me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam: et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

Offertorium. Ps. 112. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta.

Sancti Ephýsii Mártyris tui précibus hæc oblátio, Dómine, ad perpétuam, ac præséntem profíciat prosperitátem, et pacem. Per Dñm.

Communio. Ps. 20. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus Dómine Deus noster; ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Ephýsio Mártyre tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum nostrum.

Die 27. Februarii.

S. Bassiani Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Oratio.

Deus, qui per beátum Bassiánum Confessórem tuum atque Pontíficem, mirábili pietáte pópulum tuum a corporáli lebra curáre voluísti: concéde nobis; ut ejus méritis et intercessióne ab ómnibus semper mereámur infirmitátibus liberári. Per Dóminum.

Secreta.

Réspice, Dómine, múnera supplicántis pópuli: et perpétua beáti Bassiáni intercessióne suménda concéde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes pópuli tui benígnus assúme; et beáti Bassiáni Confessóris tui atque Pontíficis précibus ad regna cœlórum nos fácias perveníre. Per Dñm.

Die 28. Februarii.

S. Gaudentii Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco. Sed Evang. ex Missa Sacerdótes.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hunc diem beáti Gaudéntii, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte consecrásti: præsta, quǽsumus; ut cujus festa celebrámus in terris, ipsíus patrocínio ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum nostrum.

Die 1. Martii.

S. Ildephonsi Episc. Conf.

Missa. In médio. de Comm. Doct. cum Orationibus ex Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco. sine Credo.

Die 2. Martii.

S. Geminiani Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco, præter Evangelium sequens.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽũ. Matth. 9.

In illo témpore: Videns Jesus turbas, misértus est eis, quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dixit discípulis suis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Et convocátis duódecim discípulis suis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut ejícerent eos, et curárent omnem languórem et omnem infirmitátem.

Die 6. Martii.

S. Marciani Episc. Mart.

Missa. Sacerdótes. de Com̃. unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 11. Martii.

B. Humberti III. a Sabaudia Conf.

Introitus. Ps. 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium, lex Dei ejus in corde ipsíus. Temp. Pasch. additur Allelúja, allelúja.

Ps. Noli æmulári in malignántibus, neque zeláveris faciéntem iniquitátem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Humbértum cœlésti regno terrénum postpónere, et Crucis mortificatiónem amplécti docuísti: da nobis quǽsumus, ejus intercessióne et exémplo terréna despícere, atque ætérna sectári. Per Dóminum.

Léctio Libri Sapiéntiæ. Eccl. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia, et thesaúris. Quis est hic? et laudábimus eum, fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia Sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge serve bone, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et

astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, Unigéniti Fílii tui Passiónis mystéria renovántes, amórem tuum nostris pectóribus ínserat, quo beáti Humbérti cor æstuábat. Per eúmdem Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Cœlésti dape refécti, te, Dómine, deprecámur; ut beáti Humbérti méritis et exémplo, mundánis cupiditátibus expedíti, gaúdia cum ipso cónsequi mereámur ætérna. Per Dóminum.

Die 20. Martii.

B. Bonifacii a Sabaudia Ep. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco, præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua per beátum Bonifácium Confessórem atque Pontíficem, mirábilis caritátis, ac pastorális sollicitúdinis exémpla instauráre dignátus es: ejus méritis concéde; ut ad animárum salútem júgiter inténti veram felicitátem cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Sacrifíciis præséntibus, quæsumus, Dómine, inténde placátus, et vivo caritátis igne cor nostrum inflámma, quo beátus Bonifácius exársit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelórum esca refécti supplíciter te, Dómine, deprecámur, ut beáti Bonifácii Confessóris tui atque Pontíficis précibus et exémplo, puritátem mentis et córporis caute custodiéntes, ad gaúdia cum ipso perveniámus ætérna. Per Dóminum nostrum.

Die 22. Martii.

S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ Vid.

Missa. Cognóvi. de Comm. nec Virg., nec Mart. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátam Catharínam in contemplánda Fílii tui Passióne, divíni amóris igne flagráre fecísti: quæsumus; ut, ipsa intercedénte, tuæ in nobis flammam caritátis accéndas, et ejúsdem Passiónis partícipes dignánter effícias. Per eúmdem Dóminum.

Die 24. Martii.

S. Anselmi Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes. de Com̃. Conf. Pont. 2. loco, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Anselmi, Confessóris tui atque Pontíficis, illumináre dignátus es méritis et doctrínis: concéde; ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper profíciat increméntis. Per Dóminum nostrum.

Die 29. Martii.

S. Secundi Astensis Mart.

Missa. In virtúte. cum Evang. Si quis venit. ex Missa Státuit. Temp. Pasch. Missa. Protexísti.

Oratio.

Deus, qui sancti ac beatíssimi Mártyris tui Secúndi hunc diem róseo passiónis suæ sánguine, et níveo candóre decorásti: præsta, quæsumus; ut sicut eum in honóre tuo súpplices exorámus, ita ejus méritis, te largiénte, véniam peccatórum nostrórum cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Die 30. Martii.

B. Amedei a Sabaudia Conf.

Missa ut in festo B. Humberti fol. 7*.

Oratio.

Deus, qui beátum Amedéum Confessórem tuum, de terréno principátu ad cœléstem glóriam transtulísti: da nobis, quæsumus; ut ejus exémplo et imitatióne sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dñm.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum; quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio.

Reféctí cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus; ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 8. Aprilis.

S. Perpetui Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes. de Com̃. Conf. Pont. 2. loco. præter sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Perpétuum Antístitem pópulo tuo præésse, et quibus præerat verbo et exémplo prodésse voluísti: eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Die 15. Aprilis.

S. Zenonis Episc. Mart.

Missa. Státuit. de Comm. unius Mart. 1. loco. Temp. Pasch. Missa. Protexísti.

Oratio.

Deus, qui beátum Zenónem Mártyrem tuum atque Pontíficem cathólicæ fídei propagatórem elígere dignátus es: præsta, quæsumus; ut ipso pro nobis interveniénte, a peccatórum nostrórum máculis mundáti, sincéris tibi méntibus placére mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Obláta, quæsumus Dómine, dona sanctífica; et corda nostra illo igne tuæ caritátis inflámma, quem in pópulo suo sanctus tuus Martyr et Póntifex Zeno curávit accéndere. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sacris munéribus recreáti, te, Dómine, súpplices deprecámur; ut beáti Zenónis Mártyris tui atque Pontíficis hortaménta sectándo ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum nostrum.



DOMINICA II. POST PASCHA.

IN FESTO

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS A SALVE

CIVITATIS ALEXANDRIÆ PATRONÆ.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei, allelúja, allelúja. Ps. 47. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui hanc Civitátem venerándа tuæ Genitrícis Imágine decoráre dignátus es: concéde; ut, ejus muníti præsídio, contra omnes hóstium protegámur incúrsus, et pace perfruámur ætérna: Qui vivis.

Et fit commemoratio Dominicæ.

Léctio Libri Judith. Cap. 13 et 15.

Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum et terram; quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, pro quibus non pepercísti ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónes géneris tui, sed subveinísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri: quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum; ídeo manus Dómini confortávit te, et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Allelúja, allelúja. ℣. Judith. 15. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúja. ℣. Ps. 86. Gloriósa dicta sunt de te, Virgo María, allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joáñem. Joañ. 19.

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus Matrem, et discípulum stantem,

quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo per tot. Octavam.

Offertorium. Recordáre, Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis, allelúja.

Secreta.

Cónscii, Dómine, indignitátis nostræ, audémus ad treméndam Agni tui mensam accédere, beatíssimæ ejus Matris gratíssima meritórum recordatióne suffúlti: ne repéllas, quæsumus, suspirántium desidéria animárum; sed præsénti oblatióne ac solemnitáte placátus, tam mirándæ fac nos partícipes sanctitátis. Per eúmdem Dóminum.

Secreta Dominicæ.

Præfatio. Et te in solemnitáte.

Comunio. Ps. 24. 2. Paralip. 20. In te speravérunt patres nostri, speravérunt et liberásti eos: et clamábimus ad te in tribulatiónibus nostris, salvósque fácies nos, allelúja.

Postcommunio.

Sacraméntis, Dómine, et gaúdiis optátæ celebritátis explétis, tuam misericórdiam súpplices deprecámur; ut, erróribus sǽculi et carnis illécebris exémpti, protegénte beáta María semper Vírgine, Unigéniti tui Matre, cujus salutífera imágine gloriámur, et in fide inveniámur stábiles, et in ópere efficáces. Per eúmdem Dóminum.

Postcomm. Dominicæ, ejusque Evang. in fine.

Dominica III. post Pascha.

Octava B. Mariæ Virg. a Salve.

Missa ut in festo cum comm. Dominicæ.

Dominica infra Octav. Ascensionis.

Anniversarium Coronationis Simulacri B. Mariæ V. a Salve.

Introitus. 1. Mach. 6.



Præpósuit eam Dóminus super univérsum regnum suum, et dedit ei diadéma, ut Fílium suum nutríret, et regnáret, allelúja, allelúja. Ps. 8. Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátam Maríam semper Vírginem mundi regínam constituísti: concéde propítius; ut quam venerámur in terris, ab ejus Fílio coronári mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. Dominicæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 24.

In ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Allelúja, allelúja.

℣. Eccli. 45. Coróna aúrea super caput ejus expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis, allelúja.

℣. Ps. 20. Quóniam prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso, allelúja.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eam, Dómine, et constituísti eam super ópera mánuum tuárum.

℣. Quóniam prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso, allelúja, allelúja. ℣. Coróna aúrea super caput ejus expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis, allelúja.

 Inítium sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam, et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis: Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor, Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph, virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus. Credo.

Offertorium. Isai. 61. Induit eam Dóminus vestiméntis salútis, et induménto justítiæ, quasi sponsam decorátam coróna, allelúja.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus de glorióso Genitrícis Fílii tui triúmpho lætántes: cujus suffúlti præsídio, præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per eúmdem Dóminum.

Secreta Dominicæ.

Præfatio. Et te in solemnitáte.

Comunio. Sap. 5. Accépit regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini, quóniam déxtera sua reget eos, et bráchio sancto suo defféndet illos, allelúja.

Postcommunio.

Cœléstibus pasti delíciis, te súpplices deprecámur, Dómine Deus noster, ut sicut nobis in beatíssima Fílii tui Genitríce tutélam et præsídium contulísti: ita ejus so-

lémnia celebrántes, glóriæ corónam consequámur. Per eúmdem Dñm.

Póstcomm. Dominicæ, ejusque Evang. in fine.

Die 4. Maji.

Ss. Sindonis D. N. J. Chr.

Et in Missis votivis extra tempus Paschale.

Introitus. Philip. c. 2. Humiliávit semetípsum Dóminus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen, allelúja, allelúja. Extra temp. Pasch. omitt. Allelúja.

Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem, et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nobis in sancta Síndone, qua Corpus tuum sacratíssimum e Cruce depósitum a Joseph involútum fuit, Passiónis tuæ vestígia reliquísti: concede propítius; ut per mortem, et sepultúram tuam ad resurrectiónis glóriam perducámur: Qui vivis, et regnas.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Cap. 62.

Hæc dicit Dóminus Deus: Dícite fíliæ Sion: Ecce salvátor tuus venit: ecce merces ejus cum eo. Quis est iste qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego, qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua, sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea: et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi. Dies enim ultiónis in corde meo, annus redemptiónis meæ venit. Circumspéxi, et non erat auxiliátor: quæsívi, et non fuit qui adjuváret; et salvávit mihi bráchium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi. Et conculcávi pópulos in furóre meo, et inebriávi eos in indignatióne mea, et detráxi in terram virtútem eórum. Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus, quæ réddidit nobis Dóminus Deus noster.

Temp. Pasch. Allelúja, allelúja. ℣. Ave Rex noster, tu solus nostros es miserátus erróres. Allelúja. ℣. Tibi glória Hosánna, tibi triúmphus, et victória, tibi summæ laudis, et honóris coróna. Allelúja.

Extra tempus Paschale:

Graduale. Ps. 68. Impropérium exspectávit cor meum, et misériam: et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit: et consolántem me quæsívi, et non invéni. ℣. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Allelúja, allelúja. ℣. Ave Rex noster, tu solus nostros es miserátus erróres, Patri obédiens ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúja.

A Septuag. usqu. ad Pasch. omiss. Allelúja, et Versu sequenti, dicit.

Tractus. Is. 53. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. ℣. Et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. ℣. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitá-

tes nostras, attrítus est propter scélera nostra. ℣. Disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Cap. 11.

IN illo témpore: Cum jam sero esset factum, quia erat Parascéve, quod est ante Sábbatum, venit Joseph ab Arimathǽa nóbilis decúrio, qui et ipse erat exspéctans regnum Dei, et audácter introívit ad Pilátum et pétiit Corpus Jesu. Pilátus autem mirabátur, si jam obiísset: et accersíto centurióne, interrogávit eum, si jam mórtuus esset. Et cum cognovísset a centurióne, donávit Corpus Joseph. Joseph autem mercátus Síndonem, et depónens eum invólvit Síndone, et pósuit eum in monuménto, quod excísum erat de petra, et advólvit lápidem ad óstium monuménti. Credo.

Offertorium. Ex. 28. Ingréssus Aaron tabernáculum, ut holocaústum offérret super altáre pro peccátis filiórum Israël, túnica línea indútus est, allelúja.

Secreta.

Accépta tibi, Dómine, sint hæc múnera, cui pro mundi salúte grata éxstitit Fílii tui Pássio gloriósa. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Marci 15. Joseph autem mercátus Síndonem, et depónens eum invólvit Síndone. Allelúja.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris, quǽsumus, ut per temporálem Fílii tui mortem, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedísse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dñm.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Missa. Protexísti. de Com. unius Mart. Temp. Pasch. Evang. Nihil est opértum. ex Missa. Lætábitur. Orationes ut in Appendice pro aliquibus locis.

Die 1. Junii.

B. Mariæ V. de Gratia.

Missa ut in festo Ss. Nominis Mariæ (Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem B. M. V.) Servatis servandis Tempore Paschali.

Oratio.

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti: concéde; ut quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Temp. pasch. omitt. Grad. et dicit. Allelúja, allelúja. ℣. Num. 17. Virga Jesse flóruit: Virgo Deum, et hóminem génuit, pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis, allelúja. ℣. Luc. 1. Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, allelúja.

Die 6. Junii.

Insignis Miraculi

Ss. Corporis D. N. J. C.

(Hac die in urbe Taurinensi an. 1453 patrati.)

Introitus. Isaiæ 12.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit, allelúja; annuntiáte hoc in univérsa terra; allelúja. Exsúlta, et lauda habitátio Sion, quia magnus in médio tui sanctus Israël, allelúja, allelúja. Ps. 97. Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui ad augéndam inter nos fámulos tuos erga fídei mystérium pietátem, dilectiónis tuæ mirábile signum relínquere disposuísti: concéde propítius; ut qui Unigénitum tuum, quem in hoc Sacraménto pio afféctu venerámur, æternáliter in cœlis possidére mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isai. 62.

Propter Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor justus ejus, et Salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt gentes justum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum: et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultra derelícta: et terra tua non vocábitur ámplius desoláta: sed vocáberis volúntas mea in ea, et terra tua inhabitábitur.

Graduale. Ps. 117. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me. ℣. Ps. 115. Tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Allelúja, allelúja.

℣. Eucharística hóstia descéndit, et in cálice a sacri Antístitis mánibus porrécto plácide sistit, allelúja.

Temp. pasch. omisso Graduali dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Paralip. 16. Narráte in géntibus glóriam ejus: in cunctis pópulis mirabília ejus, allelúja. ℣. Labénte ipsa Hierothéca, stat sola orbiculáris panis spécies in äëre péndula, atque attónitis cívibus spectántibus sole clárior effúlget, allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quod abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Etiam Pater: quóniam sic plácuit ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo, et nemo scit quis sit Fílius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Et convérsus ad discípulos suos dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt; et audíre quæ audítis, et non audiérunt. Credo.

Offertorium. Is. 25. Dómine, Deus meus es tu, exaltábo te, et confitébor nómini tuo, quóniam fecísti mirabília. Allelúja.

Secreta.

Clementíssime Deus, hæc múnera tibi obláta propítius réspice; ut dum Unigéniti Fílii tui sacra renovámus mystéria, eórum copiósum fructum cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio. Ps. 117. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Allelúja.

Postcommunio.

Dómine Deus, qui ab hæresi minitánte Patrum nostrórum fidem singulári prodígio defendísti: rénova super nos consuétam misericórdiam tuam; et advérsus late grassántem incredulitátem, fidem nostram sub tégmine alárum tuárum propítius custódi. Per Dóminum.

Die 15. Junii.

S. Bernardi a Mentone Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco.

Oratio.

Extende, quæsumus Dómine, super plebem tuam déxteram cœléstis auxílii: et intercedénte beáto Bernárdo Confessóre tuo, cunctas diáboli nequítias ab ea longe repélle. Per Dóminum.

Die 18. Junii.

S. Theobaldi Roggerii Conf.

Missa. Justus. de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui in húmili vita, et mirábili beáti Theobáldi caritáte evangélicæ perfectiónis exémplum ostendísti: concéde propítius; ut cujus patrocínio gloriámur, virtútes imitémur, ac ipsíus intercessióne grátiæ tuæ dona capiámus. Per Dóminum.

Secreta.

Vota, quæ tibi offérimus, Dómine, beáti Theobáldi intercessióne cleménter exaúdi: ut mundánis expedíti cupiditátibus, te solum pura mente quærámus. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, sacris mystériis, concéde: ut sancti Theobáldi consórtio pérfrui mereámur in cœlis, cujus patrocínio lætámur in terris. Per Dóminum.

Die 20. Junii.

B. M. V. de Consolatione.

Missa. Salve. ut in Votivis a Pentecoste ad Adventum. Credo. Præf. Et te in festivitáte.

Die 25. Junii.

S. Maximi Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui ad erudiéndos pópulos, et in via salútis promovéndos, beátum Máximum Confessórem tuum atque Pontíficem singulári sapiéntia, et admirábili caritáte decorásti: concéde propítius; ut ejus mónita, et exémpla secúti ad ætérnæ vitæ præmia, ipsíus suffragántibus méritis, perveníre felíciter mereámur. Per Dóminum.

Die 29. Junii.

Commemoratio

Omnium Ss. Apostolorum

in festo Ss. Apost. Petri et Pauli facienda.

Oratio.

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Secreta.

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerántes, quæsumus, ut eam sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine, sacraméntis supplíciter exorámus: ut intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Die 3. Julii.

S. Prosperi Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Oratio.

Ecclésiam tuam, quǽsumus Dómine, grátia cœléstis amplíficet, quam beáti Prósperi Confessóris tui atque Pontíficis illustráre voluísti gloriósis méritis et doctrínis. Per Dóminum.

Die 17. Julii.

S. Alexii Confessoris.

Missa ut in Missali, sed prima.

Oratio.

Deus, qui beátum Aléxium Confessórem tuum in mundi contémptu mirábilem effecísti: præsta, quǽsumus; ut intercessiónis ejus auxílio, fidéles tui terréna despíciant, et ad cœléstia semper aspírent. Per Dóminum.

Die 18. Julii.

S. Brunonis Episc. Conf.

Missa. In médio. de Comm. Doct. Comm. Ss. Symphorosæ et filiorum ejus Mart., et dicitur Credo.

Die 24. Julii.

S. Christinæ Virg. et Mart.

Missa ut in festo S. Agnetis (21. Januarii) mutato nomine in Orationibus, et fit comm. Vigiliæ S. Jacobi cum Evang. in fine.

Die 27. Julii.

S. Pantaleonis Mart.

Missa. Lætábitur. de Com̃. unius Mart. 2. loco.

Oratio.

Deus, qui beátum Pantaleónem Mártyrem tuum vária torménta superáre fecísti, et pro persecutóribus exoráre: concéde propítius; ut, qui ejus implorámus auxílium, misericórdiæ tuæ sentiámus effectum. Per Dóminum.

Die 2. Augusti.

B. Mariæ V. de Succursu.

Missa. Salve. ut in votivis a Pentecoste ad Adventum. Credo, Præfatio. Et te in festivitáte.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri beátam Vírginem Maríam Unigéniti Fílii tui Matrem esse voluísti: da nobis, quǽsumus; ut ea intercedénte diabólica vitáre contágia et sincéra tibi mente servíre valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Die 7. Augusti.

S. Donati Episc. Mart.

Missa. Gaudeámus. ut in festo S. Josaphat (in Missali die 14. Nov.) mutato nomine. Orationes vero ut in Missali hac die inter Missam S. Cajetani.

Die 9. Augusti.

S. Eusebii Episc. Mart.

Introitus. Ps. 20.



IN virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Ps. ib. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Sancti Eusébii Pontíficis tui et Mártyris ánnua festa recoléntes, quǽsumus, Dómine; ut quæ tuórum nobis sunt instruménta præséntium, fiant æternórum patrocínia gaudiórum. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2. Timoth. 2.

Caríssime: Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse

a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Ps. 20. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúja, allelúja.

℣. Dómine, in virtúte tua lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus Pharisǽis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli; et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera propítius obláta, quæ majestáti tuæ beátus Eusébius Póntifex tuus et Martyr comméndet. Per Dñm.

Communio. Ps. 20. Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

Præsta quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Eusébio, Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Die 11. Augusti.

S. Stephani Pap. et Mart.

Missa propria in Missali die 2. Augusti post Missam S. Alphonsi.

Die 14. Augusti.

S. Philumenæ Virg. Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. Mart. 1. loco. et fit comm. Vigiliæ Assumpt. B. M. V. et S. Eusebii. Evang. Vigiliæ in fine.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Missa. Justus. de Comm. Conf. non Pont. 2. loco. cum Evang. Homo quidam. ut in Festo S. Humberti pag. 7*.

Oratio.

Pópulum tuum, quǽsumus Dómine, contínua pietáte custódi;

et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dñm.

Die 19. Augusti.

B. Ludovicæ a Sabaudia Vid.

Missa. Cognóvi. de Comm. nec Virg. nec Mart.

Oratio.

Deus, qui in beáta Ludovíca per omnes vitæ sémitas tradúcta singuláre virtútis exémplum proposuísti: concéde; ut in via, qua nos vocásti, ejúsdem vestígia sequámur, et cum ipsa ad te perveníre mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Beátæ Ludovícæ solemnitáte hæc tibi múnera deferéntes, quæsumus Dómine; ut ipsíus précibus et exémplo terréna despiciámus, et inquirámus ætérna. Per Dñm.

Postcommunio.

Angelórum esca nutríti, concéde, quæsumus Dómine; ut amóris tui flamma, qua beáta Ludovíca æstuábat, veheméntior in córdibus nostris quotídie accendátur. Per Dóminum nostrum.

Dominica ultima Augusti.

Anniversarium

Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, et **Omnium Ecclesiarum Consecratarum Civitatis et Diœcesis.**

Omnia de Com̃. Dedicat. Ecclesiæ. Et dicitur Credo per totam Oct.

Die 1. Septembris.

S. Verenæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. non Mart.

Die 3. Septembris.

S. Germani Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 11. Septembris.

S. Gunifortis Martyris.

Missa. In virtúte. de Com̃. unius Mart. cum Evang. ex Missa. Státuit.

Die 12. Septembris.

S. Alexandri Martyris.

Missa. Lætábitur. de Com̃. unius Mart.

Oratio.

Deus qui nos beáti Alexándri Mártyris tui confessióne gloriósa circúmdas et prótegis: da nobis, quæsumus; ejus imitatióne profícere, et oratióne gaudére. Per Dñm.

Secreta.

Accépta tibi sint, quæsumus Dómine, múnera, quæ in die solemnitátis beáti Mártyris tui Alexándri deférimus: ut sic majestáti tuæ sint plácita, sicut illíus effúsio Sánguinis apud te éxstitit pretiósa. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sumptis cœléstibus Sacraméntis et gaúdiis, súpplices te rogámus, Dómine; ut beáti Mártyris tui Alexándri, cujus gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dñm.

Die 3. Octobris.

S. Candidi Martyris.

Missa. Lætábitur. de Com̃. unius Mart.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem beáti Cándidi Mártyris tui triúmpho consecrásti; ejus méritis et intercessióne concéde: ut ánimas nostras propter te pérdere non timéntes, eas apud te inveníre valeámus. Per Dóminum.

Secreta.

DA nobis, Dómine, in festivitáte sancti Cándidi Mártyris tui cóngrua devotióne gaudére; ut et poténtiam tuam in ejus passióne

laudémus, et provísum nobis percipiámus auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti sacraméntis et gaúdiis, te Dómine deprecámur; ut ejus in cœlis mereámur habére consórtium, cujus in terris patrocínio lætámur. Per Dóminum.

Die 5. Octobris.

S. Antonini Martyris.

Missa. Lætábitur. de Com̃. unius Mart.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos beáti Antoníni Mártyris tui glorióso patrocínio circúmdas et prótegis: concéde propítius; ut tanto præsídio muníti certántes in terris, cum ipso quoque coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Secreta.

Vota tibi, Dómine, et sacrifícia nostra beáti Antoníni Mártyris tui precátio sancta commendet: qui sánguine suo laureátus, hóstiam majestáti tuæ plácitam immolávit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Grátias tibi reférimus, Dómine, qui nos sacri mystérii tui partícipes éfficis et minístros; tuam cleméntiam deprecántes: ut sancti Mártyris tui Antoníni nobis non desit orátio cujus donásti patrocínio gubernári. Per Dóminum.

Die 12. Octobris.

S. Petronii Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, solemnitátem hujus diéi propítius intuére; et Ecclésiam tuam, intercessióne beáti Petrónii Confessóris tui atque Pontíficis, perpétua fac celebritáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Hujus, Dómine, sacrifícii munus tua pétimus manu contíngi, quod beáti Petrónii Confessóris tui atque Pontíficis festivitáte offérimus exsultántes. Per Dóminum.

Postcommunio.

Beáti Confessóris tui atque Pontíficis Petrónii, Dómine, gaúdia votíva celebrántes: da, quǽsumus; ut per hæc sancta, quæ súmpsimus, misericórdiæ tuæ aúribus ipse comméndet. Per Dóminum.

Die 16. Octobris.

S. Gaudentii Episc. Mart. Arimini Patroni.

Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 19. Octobris.

S. Ugonis Canefri Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco.

Die 23. Octobris.

B. Mariæ Margaritæ Alacoque Virg.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias Cordis tui beátæ Margarítæ Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis ejus méritis et imitatióne; ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, jugem in eódem corde tuo mansiónem habére mereámur: Qui vivis et regnas.

Secreta.

Accépta tibi sint, Dómine, plebis tuæ múnera: et concéde; ut ignis ille divínus nos inflámmet, quo de corde Fílii tui emísso beáta Margaríta vehemé nter æstuávit. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Córporis et Sánguinis tui, Dómine Jesu, sumptis mystériis: concéde nobis, quæsumus; beáta Margaríta Vírgine intercedénte: ut supérbis sæculi vanitátibus exútis, mansuetúdinem et humilitátem cordis tui indúere mereámur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Die 25. Octobris.

Ss. Gavini, Proti et Januarii Martyrum.

Missa. Intret. de Com̃. plur. Mart. 1. loco.

Oratio.

Deus, qui per beátos Mártyres tuos Gavínum, Protum et Januárium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut quos patrónos venerámur in terris, intercessóres habére mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Die 7. Novembris.

S. Prosdocimi Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Prosdócimi Confessóris tui atque Pontíficis ministério ad agnitiónem tui sancti nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Secreta.

Hóstias, Dómine, laudis tuis altáribus adhibémus: quas ejus tibi patrocínio crédimus commendándas, cujus nos voluísti ad tuæ pietátis misericórdiam pervenire. Per Dóminum.

Postcommunio.

Beáti Prosdócimi Confessóris tui atque Pontíficis, Dómine, précibus confidéntes, quæsumus cleméntiam tuam; ut per ea, quæ súmpsimus, ætérna remédia capiámus. Per Dóminum.

DIE 10. NOVEMBRIS.

S. BAUDOLINI EPISCOPI CONFESSORIS PATRONI PRINCIPALIS TOTIUS DIŒCESIS.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco. Credo per totam Octavam.

Oratio.

Deus, qui propter mérita et oratiónes Sanctórum peccatóres supplicántes non déspicis: quæsumus; ut interveniénte S. Baudolíno, Protectóre nostro, sine te in hoc sæculo non vivámus, et ad te cum eo perveníre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut dum eórum mérita recólimus patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Baudolíno, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 27. Novembris.

B. Margaritæ a Sabaudia Vid.

Introitus. Ps. 118.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me: confíge timóre tuo carnes meas, a mandátis tuis tímui. Ps. ib. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.


Deus, qui beátam Margarítam a sǽculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde; ut ejus méritis, et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre: Qui vivis et regnas.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prov. 31.

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit: reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam, et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum, gustávit, et vidit, quia bona est negotiátio ejus. Non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananǽo. Fortitúdo, et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex clementiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Ps. 44. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex spéciem tuam.

Allelúja, allelúja. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro, quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quæréenti bonas margarítas. Invénta

autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 44. Fíliæ regum in honóre tuo, ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta.

Múnera, Dómine, nostræ devotiónis offérimus, ut tibi grata, et nobis salutária, beátæ Margarítæ pia supplicatióne reddántur. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

Quǽsumus, omnípotens Deus, ut quos salutáribus dignátus es erudíre mystériis, beátæ Margarítæ intercessióne gloriósa, cœléstibus refícias aliméntis. Per Dñm.

Die 29. Novembris.

S. Pontiani Papæ Mart.

Missa. Státuit. de Comm. unius Mart. Pont. 1. loco. cum Evang. Nihil est opértum. ex Missa. Lætábitur. de Comm. unius Mart. non Pont. 2. loco.

Dominica II. Novembris.

Patrocinii Beatæ Mariæ Virg.

Missa. Salve. votiva a Pentecoste usque ad Adventum præter sequ.

Oratio.

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus, ut fidéles tui, qui sub sanctíssimæ Vírginis Maríæ protectióne lætántur, ejus pia intercessióne a cunctis malis liberéntur in terris, et ad gaúdia ætérna perveníre mereántur in cœlis. Per Dñm.

Et dicitur Credo.

Præf. de B. Maria. Et te in Festivitáte.

Quum Proprium Missarum pro Diœcesi Alexandrina juxta novissimas Missalis Romani editiones redactum, et Ratisbonæ Typis Equitis Friderici Pustet S. R. C. Typographi excusum, adhibita diligenti, Nostro mandato et nomine, revisione, cum approbatis concordare compertum sit, illud evulgari et in usum tradi permittimus.

Datum Alexandriæ die 12. Martii 1886.

✠ **Petrus Jucundus** Episc.

(L. S.)

Canonicus Carolus Borgogno Secretarius.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 25. Martii 1886.

M. Dandl, Vic. in Spirit. Generalis.

Kalendarium.

NB. Missæ usque ad hanc diem ad universam Ecclesiam extensæ habentur in corpore Missalis. Aliæ speciatim huic Diœcesi concessæ habentur vel in hac Proprii Appendice, vel in Missis pro aliquibus locis in fine Missalis.

Januarii.

14. Ss. Reliquiarum quæ in Eccl. asservantur cum Commem. Translat. Ss. Laurentii et alior. Mm. fol. 2*
15. Translatio S. Mauritii Mart. 4*
19. S. Maximi a Valentia Ep. Conf. 4*
28. S. Juliani Ep. Conf. A. L.
29. S. Valerii Ep. Mart. 4*
30. B. Sebastiani Valfrè Conf. 4*
Feria III. post Dom. Septuag. Comm. Orationis D. N. J. C. A. L.
Feria III. post Dom. Sexages. Comm. Passionis D. N. J. C. A. L.

Februarii.

3. In Cathedrali S. Laurentii Mart. 4*
3. In Civitate et Diœcesi S. Blasii Ep. Mart. 4*
9. S. Agathonis Pap. Conf. A. L.
12. S. Ephysii Mart. 5*
13. S. Gregorii II. Pap. Conf. A. L.
17. Ss. Vigintisex Japonens. Mm. A. L.
27. S. Bassiani Ep. Conf. 6*
28. S. Gaudentii Ep. Conf. 6*

Martii.

1. S. Ildephonsi Ep. Conf. 6*
2. S. Geminiani Ep. Conf. 6*
6. S. Marciani Ep. Mart. 7*
11. B. Humberti III. a Sabaudia Conf. 7*
20. B. Bonifacii a Sabaudia Ep. Conf. 8*
22. S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ Vid. 8*
24. S. Anselmi Ep. Conf. 8*
29. S. Secundi Astensis Mart. 9*
30. B. Amadei a Sabaudia Conf. 9*
Feria VI. post Cineres. Ss. Spineæ Coronæ D. N. J. C. A. L.
Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. A. L.
Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Ss. Sindonis D. N. J. C. A. L.
Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Ss. Quinque Vulnerum D. N. J. C. A. L.
Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. A. L.

Aprilis.

6. B. Julianæ Cornelion. Virg. A. L.
8. S. Perpetui Turon. Ep. Conf. 9*
12. S. Julii Pap. Conf. A. L.
15. S. Zenonis Ep. Mart. 9*
16. S. Benedicti Josephi Labre Conf. A. L.
27. B. Alexandri Sauli Ep. Conf. A. L.
Dom. II. post Pascha. B. Mariæ V. a Salve. 10*
Dom. III. post Pascha. Octava B. M. V. a Salve. 11*
Dom. V. post Pascha. B. Mariæ V. de Bono silio. A. L.
Dom. infra Octav. Ascensionis. Anniversarium Coronationis B. Mariæ V. a Salve. 11*

Maji.

4. Ss. Sindonis D. N. J. Chr. 13*
15. S. Isidori Agricolæ Conf. A. L.
16. S. Joannis Nepomuceni Mart. 14*
24. B. Mariæ V. Auxilium Christianorum. A. L.
28. S. Urbani I. Pap. Mart. A. L.
29. S. Eleutherii Pap. Mart. A. L.

Junii.

1. B. Mariæ V. de Gratia. 14*
2. S. Joannis I. Pap. Mart. A. L.
3. S. Felicis I. Pap. Mart. A. L.
6. Insignis Miraculi Ss. Corporis Christi 14*
15. S. Bernardi a Mentone Conf. 16*
18. S. Theobaldi Roggerii Conf. fol. 16*
20. B. Mariæ V. de Consolatione. 16*
25. S. Maximi Taurin. Ep. Conf. 16*
29. Commemoratio Omnium Ss. Apostolorum. 16*
Feria VI. post Octav. Ss. Corporis Christi. Ss. Cordis Jesu; Missa Egredímini. A. L.
Dom. III. post Pentec. Purissimi Cordis B. M. V. Missa Omnis glória. A. L.

Julii.

3. S. Prosperi Ep. Conf. 16*
7. S. Laurentii a Brundusio Conf. A. L.
9. B. Benedicti XI. Pap. Conf. A. L.
17. S. Alexii Conf. 17*
18. S. Brunonis a Solerio Ep. Conf. 17*
24. S. Christinæ Virg. Mart. 17*
27. S. Pantaleonis Mart. 17*
29. S. Felicis II. Pap. Mart. A. L.
Dom. I. non impedita post Octav. Ss. Apost. Comm. Omn. Ss: Summor. Pontif. Missa Congregáte. A. L.
Dom. III. Juli. Ss. Redemptoris. A. L.

Augusti.

2. B. Mariæ V. de Succursu. 17*
7. S. Donati Ep. Mart. 17*
9. S. Eusebii Ep. Mart. 17*
11. S. Stephani Pap. Mart. 18*
13. S. Xysti Pap. Mart. A. L.
14. S. Philumenæ Virg. Mart. 18*
16. S. Rochi Confess. 18*
19. B. Ludovicæ a Sabaudia Vid. 19*
Dom. ult. Augusti. Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedr. et Omn. Eccl. consecr. 19*

Septembris.

1. S. Verenæ Virg. 19*
3. S. Germani Ep. Conf. 19*
4. S. Rosaliæ Panormit. Virg. A. L.
9. S. Claræ a Montefalco Virg. A. L.
11. S. Gunifortis Mart. 19*
12. S. Alexandri Mart. 19*

Octobris.

3. S. Candidi Mart. 19*
5. S. Antonini Mart. 20*
11. S. Ludovici Bertrandi Conf. A. L.
12. S. Petronii Ep. Conf. 20*
14. S. Callisti I. Pap. et Mart. A. L.
16. S. Gaudentii Ep. Mart. 20*
19. S. Ugonis Canefri Equit. Jerosol. Conf. 20*
23. B. Mariæ Margaritæ Alacoque Virg. 20*
25. Ss. Gavini, Proti et Januarii Mm. 20*
27. S. Bonifacii Pap. Conf. A. L.
Dom. II. Oct. Maternitas B. M. V. A. L.
Dom. III. Oct. Puritas B. M. V. A. L.

Novembris.


7. S. Prosdocimi Ep. Conf. 20*
10. S. Baudolini Ep. Conf. 20*
13. S. Stanislai Kostkæ Conf. A. L.
26. S. Leonardi a Portu Mauritio Conf. A. L.
27. B. Margaritæ a Sabaudia Vid. 21*
29. S. Pontiani Pap. Mart. 21*
Dom. II. Nov. Patrocinium B. M. V. 21*

Decembris.

1. S. Gelasii Pap. Conf. A. L.
5. S. Dalmatii Ep. Mart. 1*
9. S. Syri Ep. Conf. 1*
14. S. Homoboni Conf. 1*
16. S. Columbani Abb. 2*
26. Comm. Omn. Ss. Martyrum. 2*

Ratisbonæ 1886. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. Typographi.

9



Die VI. DECEMBRIS.

IN FESTO **S. NICOLAI** EPISC. ET CONF.,

PATRONI PRINCIPALIS PROVINCIÆ BARENSIS.

Introitus. Is. 58.

CUm effúderis esuriénti ánimam tuam, oriétur sicut merídies lux tua, et ossa tua Dóminus liberábit, erísque sicut hortus irríguus et sicut fons, cujus non defíciunt aquæ.

Ps. 12. Cantáte Dómino quóniam magnífice fecit; annuntiáte hoc in univérsa terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beatíssimum Nicoláum gloriósum Confessórem tuum atque Pontíficem, innúmeris decorásti, et quotídie non cessas decoráre miráculis: tríbue, quǽsumus; ut ejus méritis et précibus a gehénnæ incéndiis et perículis ómnibus liberémur. Per Dóminum.

In Festo Translationis.

Oratio.

Deus, cujus mirábili providéntia Sanctórum tuórũ córpora per divérsas terrárum partes disponúntur: da nobis, quǽsumus, ut qui sancti Pontíficis tui Nicolái Translatiónem cólimus, ejus intervéntu, de labóre ad réquiem, de ténebris ad lucem, quæ Christus est, transférri mereámur. Per eúmdem Dñm.

In Festo Patrocinii. Oratio.

Deus, qui nobis beátum Nicoláum Pontíficem exímiæ castitátis exémplar dedísti: tríbue, quǽsumus; ut, ejus imitatióne, cujus patrocínium recólimus, castitátem mentis et córporis serváre, et ad cœléstes cum Agno núptias perveníre mereámur: Qui tecum.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isaiæ 49.

Dóminus dixit ad me: Servus meus es tu, quia in te gloriábor. In témpore plácito exaudívi te, et in die salútis auxiliátus sum tui: et servávi te, et dedi te in fœdus pópuli, ut suscitáres terram, et possidéres hæreditátes dissipátas: ut díceres his qui vincti sunt: Exíte: et his, qui in ténebris: Revelámini. Super vias pascéntur, et in ómnibus planis páscua eórum. Non esúrient, neque sítient, et non percútiet eos æstus et sol: quia miserátor eórum reget eos, et ad fontes aquárum potábit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, et sémitæ meæ exal-

tabúntur. Ecce isti de longe vénient, et ecce illi ab Aquilóne et mari, et isti de terra Austráli. Laudáte cœli, et exsúlta terra, jubiláte montes laudem: quia consolátus est Dóminus pópulum suum, et paúperum suórum miserébitur.

Graduale. Is. 22. Vocábo servum meum, et confortábo eum; et potestátem dabo in manu ejus, et erit quasi pater pópulo suo. ℣. Quia factus est fortitúdo paúperi, fortitúdo egéno in tribulatióne sua.

Allelúja, allelúja.

℣. Ib. 11. Stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur, et erit sepúlchrum ejus gloriósum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et versu sequenti, dicitur:

Tractus. Matth. 6. Te faciénte eleemósynam nésciat sinístra tua quid fáciat déxtera tua: ut sit eleemósyna tua in abscóndito, et pater tuus, qui videt in abscóndito, reddet tibi.

℣. Tob. 14. Bona est orátio cum jejúnio et eleemósyna magis quam auri thesaúros recóndere.

℣. Quóniam eleemósyna a morte líberat, et facit inveníre misericórdiam et vitam ætérnam.

Temp. pasch. omittitur Graduale, et ejus loco dic.: Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 34. Anima mea exsultábit in Dómino, et delectábitur super salutári suo: ómnia ossa mea dicent: Dómine quis símilis tibi. Allelúja.

℣. Phil. 1. Magnificábitur Christus in córpore meo sive per vitam, sive per mortem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10.

IN illo témpore misit Jesus duódecim discípulos suos, præcípiens eis, dicens: In viam Géntium ne abiéritis et in civitátes Samaritanórum ne intravéritis, sed pótius ite ad oves, quæ periérunt domus Israël. Eúntes autem prædicáte, dicéntes: Quia appropinquávit regnũ cœlórum. Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite: gratis accepístis, gratis date. Nolíte possidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis vestris: non peram in via neque duas túnicas, neque calceaménta, neque virgam: dignus est enim operárius cibo suo.

Credo.

Offertorium. Ps. 117. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, déxtera Dómini fecit virtútem: non móriar, sed vivam et narrábo ópera Dómini.

Secreta.

Multiplicátis circa nos miseratiónibus tuis grátias ágimus, Dómine, humíliter deprecántes, ut, sicut beatíssimum Nicoláum virtútum et miraculórum glória sublimásti, ita bonórum óperum testimónio nos prælucére concédas. Per Dñm.

Præfatio propria.

Coñunio. Hebr. 2. Miséricors factus est et fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli, potens et eis qui tentántur auxiliári.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Nicoláum spíritus sciéntia illustrátum caritátis incéndio æstuáre fecísti: da nobis, ipsíus intercessióne, eámdem fídei et caritátis virtútem; ut temporália despiciéntes, ad cœléstia tota mentis intentióne festinémus. Per Dóminum.

Concordat cum Originali. In fidem etc.
Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 22. Junii 1887.

Pro **R. P. D. Laurentio Salvati** Secretario

(L. S.) **Joannes Ponzi** Substitutus.

In Festo **S. Nicolai** Episc. et Conf.

Præfatio propria.

Per ómni-a sǽ-cu-la sæcu-ló-rum.

℟. Amen. ℣. Dó-minus vo-bís-cum.

℟. Et cum spí-ri-tu tu-o. ℣. Sur-sum cor-da. ℟. Ha-bé-mus ad Dó-mi-num. ℣. Grá-ti-as a-gá-mus Dó-mi-no De-o nostro. ℟. Dignum et ju-stum est. Ve-re di-gnum et justum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper et u-bíque grá-ti-as á-ge-re, Dómi-ne sanc-te, Pa-ter omní-po-tens, æ-térne De-us:

Qui be-a-tís-simum Ni-co-lá-um, ca-ri-tá-tis tu-æ dulcé-di-ne de-li-bú-tum bonórum óperum incremén-tis, multísque virtútum donis ex-orná-sti: e-úmque Ecclési-æ tu-æ ád-e-o strénu-um fí-de-i as-sertó-rem de-dí-sti, ut quam verbo et ó-pe-re dó-cu-it, signis in u-ni-vérso mundo pro-bá-vit, ab hæré-ti-ca pravi-tá-te in torméntis quoque de-fén-dit, mi-ra-cu-lórum cópi-a

con-firmá-re non dé-si-nat. Et
íd-e-o magni-fi-cén-ti-am tu-am
in hu-jus sancti Pontí-fi-cis glori-
fi-ca-ti-ó-ne ex-sultántibus á-ni-
mis col-lau-dámus: sed et supérnæ
virtú-tes atque angé-li-cæ po-te-
stá-tes hymnum ma-jestá-ti tu-æ
cón-ci-nunt si-ne fi-ne di-cén-tes.

Præfatio sine cantu.

Per ómnia sǽcula sæçulórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: Qui beatíssimum Nicoláum, caritátis tuæ dulcédine delibútum bonórum óperum increméntis, multísque virtútum donis exornásti: eúmque Ecclésiæ tuæ ádeo strénuum fídei assertórem dedísti, ut quam verbo et ópere dócuit, signis in univérso mundo probávit, ab hærética pravitáte in torméntis quoque deféndit, miraculórum cópia confirmáre non désinat. Et ídeo magnificéntiam tuam in hujus sancti Pontíficis glorificatióne exsultántibus ánimis collaudámus: sed et supérnæ virtútes atque angélicæ potestátes hymnum majestáti tuæ cóncinunt sine fine dicéntes.

Concordat cum Originali. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 22. Junii 1887.

Pro **R. P. D. Laurentio Salvati** Secretario

(L. S.) **Joannes Ponzi** Substitutus.

Ratisbonæ. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

APPENDIX MISSARUM
PRO DIŒCESI BOBIENSI.

Die 4. Decembris.
S. Barbaræ Virg. et Mart.
Duplex.
Missa. **Loquébar.** de Communi Virginis et Martyris.
Oratio.

Intercéssio, quǽsumus Dómine, beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ, ab omni nos adversitáte prótegat; ut per ejus intervéntum, gloriosíssimum Sacrosáncti Córporis et Sánguinis Dómini Nostri Jesu Christi Sacraméntum, ante diem éxitus nostri, per veram pœniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur. Qui tecum vivit.

Die 17. Decembris.
S. Bobuleni Abbatis.
Duplex majus.
(S. R. C. 24. Sept. 1827.)
Missa. **Os justi.** pro Abbat.

Die 26. Decembris.
Commemoratio
Omnium Ss. Martyrum.
Oratio.

Deus, qui nos concédis ómnium sanctórum Mártyrum tuórum commemoratiónem cólere: da nóbis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum Mártyrum tuórum tibi grata sint honóre, et nobis salutária, te miseránte, reddántur.

Postcommunio.

Præsta nobis, quǽsumus Dómine, intercedéntibus ómnibus sanctis Martýribus tuis: ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus.

Die 15. Januarii.
Translationis
S. Mauritii Mart. Patroni totius ditionis Regis Sardiniæ.
Dupl. 1. cl. cum oct.
(Brev. Pii VI. 26. Maji 1786.)
Missa. **In virtúte tua.** de Communi unius Mart. non Pont. Evangelium. **Si quis venit ad me.** ex Missa. **Státuit.** et **Credo.**
Oratio.

Annue, quǽsumus, omnípotens Deus, ut sancti Mártyris tui Maurítii nos lætíficet festíva solémnitas; ut, cujus suffrágiis nítimur, ejus translatióne gloriémur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Réspice, quǽsumus, Dómine, múnera, quæ in sancti Mártyris tui Maurítii commemoratióne deférimus; et præsta, ut, cujus honóre sunt grata, ejus nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti Sacraméntis, et gaúdiis, súpplices te rogámus, Dómine, ut, cujus gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum nostrum.

Die 19. Januarii.
S. Deicolæ Abb. et Discip. S. Columbani.
Duplex.
(S. R. C. 21. Febr. 1851.)
Missa. **Os justi.** pro Abbat.

Die 28. Januarii.
S. Vicinii Episc. Conf.
Duplex.
Missa. Státuit. de Communi Confessoris Pontificis.

Die 30. Januarii.
B. Sebastiani Valfré Conf.
Duplex.
(S. R. C. 21. Febr. 1851.)
Missa. Os justi. de Comuni Confessoris non Pontificis.

Oratio.

Da nobis, quǽsumus Dómine, ita pro animárum subsídio in tua dilectióne manére, sicut beátum Sebastiánum Confessórem tuum ad multórum salútem novum tibi sacerdótem fidélem suscitásti. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Beáti Sebastiáni Confessóris tui, Dómine, vestígiis inhæréntes fac nos sacri altáris mystérium et pura tractáre manu, et digno prósequi piæ devotiónis affèctu. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Vitáli, Dómine, Sacraménto reféctos beáti Sebastiáni Confessóris tui méritis ita nos protegéndo confírma, ut quibus dedísti grátiam, largiáris et glóriam. Per Dóminum nostrum.

Die 11. Februarii.
S. Ildephonsi Episc. et Conf.
Duplex.
Missa. In médio. de Com̃. Doct. sine Credo.

Oratio.

Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem beátum Ildephónsum Confessórem tuum atque Pontíficem, misso de thesaúris cœléstibus múnere, decorásti: concéde propítius, ut per ejus preces et mérita, múnera capiámus ætérna. Per eúmdem Dóminum.

Secreta.

Sancti Ildephónsi Confessóris tui atque Pontíficis, quǽsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Ildephónsi Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Die 12. Februarii.
S. Mauri Abbatis.
Duplex.
(S. R. C. 9. Jul. 1822.)
Missa. Os justi. pro Abbat.

Die 16. Februarii.
S. Ephysii Martyris.
Duplex.
(S. R. C. 17. Aug. 1793.)

Introitus. Ps. 16.


robásti, Dómine, cor meum, et visitásti nocte: igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas. Ps. 33. Benedícam Dóminum in omni témpore, semper laus ejus in ore meo.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui per Crucem et passiónem tuam mundum vicísti, eodémque signo mirábili beátum Ephýsium Mártyrem tuum fídei præcónem deléctum ad converténdas infidélium gentes cœlitus vocáre dignátus es; præsta quǽsumus, ut quem fídei propagatórem habúimus in terris, intercessórem gloriósum habére mereámur in cœlis. Qui vivis, et regnas.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 10. b.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam Sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum, custodívit illum ab inimícis et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam: et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant, et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam Dóminus Deus noster.

Graduale. Exod. 15. Gloriósus Deus in Sanctis suis: mirábilis in majestáte fáciens prodígia.
℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 3. Beátus vir, qui timet Dóminum; in mandátis ejus cupit nimis, allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Vers. seq. dicitur:

Tractus. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.
℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis.
℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽũ. Matth. 10. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam, et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat fílium, aut fíliam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam, et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

Offertorium. Ps. 112. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta.

Sancti Ephýsii Mártyris tui précibus, hæc oblátio, Dómine, ad perpétuam, ac præséntem profíciat prosperitátem, et pacem. Per Dñm.

Communio. Ps. 20. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus Dómine Deus noster, ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Ephýsio Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

Die 18. Februarii.

S. Juliani Episcopi et Conf.

Semiduplex.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. præter Orationem, et Evangel. ut infra:

Oratio.

Excita, quǽsumus, Dómine, in pópulo tuo Spíritum caritátis, quo beátum Juliánum Confessórem tuum, atque Pontíficem replére dignátus es; et concéde, ut cujus festivitátem celebrámus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum .... in unitáte ejúsdem.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽũ. Matth. 6. 19.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte thesaurizáre vobis thesaúros in terra, ubi ærúgo et tínea demolítur; et ubi fures effódiunt, et furántur. Thesaurizáte autem vobis thesaúros in cœlo, ubi neque ærúgo, neque tínea demolítur; et ubi fures non effódiunt, nec furántur. Ubi enim est thesaúrus tuus, ibi est et cor tuum.

Die 19. Februarii.
S. Cumiani Episc. et Conf.
Duplex.
(S. R. C. 24. Novembris 1827.)

Missa. Státuit. de Communi Confessoris Pontificis.

Die 20. Februarii.
S. Josephi a Leonissa Conf.
Duplex.
(S. R. C. 24. Novembris 1827.)

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pontif. 2. loco. Evang. Designávit. ut in Missa S. Ignatii die 31. Julii.

Oratio.

Deus fidélium remunerátor servórum, qui beátum Joséphum exímium in Evangélica prædicatióne operárium effecísti: ejus, quǽsumus, intercessióne concéde, ut a grato tibi servítio numquam cessémus in terris, et plenam a te mercédem recipiámus in cœlis. Per Dóminum.

Die 25. Februarii.
S. Margaritæ de Cortona.
Duplex.

Missa prop. Cognóvi. inter festa pro aliqu. locis die 26. Februarii.

Die 27. Februarii.
S. Angelæ Mericiæ Virg.
Duplex.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. Orationes prop. in Append. Miss.

Die 1. Martii.
S. Donati Martyris.
Duplex.

Missa. In virtúte. de Com̃. unius Mart. non Pont. Evang. Si quis vult. ex Missa. Sacerdótes Dei.

Die 3. Martii.
S. Cunegundis Virginis.
Duplex.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.

Die 5. Martii.
B. Humberti III. Sabaud. Comit. Confessoris.
Duplex.
(S. R. C. 23. Febr. 1839.)

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. Evang. Homo quidam nóbilis. ut in Missa S. Ludovici die 25. Augusti.

Oratio.

Deus, qui beátum Humbértum cœlésti regno terrénum postpónere, et crucis mortificatiónem ampléctì docuísti: da nobis quǽsumus, ejus intercessióne, et exémplo terréna despícere, atque ætérna sectári. Per Dóminum.

Secreta.

Hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, Unigéniti Fílii tui Passiónis mystéria renovántes, amórem tuum nostris pectóribus ínserat, quo beáti Humbérti cor æstuábat. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Cœlésti dape refécti, te, Dómine, deprecámur, ut beáti Humbérti méritis et exémplo, mundánis cupiditátibus expedíti, gaúdia cum ipso cónsequi mereámur ætérna. Per Dóminum.

Die 6. Martii.
S. Marciani Episc. et Mart.
Duplex.
(S. R. C. 24. Nov. 1827.)

Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 10. Martii.

S. Attalæ Abbatis.

Duplex.

Missa. Os justi. pro Abbat.

Die 13. Martii.

S. Joannis Josephi a Cruce

Confessoris.

(S. R. C. 31. Aug. 1839.)

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pont. 2. loco.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Joséphum Confessórem tuum per árduas paupertátis, humilitátis, et patiéntiæ vias cœlésti glória sublimásti: da nobis quǽsumus, ut carne mortificáti ejus imitémur exémpla, et gaúdiis perfruámur ætérnis. Per Dóminum.

Secreta.

Eo caritátis ardóre, quo beátus Joánnes Joséphus Agnum immaculátum, qui ábstulit peccáta mundi, méruit immoláre, fac nos propitiatiónis hóstiam tibi dignánter offérre. Per Dóminum.

Postcommunio.

Concéde, quǽsumus, Dómine Jesu Christe, ut quos salutáribus mystériis refícere dignátus es, beáti Joánnis Joséphi exémplo, vivíficæ cruci júgiter adhæréntes, úberem passiónis tuæ fructum percípere mereámur. Qui vivis et regnas.

Die 14. Martii.

S. Leandri Episcopi et Confess.

Duplex.

Missa. In médio. de Comm. Doct. sine Credo. præter Orat., Secreta et Postcomm. quæ sumuntur ex Missa. Sacerdótes. de Communi Confessoris Pontificis.

Die 22. Martii.

S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ

Viduæ. Duplex.

(S. R. C. 17. Julii 1835.)

Missa. Cognóvi. de Comm. nec Virg. nec Mart.

Oratio.

Deus, qui beátam Catharínam in contemplánda Fílii tui passióne divíni amóris igne flagráre fecísti, quǽsumus, ut, ipsa intercedénte, tuæ in nobis flammam caritátis accéndas, et ejúsdem passiónis partícipes dignánter effícias. Per eúmdem Dóminum.

Die 29. Martii.

S. Eustasii Abbatis Discipuli S. Columbani.

Duplex.

(Decr. S. R. C. 20. Mart. 1862.)

Missa. Os justi. pro Abbat.

Die 30. Martii.

B. Amedei IX. Ducis Sabaudiæ III. Confessoris. Duplex.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. Evang. Homo quidam nóbilis. ut in Missa S. Ludovici die 25. Augusti.

Oratio.

Deus, qui beátum Amedéum Confessórem tuum de terréno principátu ad cœléstem glóriam transtulísti: da nobis, quǽsumus, ut ejus méritis, et imitatióne sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum nostrum.

Die 8. Aprilis.

S. Alberti Episcopi Bobii, et Conf.

Duplex.

(S. R. C. 21. Aprilis 1736.)

Missa. Státuit. de Communi Confessoris Pontificis.

Oratio.

Tuæ benedictiónis plenitúdo super nos, quǽsumus, Dómine, copiósa descéndat, et júgiter sancti Albérti Confessóris tui, atque Pontíficis placáre suffrágiis. Per Dóminum nostrum.

Die 14. Maji.

S. Peregrini Latiosi Conf.

Duplex.

(S. R. C. 24. Nov. 1827.)

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pont. 2. loco.

Oratio.

Deus, qui beáto Peregríno Angelum cómitem, magístram Deíparam, Jesum tetri úlceris médicum mire dedísti, da per mérita ipsíus, obsecrámus, ut Sanctum Angelum, Vírginem, Salvatórem singuláriter et amémus in terris, et collaudémus in cœlis. Per eúmdem Dñm.

Die 15. Maji.

S. Isidori Agricolæ Conf.

Duplex.

(S. R. C. 9. Jul. 1822.)

Missa prop. Justus. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Duplex.

Tempore Paschali. Missa. Protexísti. de Comm. unius Mart. cum Evang. Nihil est opértum. ex Missa. Lætábitur. Extra tempus Paschale. Missa. Lætábitur.

Oratio.

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium, nova Ecclésiam tuam martýrii coróna decorásti: da nobis ejus intercessióne et exémplo, linguam caute custodíre; ac ómnia pótius mala, quam ánimæ detriméntum, in hoc sǽculo toleráre. Per Dñm.

Secreta.

Per hæc tua, Dómine, sacra mystéria illo nos caritátis igne accendámur, quo ínclytus Martyr Joáñes éadem peragéndo flagrábat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Spíritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cœléstis: quæ beáti Mártyris tui Joánnis pro sacraménti honóre tentátam constántiam, júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

Die 21. Maji.

S. Felicis a Cantalicio Conf.

Duplex.

(S. R. C. 21. Febr. 1851.)

Missa propria ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 23. Maji.

S. Francisci de Hieronymo Conf. Societatis Jesu.

Duplex.

(S. R. C. 31. Augusti 1839.)

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco.

Oratio.

Deus, qui beátum Francíscum ad animárum salútem exímium verbi tui præcónem effecísti; ejus nobis intercessióne concéde, ut legis tuæ mandáta et júgiter scrutémur in corde, et fidéliter opéribus exsequámur. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera, Dómine, quæ de tua bonitáte suscépimus, pro beáti Francísci commemoratióne devóte tibi offérimus, supplíciter deprecántes, ut bona étiam ópera de tua cleméntia suscipiámus, quibus justítiam tuam placáre possímus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Mensæ tuæ, Dómine, salutáre mystérium beáto Francísco

Confessóre tuo intercedénte, corda nostra puríficet, ut nihil in nobis quod púnias, sed quod coronáre possis invénias. Per Dóminum.

Die 29. Maji.

S. Joannis Baptistæ de Rossi Conf.

Duplex.

(S. R. C. 9. Sept. 1883.)

Missa. Os justi. de Communi Confessoris non Pontificis.

Oratio.

Deus, qui sanctum Joánnem Baptístam Confessórem tuum in evangelizándis paupéribus caritáte et patiéntia decorásti: concéde quǽsumus; ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Secreta.

Oblátum tibi munus, quǽsumus Dómine, in odórem suavitátis adscéndat: et, sancto Joánne Baptísta Confessóre tuo intercedénte, nos córpore et mente puríficet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœléstis, Dómine, participátio sacraménti, sancti Joánnis Baptístæ Confessóris tui suffragántibus méritis, fidéles tuos mundet et múniat: ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per Dóminum nostrum.

Die 30. Maji.

S. Ferdinandi Regis Conf.

Duplex.

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pont. 2. loco.

Feria VI. post Oct. Corporis Christi.

Sanctissimi Cordis Jesu.

Duplex 1. classis.

(S. R. C. 14. Jun. 1797.)

Missa. Egredímini. ut inter festa pro aliqu. locis eadem feria.

Die 5. Junii.

Apparitionis B. M. V. de Auxilio Bobii.

Duplex 2. classis.

Missa. Salve sancta parens.

Die 15. Junii.

S. Bernardi de Mentona Conf.

Duplex.

(S. R. C. 24. Nov. 1827.)

Missa. Os justi. de Communi Confessoris non Pontificis.

Oratio.

Exténde, quǽsumus, Dómine, super plebem tuam déxteram cœléstis auxílii, et intercedénte beáto Bernárdo Confessóre tuo cunctas diáboli nequítias ab ea longe repélle. Per Dóminum.

Die 16. Junii.

S. Joannis Francisci Regis Conf.

Duplex.

Missa. Os justi. de Communi Confessoris non Pontificis.

Oratio.

Deus qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres beátum Joánnem Franciscum Confessórem tuum mirábili caritáte, et invícta patiéntia decorásti: concéde propítius; ut ejus exémplis instrúcti, et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ prǽmia consequámur. Per Dóminum.

Die 25. Junii.

S. Maximi Episcopi et Confess.

Duplex.

(S. R. C. 24. Nov. 1827.)

Missa. Státuit. de Communi Confessoris Pontificis.

Oratio.

Deus, qui ad erudiéndos pópulos, et in viam salútis promovéndos, beátum Máximum Confessórem tuum atque Pontíficem, singulári sapiéntia et admirábili cari-

táte decorásti; concéde propítius, ut ejus mónita et exémpla secúti, ad ætérnæ vitæ prǽmia, ipsíus suffragántibus méritis, perveníre felíciter valeámus. Per Dóminum.

Die 29. Junii.
Commemoratio
Omnium Ss. Apostolorum.

Oratio.

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Secreta.

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerántes: quǽsumus; ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus: ut intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Dominica II. Julii.
Dedicationis omnium Ecclesiarum Civit. et Diœces.
Duplex 1. classis cum oct.
(S. R. C. 7. Sept. 1883.)

Missa. Terríbilis. de Communi.

Die 9. Julii.
S. Veronicæ de Julianis Virg.
Duplex.
(S. R. C. 31. Aug. 1839.)

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. Orationes prop. inter festa pro aliqu. locis eadem die.



Die 21. Julii.
S. Symmachi Papæ et Confess.
Duplex.
(S. R. C. 13. Maji 1805.)

Missa. Státuit. de Communi Confessoris Pontificis.

Die 24. Julii.
S. Francisci Solani Confessoris.
Duplex.
(S. R. C. 13. Maji 1805.)

Missa. Os justi. de Communi Confessoris non Pontif. Evang. Eúntes in mundum. ut in Missa Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi die 8. Augusti.

Oratio.

Deus, qui plúrimas Americæ gentes per beátum Francíscum ad sinum Ecclésiæ perduxísti: ejus méritis, et précibus indignatiónem tuam a peccátis nostris avérte, et in gentes, quæ te non cognovérunt, timórem nóminis tui benígnus immítte. Per Dóminum.

Die 30. Julii.
S. Christophori Martyris.
Duplex.
(S. R. C. 13. Maji 1805.)

Missa. In virtúte. de Com̃. unius Mart. non Pont. Evang. Si quis venit. ut in Missa. Státuit. de Com̃. unius Mart. Pont.

Die 9. Augusti.
B. Bonifacii a Sabaudia Archiepisc. Cantuarensis Confess.
Duplex.
(S. R. C. 23. Febr. 1839.)

Missa. Státuit. de Communi Confessoris Pontificis.

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua per beátum Bonifácium Confessórem atque Pontíficem mirábilis caritátis, ac pastorális sollicitúdinis exémpla instauráre dignátus es; ejus

méritis concéde, ut ad animárum salútem júgiter inténti, veram felicitátem cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Sacrifíciis præséntibus quǽsumus, Dómine, inténde placátus, et vivo caritátis igne cor nostrum inflámma, quo beátus Bonifácius exársit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelórum esca refécti supplíciter te, Dómine, deprecámur, ut beáti Bonifácii Confessóris tui, atque Pontíficis précibus, et exémplo puritátem mentis et córporis caute custodiéntes ad gaúdia cum ipso perveniámus ætérna. Per Dóminum nostrum.

Die 11. Augusti.

S. Philumenæ Virg. et Mart.

Duplex.

(S. R. C. 17. Junii 1839.)

Missa. **Loquébar.** de Communi Virginis Martyris.

Die 13. Augusti.

B. Ludovicæ a Sabaudia Viduæ.

Duplex.

(S. R. C. 31. Aug. 1839.)

Missa. **Cognóvi.** de Communi nec Virginis nec Martyris.

Oratio.

Deus, qui in beáta Ludovíca per omnes vitæ sémitas tradúcta singuláre virtútis exémplum proposuísti; concéde, ut in via, qua nos vocásti, ejúsdem vestígia sequámur, et cum ipsa ad te perveníre mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Beátæ Ludovícæ solemnitáte hæc tibi múnera deferéntes, quǽsumus, Dómine, ut ipsíus précibus et exémplo terréna despiciámus, et inquirámus ætérna. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelórum esca nutríti, concéde, quǽsumus, Dómine, ut amóris tui flamma, qua beáta Ludovíca æstuábat, veheméntior in córdibus nostris quotídie accendátur. Per Dóminum nostrum.

Die 1. Septembris.

Translationis **S. Columbani** Abbatis. Duplex.

(S. R. C. 13. Januarii 1843.)

Missa. **Os justi.** pro Abbat.

Oratio.

Deus, cujus nutu, per divérsa terrárum loca, ipsa quoque Sanctórum Córpora disponúntur; tríbue, quǽsumus, ut qui beáti Columbáni Abbátis translatiónem cólimus, ipsi étiam a pravitáte nostra ad pie vivéndi rectitúdinem transferámur. Per Dóminum.

Die 4. Septembris.

S. Rosaliæ Virginis.

Semiduplex.

Missa. **Dilexísti.** de Comm. Virg.

Oratio.

Exaúdi nos, Deus salutáris noster, ut sicut de beátæ Rosáliæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus: ita piæ devotiónis erudiámur afféctu, et ejus intercessióne ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Die 26. Septembris.

S. Pacifici a S. Severino Conf.

Duplex.

(S. R. C. 31. Augusti 1839.)

Missa. **Os justi.** de Communi Confessoris non Pontificis 1. loco.

Oratio.

Largítor ómnium bonórum Deus, qui beátum Pacíficum Confessórem tuum exímiæ patiéntiæ virtúte, et solitúdinis amóre decorásti:

ejus nobis intercessióne concéde, ut per éadem vestígia gradiéntes éadem assequámur et præmia. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Ut Sacrifícium, quod beáti Pacífici interveniénte suffrágio, Majestáti tuæ offérimus, Dómine, acceptábile tibi, nobísque sit salutáre; fac nos ea cordis humilitáte, eóque spíritus ardóre sacrum mystérium perágere, quo ipse quotídie perégit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Pro cœlésti convívio, quo nos excípere dignátus es, Dómine, grátias agéntes: te humíliter deprecámur; ut, qui manducávimus tuam carnem, et bíbimus tuum sánguinem, intercedénte beáto Pacífico, vitam habeámus ætérnam. Qui vivis.

Die 5. Octobris.

S. Placidi Martyris.

Duplex.

(S. R. C. 13. Maji 1805.)

Missa. **Lætábitur.** de Com̃. unius Mart., et fit commemoratio Ss. Mm. Eutychii et Sociorum ejus ex Missa. **Sapiéntiam.** de Comm. plur. Mart.

Die 11. Octobris.

S. Ludovici Bertrandi Conf.

Duplex.

Missa. **Os justi.** de Communi Confessoris non Pontificis.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum per córporis mortificatiónem, et fídei præcónium Sanctórum glóriæ coæquásti: præsta, ut quod fide profitémur, pietátis opéribus júgiter impleámus. Per Dóminum.

Die 16. Octobris.

S. Galli Abbatis.

Duplex.

(S. R. C. 6. Maji 1842.)

Missa. **Os justi.** pro Abbat.

Oratio.

Da nobis, ætérnæ consolatiónis Pater, per mérita beáti Galli Abbátis, pacem, et salútem mentis, et córporis; ut ejus exémplis júgiter inhæréntes, quæ tibi sunt plácita, tota perficiámus virtúte. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Hóstias, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus, sancti Galli Abbátis prosequátur orátio, per quam nos expiári tríbuas, et defféndi. Per Dóminum.

Postcommunio.

Repléti, Dómine, benedictióne cœlésti, quǽsumus cleméntiam tuam, ut intercedénte beáto Gallo Abbáte, quæ humíliter gérimus, salúbriter sentiámus. Per Dóminum.

Die 25. Octobris.

Ss. Gavini, Proti et **Januarii** Martyrum.

Duplex.

Missa. **Intret.** de Communi plurimorum Martyrum.

Oratio.

Deus, qui per beátos Apóstolos tuos Gavínum, Protum et Januárium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es; concéde nobis fámulis tuis, ut quos patrónos venerámur in terris, intercessóres habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.



Die 23. Novembris.

S. Columbani

Abbatis Civitatis, et Diœcesis Bobiensis præcipui Patroni.

Duplex 1. cl. cum oct.

(S. R. C. 23. Februarii 1842.)



Introitus. Ps. 118. Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar, et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. Ps. 75. Deus, judícium tuum regi da, et justítiam tuam fílio regis. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in beáto Columbáno Abbáte evangelizándi munus, et monásticæ vitæ stúdium mirabíliter conjunxísti; præsta, quǽsumus, ut ejus intercessióne, et exémplo, nos spíritu per veram conversiónem renováti, mundi concupiscéntias superáre, et prǽmia cónsequi mereámur ætérna. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 45.

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide, et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ, et disciplínæ.

Graduale. Hierem. 11. Relíqui domum meam, dimísi hæreditátem meam: facta est hæréditas mea quasi leo in silvis. ℣. Ps. 83. Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid. Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽũ. Matth. 19. d.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Credo.

Offertorium. Ps. 61. Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra: Deus adjútor noster in ætérnum.

Secreta.

Oblátis, Dómine, ad honórem beáti Confessóris tui Columbáni placáre munéribus, et ipsíus interventu fámulis tuis tríbue indulgéntiam peccatórum. Per Dñm.

Communio. Eccl. 51. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam, et in ipsa laudábo eum.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine Deus noster salutáribus Sacraméntis, te humíliter deprecámur, ut intercedénte beáto Columbáno Confessóre tuo, quæ pro illíus veneránda gérimus solemnitáte, nobis prosint ad salútem. Per Dóminum.

Die 26. Novembris.

S. Leonardi a Portu Mauritio

Confessoris.

Duplex.

(S. R. C. 9. Sept. 1883.)

Missa propria **Dóminus implébit.** ut habetur in Append. Missalis.

Die 27. Novembris.

B. Margaritæ de Sabaudia Viduæ

Ordinis Prædicatorum.

Duplex.

Introitus. Ps. 118.



Ognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me: confíge timóre tuo carnes meas, a mandátis tuis tímui.

Ps. ibid. **Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui beátam Margarítam a sǽculi pompa ad húmilem tuæ crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde, ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prov. 31. b.

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananǽo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex clementiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Ps. 44. **Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.** ℣. **Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex spéciem tuam.**

Allelúja, allelúja.

℣. **Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam. Allelúja.**



Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 13. f.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc:

Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro, quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 44. **Fíliæ Regum in honóre tuo, ástitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.**

Secreta.

Múnera, Dómine, nostræ devotiónis offérimus, ut tibi grata, et nobis salutária, beátæ Margarítæ pia supplicatióne reddántur. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 44. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.**

Postcommunio.

Quǽsumus, omnípotens Deus, ut quos salutáribus dignátus es erudíre mystériis beátæ Margarítæ intercessióne gloriósa, cœléstibus refícias aliméntis. Per Dóminum nostrum.

Die 4. Maji.

Ss. Sindonis et in votivis ejusdem.

Missa propria inter festa pro aliqu. loc. feria VI. post Dom. II. Quadrag.

Tempore Paschali et per annum dicitur **Allelúja** et ℣. vel Graduale ut in Missa votiva de Passione D. N. J. Chr.



Ex mandato Illmi ac Revmi D. D. Joannis Baptistæ Porrati, Bobii Episcopi ac Comitis, Missas pro Bobiensi Diœcesi Typis Friderici Pustet nuperrime excusas cum exemplaribus a S. R. Congr. adprobatis diligenter contuli: quibus ita respondere ipsas perspexi, ut publici juris fieri posse censeam.

Bobii die quinta Novembris 1884.

Canonicus Antonius Civardi.

Visa attestatione Revmi D. Antonii Civardi, Nostræ Cathedralis Canonici, qui de speciali Nostro mandato Missas pro Nostra Diœcesi, cum exemplaribus a S. R. Congr. adprobatis diligenter contulit, et cum eis consonas declaravit, easdem vulgari permittimus.

Bobii septimo idus Novembris MDCCCLXXXIV.

(L. S.) ✠ **Joannes Baptista** Episcopus.

Canonicus Parnisetti Secret.

Index alphabeticus.

Ratisbonæ 1885. Ex Officina Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typographi.

DIE XVII. SEPTEMBRIS

IN FESTO

B. GANDULPHI A BINASCO

CONFESSORIS

Introitus.


AUDEAMUS omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre beáti Gandúlphi Confessóris; de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 118. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri, etc.

Oratio.

DEUS, qui beátum Gandúlphum Confessórem tuum mirábilem præstitísti: tríbue quæsumus; ut ejus intercessióne et patrocínio a culpárum vínculis absolúti, ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Léctio libri Génesis. Cap. 12.

DIXIT Dóminus ad Abram: Egrédere de terra tua, et de cognatióne tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum, erísque benedíctus. Benedícam benedicéntibus tibi.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem. Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuagesimam omissis Allelúja et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.


℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Pasch. omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

℣. Eccli. 45. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.


Sequéntia Sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: Amen dico vobis, quod præcinget

se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Ascendant ad te, Dómine, quas in beáti Gandúlphi Confessóris tui solemnitáte offérimus preces, et hóstia salutáris, ut per ejus virtútem a cunctis nos mentis et córporis hóstibus tueáris. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Fideles tuos, Dómine, custódiant sacraménta, quæ súmpsimus: et intercedénte beáto Gandúlpho Confessóre tuo, contra omnes advérsos tueántur incúrsus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.



Ex Decreto S. R. C. die 15 Maji 1886.

Concordat cum suo originali. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 17. Augusti 1886.

Pro R. P. D. LAURENTIO SALVATI *Secretario*

(L. ✠ S.) JOANNES Canonicus PONZI *Substitutus.*

Vidimus et imprimi permittimus.

Cephaluden., 17. Feb. 1890.

(L. ✠ S.) CAJETANUS Episcopus.

Pro civitate et Diœc. Cephal. ex Decr. LEONIS XIII., facta petitione ab Illmo et Rev^mo Episc. Cajetano D'Alessandro.

Taurini 1890 — Typographia Pontificia et Archiepiscopalis Eq. Petrus Marietti

6 13

APPENDIX
MISSALIS ROMANI
AD USUM
DIŒCESEOS MANTUANÆ.

CUM APPROBATIONE

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

JOSEPH SARTO

EPISCOPI MANTUANI.



RATISBONÆ, 1888.
EX OFFICINA FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.



MISSÆ PROPRIÆ.

FFSTA JANUARII.

Die 19. Januarii.

S. Bassiani Episc. et Conf.

Introitus.


audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Bassiáni, de cujus solemnitáte gaudent Angeli et collaúdant Fílium Dei. *Ps. 113.* Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per beátum Bassiánum Confessórem tuum atque Pontíficem pópulum Laudénsem mirábili pietáte a corporáli lepra curáre voluísti: concéde nobis; ut ejus méritis et intercessióne ab ómnibus semper mereámur infirmitátibus liberári. Per Dóminum.

Léctio libri Regum. *4. Reg. 5. b.*

In diébus illis: Rex Sýriæ misit lítteras ad regem Israël in hæc verba: Cum accéperis epístolam hanc, scito quod míserim ad te Náaman servum meum, ut cures eum a lepra sua. Cumque legísset rex Israël lítteras, scidit vestiménta sua, et ait: Numquid Deus ego sum, ut occídere possim, et vivificáre, quia iste misit ad me, ut curem hóminem a lepra sua? animadvértite, et vidéte quod occasiónes quærat advérsum me. Quod cum audísset Eliséus vir Dei, scidísse vidélicet regem Israël vestiménta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidísti vestiménta tua? Véniat ad me, et sciat esse prophétam in Israël. Venit ergo Náaman cum equis, et cúrribus, et stetit ad óstium domus Eliséi: misítque ad eum Eliséus núntium, dicens: Vade, et laváre sépties in Jordáne, et recípiet sanitátem caro tua, atque mundáberis. Irátus Náaman recedébat, dicens: Putábam quod egrederétur ad me, et stans invocáret nomen Dómini Dei sui, et tángeret manu sua locum lepræ, et curáret me. Numquid non melióres sunt Abana et Pharphar, flúvii Damásci, ómnibus aquis Israël, ut laver in eis, et munder? Cum ergo vertísset se, et abíret indígnans, accessérunt ad eum servi sui, et locúti sunt ei: Pater, et si rem grandem dixísset tibi prophéta, certe fácere debúeras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Laváre, et mundáberis? descéndit,

et lavit in Jordáne sépties, juxta sermónem viri Dei, et restitúta est caro ejus, sicut caro púeri párvuli, et mundátus est a lepra.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja.

℣. O quam magnum Pontíficem, cui suprémus ártifex ita magna fecit! magnum natu, magnum statu, magnum vita, quem cum felíce fine Christus suscépit. Allelúja.

Post Septuagesimam omissis Allelúja, *et Versu sequ. dicitur:*

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 17. c.*

In illo témpore: Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam et Galilǽam. Et cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi, qui stetérunt a longe; et levavérunt vocem dicéntes: Jesu præcéptor, miserére nostri. Quos ut vidit, dixit: Ite, osténdite vos sacerdótibus. Et factum est, dum irent, mundáti sunt. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundátus est, regréssus est, cum magna voce magníficans Deum, et cécidit in fáciem ante pedes ejus, grátias agens: et hic erat Samaritánus. Respóndens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundáti sunt? et novem ubi sunt? Non est invéntus qui redíret, et daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. Et ait illi: Surge, vade; quia fides tua te salvum fecit.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Réspice, Dómine, múnera supplicántis pópuli: et perpétua beáti Bassiáni intercessióne suménda concéde. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes pópuli tui benígnus assúme: et beáti Bassiáni Confessóris tui atque Pontíficis précibus ad regna cœlórum nos fácias perveníre. Per Dñm.

FESTA FEBRUARII.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episc. et Mart.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre sancti Blásii, Mártyris atque Pontíficis: de cujus passióne gaudent Angeli et collaúdant fílium Dei.

Ps. 47. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Blásium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, in suis perferéndis supplíciis, et in aliórum depelléndis infirmitátibus admirábilem effecísti: concéde pro-

pítius; ut illíus et in fide constántiam imitémur, et in periculis patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Hebr. 11. f.*

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes: obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte: fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos: álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem: álii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dñe.

Allelúja, allelúja.

℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. *Matth. 10. c.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israël, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus: et servo, sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt: quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuéritis eos: nihil enim est opértum quod non revelábitur; et occúltum quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. Sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam.

Offertorium. Sap. 10. Transvéxit illum Dóminus per aquam nímiam: et ab altitúdine inferórum edúxit illum.

Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, beáti Blásii, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dñm.

Communio. Ps. 88. Semel jurávi in sancto meo: semen ejus in ætérnum manébit, et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cœlo fidélis.

Postcommunio.

Percépta nobis, Dómine, præbeant sacraménta subsídium: et præsta; ut beáti Blásii Mártyris

tui atque Pontíficis, méritis et intercessióne, nulla nobis nóceat advérsitas, et nulla dominétur iníquitas. Per Dóminum nostrum.

Die 6. Februarii.

S. Titi Episc. et Conf.

Introitus. *Eccli. 45.*



Tátuit ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. *Ps. 131.* Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Titum, Confessórem tuum atque Pontíficem, apostólicis virtútibus decorásti: ejus méritis, et intercessióne concéde; ut juste, et pie vivéntes in hoc sæculo, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dñm.

Et fit commemoratio Feriæ, si celebretur in Quadragesima, et postea S. Dorotheæ Virg. et Mart.

Oratio.

Indulgéntiam nobis, quæsumus Dómine, beáta Doróthea Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44. et 45.

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui consérvávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus: et offérre illi incénsum dignum, in odórem suavitátis.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 109.* Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti dicitur:*

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 10.*

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte por-

táre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: Sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Sancti tui, quǽsumus Dómine, nos ubíque lætíficent: ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro S. Dorothea. Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Dorótheæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dñm.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Tito, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro S. Dorothea. Postcom̃unio.

Divíni múneris largitáte satiáti, quǽsumus Dómine Deus noster: ut, intercedénte beáta Doróthea Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum nostrum.

Die 9. Februarii.

S. Apolloniæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. *de Communi Virg. et Mart.*

Oratio.

Spíritum nobis, Dómine, dilectiónis et fortitúdinis sancta Apollónia Virgo et Martyr implóret, ut, peccatórum máculis tua pietáte delétis, in tua semper benedictióne lætémur. Per Dóminum.

Die 13. Februarii.

S. Cyrilli Episcopi Alexandrini Conf. et Eccl. Doctoris.

(d. a. ex 9. hujus.)

Missa. In médio. *de Comm. Doct. præter Orat. sequ.* Credo.

Oratio.

Deus, qui beátum Cyríllum Confessórem tuum atque Pontíficem divínæ maternitátis beatíssimæ Vírginis Maríæ assertórem invíctum effecísti: concéde, ipso intercedénte; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, matérna ejúsdem protectióne salvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Secreta.

Múnera nostra, omnípotens Deus, benígnus réspice: et, intercedénte beáto Cyríllo, præsta; ut unigénitum tuum Jesum Christum Dóminum nostrum in tua tecum glória coætérnum, in córdibus nostris digne suscípere mereámur: Qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio.

Divínis, Dómine, refécti mystériis, te súpplices deprecámur: ut exémplis et méritis beáti Cyrílli Pontíficis adjúti, sanctíssimæ Genitríci Unigéniti tui digne famulári valeámus: Qui tecum vivit.

Die 19. Februarii.

B. Elisabeth de Picenardis Virginis Mantuanæ.

Missa. Dilexísti. *de Comm. Virg.*

Oratio.

Deus, qui beátam Elísabeth Vírginem tuam multifórmibus cœléstis grátiæ donis decorásti; tríbue nobis ejus imitatióne profícere, et méritis adjuvári. Per Dñm.

Die 23. Februarii.

S. Petri Damiani Episcopi, Conf. et Doct.

Missa. In médio Ecclésiæ. *de Communi Doctorum.* Credo.

Oratio.

Concéde nos, quǽsumus omnípotens Deus: beáti Petri, Confessóris tui atque Pontíficis, mónita et exémpla sectári; ut per terréstrium rerum contémptum ætérna gaúdia consequámur. Per Dóminum.

FESTA MOBILIA.

Feria III. post Dominicam Septuagesimæ.

Orationis D. N. Jesu Christi.

Introitus. *Ps. 54.*



Cor meum conturbátum est in me, et formído mortis cécidit super me. Timor et tremor venérunt super me. *Ps. 68.* Salvum me fac, Deus: quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui in horto verbo et exémplo nos oráre docuísti, ad tentatiónum perícula superánda: concéde propítius; ut nos oratióni semper inténti, ejus copiósum fructum cónsequi mereámur: Qui vivis et regnas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. *Hebr. 5.*

Christus non semetípsum clarificávit, ut póntifex fíeret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ preces, supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido et lácrimis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia: et quidem cum esset Fílius Dei: dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam: et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi, causa salútis ætérnæ, appellátus a Deo póntifex juxta órdinem Melchísedech.

Graduale. Ps. 87. Repléta est malis ánima mea, et vita mea inférno appropinquávit.

℣. Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutório.

Tractus. Ps. 68. Exaúdi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua.

℣. Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo: quóniam tríbulor, velóciter exaúdi me.

℣. *Ps. 21.* Ne discésseris a me: quóniam tribulátio próxima est: quóniam non est qui ádjuvet.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 22. d.*

In illo témpore: Egréssus Jesus ibat, secúndum consuetúdinem, in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli. Et cum pervenísset ad locum, dixit illis: Oráte, ne intrétis in tentatiónem. Et ipse avúlsus est ab eis, quantum jactus est lápidis, et pósitis génibus orábat dicens: Pater, si vis, transfer cálicem istum a me: verúmtamen non mea volúntas, sed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confórtans eum. Et factus in agonía, prolíxius orábat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram.

Credo.

Offertorium. Ps. 68. Salvum me fac, Deus: quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Secreta.

Hujus sancti sacrifícii méritis, fac nos, quǽsumus Dómine, divína institutióne formátos curam oratióni tam efficáciter impéndere, ut Jesus Christus Fílius tuus in éxitu nostro vígiles nos, et a culpa solútos invéniat: Qui tecum vivit.

Præfatio de Cruce.

Communio. Matth. 26. Vigiláte, et oráte, ut non intrétis in tentatiónem: spíritus quidem promptus est, caro autem infírma.

Postcommunio.

Reſécti alimónia cœlésti, súpplices te rogámus, Pater omnípotens: ut per unigéniti Fílii tui oratiónis virtútem, nos in tantis córporis et ánimæ perículis constitúti, ad cœléstia regna secúre perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Feria III.
post Dominicam Sexagesimæ.
In Commemoratione
Ss. Passionis D. N. J. Chr.

Missa. Humiliávit. *votiva de Passione præter Orationem sequentem.*

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, et crucem subíre fecísti: concéde propítius; ut sicut solémnem commemoratiónem Passiónis ejus celebrámus, ita et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Et dicitur Credo. *ac Præfatio de Cruce.*

Feria VI. post Cineres.
Sacratiss. Spineæ Coronæ D. N. Jesu Chr.

Introitus. *Cant. 3.*



Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, parans crucem Salvatóri suo.

Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum, Dómine: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut qui in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi, Corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória, et honóre coronári mereámur in cœlis: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit comm. Feriæ, et dicitur ejusdem Evangelium in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Cant. 3. et 4.*

Léctulum Salomónis sexagínta fortes ámbiunt ex fortíssimis Israël: omnes tenéntes gládios, et ad bella doctíssimi: uniuscujúsque ensis super femur suum propter timóres noctúrnos. Férculum fecit sibi rex Sálomon de lignis Líbani. Colúmnas ejus fecit argénteas: reclinatórium aúreum: ascénsum purpúreum: média caritáte constrávit propter fílias Jerúsalem. Egredímini et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus. Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis.

Graduale. Eccli. 45. Coróna aúrea super caput ejus: expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. *Ps. 20.* Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tractus. Isai. 61. Induit eum Dóminus vestiméntis salútis, et induménto justítiæ, quasi sponsum decorátum coróna. ℣. *Isai. 28.* Coróna tribulatiónis efflóruit in corónam glóriæ, et sertum exsultatiónis.

℣. *Sap. 5.* Accépit regnum decóris, diadéma speciéi.

In Missis votivis a Pascha usque ad Pentecosten.

Allelúja, allelúja.

℣. *Eccli. 45.* Coróna aúrea super caput ejus: expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. Allelúja.

℣. Tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis, et honóris coróna. Allelúja.

A Pentecoste usque ad Septuag.:

Graduale. Ibid. Coróna aúrea super caput ejus: expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. *Ps. 20.* Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Allelúja, allelúja.

℣. *Isaiæ 28.* Coróna tribulatiónis efflóruit in corónam glóriæ, et sertum exsultatiónis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. *Joann. 19.*

In illo témpore: Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus: et veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, et dicébant: Ave Rex Judæórum: et dabant ei álapas. Exívit ergo íterum Pilátus foras, et dicit eis: Ecce addúco vobis eum foras, ut cognoscátis, quia nullam invénio in eo causam. Exívit ergo Jesus portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum. Credo.

Offertorium. Tuam corónam adorámus, Dómine: tuam gloriósam recólimus passiónem.

Secreta.

Tuórum mílitum, rex omnípotens, virtútem róbora: ut quos in hujus mortalitátis stádio unigéniti Fílii tui Coróna lætíficat; consummáto cursu certáminis, immortalitátis bravíum apprehéndant. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Prov. 4. Lætáre, mater nostra, quia dabit Dóminus cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclyta próteget te.

Postcommunio.

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut hæc sacraménta quæ súmpsimus, per sacrosánctæ Fílii tui Corónæ, cujus solémnia recensémus, virtútem, nobis profíciant ad medélam. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Feria VI.
post Dominicam I. Quadragesimæ.

Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. Jesu Chr.

Introitus. *Ps. 21.*


Odérunt manus meas, et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea: et sicut aqua effúsus sum. *Ps. ibid.* Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui, in assúmptæ carnis infirmitáte Clavis affígi, et Láncea vulnerári pro mundi salúte voluísti: concéde propítius; ut qui eorúmdem Clavórum, et Lánceæ solémnia venerámur in terris, de glorióso victóriæ tuæ triúmpho gratulémur in cœlis: Qui vivis.

Et fit commemoratio Feriæ, et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Léctio Zacharíæ Prophétæ.
Zach. 12. c. et 13. c.

Hæc dicit Dóminus: Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem, spíritum grátiæ et precum: et aspícient ad me, quem confixérunt: et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, et dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, et dispergéntur oves: ait Dóminus omnípotens.

Graduale. Ps. 68. Impropérium exspectávit cor meum, et misériam: et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit: consolántem me quæsívi, et non invéni.

℣. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Tractus. Isai. 53. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

℣. Et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum.

℣. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

℣. Disciplína pacis nostræ super eum: et livóre ejus sanáti sumus.

In Missis votivis a Pascha usque ad Pentecosten.

Allelúja, allelúja.

℣. Ave rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúja.

℣. Tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi sum̃æ laudis, et honóris coróna. Allelúja.

℟ *Per annum usque ad Septuagesimam omisso Tractu cum sequ. versib. dicitur Graduale* Imropérium. *cum suo versu, ut supra, et postea dicitur:*

Allelúja, allelúja.

℣. Ave rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joáñem. *Joann. 19. f.*

IN illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum. Judǽi ergo (quóniam Parascéve erat) ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites: et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum venísent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus.

Credo.

Offertorium. Insurrexérunt in me viri iníqui, absque misericórdia quæsiérunt me interfícere; et non pepercérunt in fáciem meam spúere: lánceis suis vulneravérunt me, et concússa sunt ómnia ossa mea.

Secreta.

Sanctíficet nos, quǽsumus Dómine, hoc sanctum et immaculátum sacrifícium vespertínum: quod unigénitus Fílius tuus in cruce óbtulit pro salúte mundi: Qui tecum vivit et regnat.

Præfatio de Cruce.

Communio. Vidébunt in quem transfixérunt, cum moveréntur fundaménta terræ.

Postcommunio.

Dómine Jesu Christe, qui temetípsum in cruce holocaústum immaculátum et spontáneum Deo Patri obtulísti: quǽsumus; ut ejúsdem sacrifícii oblátio veneránda indulgéntiam nobis obtíneat, et glóriam sempitérnam: Qui vivis.

Feria VI.
post Dominicam II. Quadragesimæ.

Sacratissimæ Sindonis D. N. Jesu Chr.

Introitus.

HUmiliávit semetípsum Dóminus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen.

Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui nobis in sancta Síndone, qua corpus tuum sacratíssimum e cruce depósitum, a Joseph involútum fuit, passiónis tuæ vestígia reliquísti: concéde propí-

tius; ut per mortem et sepultúram tuam, ad resurrectiónis glóriam perducámur: Qui vivis et regnas.

Et fit commemoratio Feriæ, et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isaiæ 62. et 63.

Hæc dicit Dóminus Deus: Dícite fíliæ Sion: Ecce salvátor tuus venit: ecce merces ejus cum eo. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego, qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua, sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea: et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi. Dies enim ultiónis in corde meo, annus redemptiónis meæ venit. Circumspéxi, et non erat auxiliátor: quæsívi, et non fuit qui adjuváret: et salvávit mihi bráchium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi. Et conculcávi pópulos in furóre meo, et inebriávi eos in indignatióne mea, et detráxi in terram virtútem eórum. Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus, quæ réddidit nobis Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 68. Impropérium exspectávit cor meum, et misériam: et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit: consolántem me quæsívi, et non invéni. ℣. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Tractus. Isai. 53. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. ℣. Et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. ℣. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra. ℣. Disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. *Marc. 15. d.*

In illo témpore: Cum jam sero esset factum, (quia erat Parascéve, quod est ante Sábbatum) venit Joseph ab Arimathǽa, nóbilis decúrio, qui et ipse erat exspéctans regnum Dei, et audácter introívit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Pilátus autem mirabátur, si jam obiísset. Et accersíto centurióne, interrogávit eum, si jam mórtuus esset. Et cum cognovísset a centurióne, donávit corpus Joseph. Joseph autem mercátus síndonem, et depónens eum invólvit síndone, et pósuit eum in monuménto, quod erat excísum de petra, et advólvit lápidem ad óstium monuménti. Credo.

Offertorium. Ingréssus Aaron tabernáculum, ut holocaústum offérret super altáre pro peccátis filiórum Israël, túnica línea indútus est.

Secreta.

Accépta tibi, Dómine, sint hæc múnera, cui pro mundi salúte grata éxstitit Fílii tui pássio gloriósa. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Marc. 15. Joseph autem mercátus síndonem, et depónens eum invólvit síndone.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: quǽsumus; ut per temporálem Fílii tui mortem, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedísse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Feria VI.
post Dominicam III. Quadrag.

Sacror. Quinque Vulnerum D. N. Jesu Chr.

Missa. Humiliávit. *votiva de Passione præter Orat. sequ.*

Oratio.

Deus, qui unigéniti Fílii tui passióne, et per quinque vúlnera ejus, sánguinis effusióne, humánam natúram peccáto pérditam reparásti: tríbue nobis, quǽsumus; ut qui ab eo suscépta vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi sánguinis fructum cónsequi mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commemoratio Feriæ, et legitur ejusdem Evangelium in fine. Et dicitur Credo.

Secreta.

Majestáti tuæ, quǽsumus Dómine, accépta sint dona, in quibus ipsa Unigéniti tui vúlnera tibi offérimus, nostræ prétia libertátis. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Postcommunio.

Reféctì vitálibus alimóniis, quǽsumus Dómine Deus noster: ut qui vúlnera Dómini nostri Jesu Christi hódie devóte cólimus, hæc in nostris córdibus impréssa, móribus et vita teneámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Feria VI.
post Dominicam IV. Quadrages.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu Chr.

Introitus. *Apoc. 5.*



Edemísti nos, Dómine, in sánguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne: et fecísti nos Deo nostro regnum. *Ps. 88.* Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti: concéde, quǽsumus, salútis nostræ prétium solémni cultu ita venerári, atque a præséntis vitæ malis, ejus virtúte, defendi in terris; ut fructu perpétuo lætémur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. Feriæ, et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. *Hebr. 9. c.*

Fratres: Christus assístens pónțifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, idest, non hujus creatiónis; neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta. Si enim sanguis hircórum et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetípsum óbtulit im̃aculá-

tum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti? Et ídeo novi testaménti mediátor est: ut morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testaménto, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt ætérnæ hæreditátis, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. 1. Joann. 5. Hic est qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sánguine.

℣. Tres sunt, qui testimónium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spíritus sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimónium dant in terra: Spíritus, Aqua, et Sanguis: et hi tres unum sunt.

Tractus. Ephes. 1. Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus.

℣. Remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis.

℣. *Rom. 3.* Justificáti gratis per grátiam ipsíus, per redemptiónem, quæ est in Christo Jesu.

℣. Quem propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus.

In Missis votivis per annum.

Graduale. 1. Joann. 5. Hic est qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sánguine.

℣. Tres sunt, qui testimónium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spíritus sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimónium dant in terra: Spíritus, Aqua, et Sanguis: et hi tres unum sunt.

Allelúja, allelúja. ℣. Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei majus est. Allelúja.

Temp. Pasch. in Missis votivis dicitur: Allelúja, allelúja.

℣. *Apoc. 5.* Dignus es, Dómine, accípere librum, et aperíre signácula ejus: quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo. Allelúja.

℣. *Exodi. 12.* Erit autem sanguis vobis in signum: et vidébo sánguinem, et transíbo vos: nec erit in vobis plaga dispérdens. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Joánnem. *Joann. 19. f.*

IN illo témpore: Cum accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum. Judǽi ergo (quóniam parascéve erat) ut non remánerent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangerétur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites; et primi quidem fregérunt crura, et altérius qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura; sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus. Credo.

Offertorium. 1. Cor. 10. Calix benedictiónis, cui benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? et panis quem frángimus, nonne participátio córporis Dómini est?

Secreta.

PEr hæc dívína mystéria, ad novi, quǽsumus, testaménti mediatórem Jesum accedámus: et

super altária tua, Dómine virtútum, aspersiónem sánguinis mélius loquéntem, quam Abel, innovémus. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Hebr. 9. Christus semel oblátus est ad multórum exhauriénda peccáta: secúndo sine peccáto apparébit exspectántibus se in salútem.

Postcommunio.

Ad sacram, Dómine, mensam admíssi, haúsimus aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris: sanguis ejus fiat nobis, quæsumus, fons aquæ in vitam ætérnam saliéntis: Qui tecum vivit et regnat.

FFSTA MARTII.

Die 12. Martii.

Inventionis Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Missa. Humiliávit. *de Passione cum Epistola de Dominica in Albis.*

Oratio.

Deus, qui nos Unigénitii tui Pretiósi Sánguinis Inventióne lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus, ut a nostrórum máculis peccatórum, ejúsdem Sánguinis mérito, efficáciter áblui mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Secreta.

Profíciat nobis, Dómine, prétium fusi Sánguinis tui ad promeréndam in præsénti grátiam et ad obtinéndam in futúro réquiem et glóriam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, Dómine, per immaculáti Cruóris tui effusiónem; ut, emundátis per te peccatórum sórdibus, illustráta mentis ácie, felíci éxitu ad te perveníre mereámur. Qui vivis et regnas.

Die 16. Martii.

B. Joañis de Surdis Ep. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. *de Communi Confessoris Pontificis.*

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem atque Pontíficem pium et fortem in tuéndis Ecclésiæ júribus reddidísti; da, quæsumus, ejúsdem précibus, ut in nobis justítiæ, et tuæ caritátis ardor numquam exstinguátur. Per Dóminum.

Die 18. Martii.

S. Anselmi Episc. et Confess.

Mantuæ Patroni.

Missa. Sacerdótes tui. *de Communi Confessoris Pontificis.*

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Ansélmi Confessóris tui atque Pontíficis illumináre dignátus es méritis et doctrínis: concéde, ut, ejus intercessióne, temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper profíciat increméntis. Per Dóminum.

Die 22. Martii.

S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ

Viduæ.

Missa. Cognóvi. *de Comm. nec Virg. nec Mart. præter Orat. sequ.*

Oratio.

Deus, qui beátam Catharínam in contemplánda Fílii tui passióne divíni amóris igne flagráre fecísti: quæsumus; ut ipsa intercedénte, tuæ in nobis flammam caritátis accéndas, et ejúsdem passiónis partícipes dignánter effícias. Per eúmdem Dóminum.

Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove; cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 23. Martii.

S. Cyrilli Episc. Hierosolym., Conf. et Ecclesiæ Doctoris.

(d. a. ex 18. hujus.)

Introitus. *Eccli. 15.*



IN médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum.

Ps. 91. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, quǽsumus omnípotens Deus, beáto Cyríllo Pontífice intercedénte: te solum verum Deum, et quem misísti Jesum Christum, ita cognóscere; ut inter oves, quæ vocem ejus aúdiunt, perpétuo connumerári mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commem. Feriæ in Quadrag.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Eccli. 39.*

Justus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sǽculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit ecclésia.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. *Eccli. 45.* Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

℣. *Osee 14.* **Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. *Matth. 10. c.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non con-

summábitis civitátes Israël, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus: et servo, sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt, quanto magis doméstícos ejus? Ne ergo timuéritis eos. Nihil enim est opértum quod non revelábitur; et occúltum quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. Sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam.

Credo.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta.

Réspice, Dómine, immaculátam hóstiam, quam tibi offérimus: et præsta; ut méritis beáti Pontíficis et Confessóris tui Cyrílli, eam mundo corde suscípere studeámus. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Sacraménta Córporis et Sánguinis tui, quæ súmpsimus, Dómine Jesu Christe, beáti Cyrílli Pontíficis précibus, mentes et corda nostra sanctíficent: ut divínæ consórtes natúræ éffici mereámur: Qui vivis et regnas.

Die 27. Martii.

B. Stephanæ de Quinzanis Virginis.

Missa. Dilexísti. *de Comm. Virg.*

Oratio.

Deus, qui beátam Stéphanam Vírginem tuam, Crucifíxi amóre succénsam, ejúsdem Passiónis consórtem mirabíliter effecísti: præsta, quǽsumus, ut, ejus intercessióne et exémplo, imágini Fílii tui confórmes fíeri mereámur. Qui tecum vivit.

FESTA APRILIS.

Die 3. Aprilis.

S. Abundii Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes. *de Communi Conf. Pont., præter Orat. sequ.*

Oratio.

Interveniénte, quǽsumus Dómine, beáto Abúndio Confessóre tuo, atque Pontífice, nos divína grátia prævéniat et sequátur; atque ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Die 6. Aprilis.

S. Cœlestini Papæ Conf.

Missa. Státuit. *de Communi Conf. Pont., præter Orat. sequ.* Credo.

Oratio.

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per sancti Cœlestíni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa; ut, ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.



Die 14. Aprilis.

S. Justini Martyris.

Introitus. *Ps. 118.*



Arravérunt mihi iníqui fabulatiónes, sed non ut lex tua: ego autem loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar, allelúja, allelúja.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui per stultítiam crucis eminéntem Jesu Christi sciéntiam beátum Justínum Mártyrem mirabíliter docuísti: ejus nobis intercessióne concéde; ut, errórum circumventióne depúlsa, fídei firmitátem consequámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commem. Ss. Mart. Tiburtii, Valeriani et Maximi.

Oratio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Tibúrtii, Valeriáni et Máximi solémnia cólimus, eórum étiam virtútes imitémur. Per Dñm.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *1. Cor. 1.*

Fratres: Verbum crucis, pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus sǽculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum; plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judǽis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis Judǽis atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus; et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio.

Allelúja, allelúja.

℣. *1. Cor. 3.* Sapiéntia hujus mundi stultítia est apud Deum, scriptum est enim: Dóminus novit cogitatiónes sapiéntium, quóniam vanæ sunt. Allelúja. ℣. *Ad Phil. 3.* Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei. Allelúja.

Extra tempus Paschale.

Graduale. 1. Cor. 3. Sapiéntia hujus mundi stultítia est apud Deum, scriptum est enim: Dóminus novit cogitatiónes sapiéntium, quóniam vanæ sunt.

℣. *Ibid. 1.* Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo.

Allelúja, allelúja.

℣. *Phil. 3.* Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. 1. Cor. 2. Non judicávi me scire áliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum.

℣. Lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sǽcula in glóriam nostram. ℣. Quam nemo príncipum hujus sǽculi cognóvit. Si enim cognovíssent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíssent.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 12.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil opértum est quod non revelétur; neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur, et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis: timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam; ita dico vobis, hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére; multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium. 1. Cor. 2. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum, allelúja.

Secreta.

Múnera nostra, Dómine Deus, benígnus súscipe; quorum mirábile mystérium sanctus Martyr Justínus advérsum impiórum calúmnias strénue defféndit. Per Dñm.

Pro Ss. Mart. Tiburtio, Valeriano et Maximo.

Secreta.

Hæc hóstia, quǽsumus Dómine, quam sanctórum Mártyrum tuórum natalítia recenséntes offérimus: et víncula nostræ pravitátis absólvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. 2. Tim. 4. Repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex, allelúja.

Postcommunio.

Cœlésti alimónia refécti súpplices te, Dómine, deprecámur; ut beáti Justíni Mártyris tui mónitis de accéptis donis semper in grátiárum actióne maneámus. Per Dóminum nostrum.

Pro Ss. Mart. Tiburtio, Valeriano et Maximo.

Postcommunio.

Sacro múnere satiáti, súpplices te Dómine deprecámur: ut, quod débitæ servitútis celebrámus offício, salvatiónis tuæ sentiámus augméntum. Per Dóminum.

Die 16. Aprilis.

S. Benedicti Josephi Labre Confessoris.

Introitus. *Jerem. 12.*



Elíqui domum meam: dimísi hæreditátem meam: inops et pauper ego sum: Dóminus autem assúmpsit me, allelúja, allelúja.

Ps. 41. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te Deus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctum Benedíctum Joséphum Confessórem tuum humilitátis stúdio, et paupertátis amóre tibi uni adhærére fecísti: da nobis ejus suffragántibus méritis terréna cuncta despícere, et cœléstia semper inquírere. Per Dñm.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. *1. Tim. 6.*

Caríssime: Est quæstus magnus píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium, quod nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, et quibus tegámur, his conténti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum, et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas: quam quidam appeténtes erravérunt a fide, et inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectáre vero justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam.

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 112.* Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, et humília réspicit in cœlo et in terra? Allelúja.

℣. *ibid.* Súscitans a terra ínopem et de stércore érigens paúperem: ut cóllocet eum cum princípibus, cum princípibus pópuli sui. Allelúja.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Ps. 39. Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus, et non respéxit in vanitátes, et insánias falsas.

℣. *ibid.* Ego autem mendícus sum et pauper: Dóminus sollícitus est mei. Adjútor meus, et protéctor meus tu es.

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 38.* Exaúdi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam: aúribus pércipe lácrimas meas: quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. 1. Joann. 2. Nolíte dilígere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo.

℣. *ibid.* Omne, quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, et concupiscéntia oculórum et supérbia vitæ.

℣. *ibid.* Et mundus transit, et concupiscéntia ejus, qui autem facit voluntátem Dei manet in ætérnum.


Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. *Matth. 16.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Hebr. 13. Non habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Offerámus ergo

hóstiam laudis semper Deo fructum labiórum confiténtium nómini ejus, allelúja.

Secreta.

Obláta múnera, clementíssime Deus, propítius réspice: et sancti Benedícti Joséphi Confessóris tui interveniénte suffrágio, in salútem nobis proveníre concéde. Per Dóminum.

Communio. Matth. 5. Beáti paúperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt, allelúja.

Postcommunio.

Sacris, Dómine, reexcti munéribus: quǽsumus; ut sancti Benedícti Joséphi Confessóris tui virtútes imitémur, cujus póscimus méritis adjuvári. Per Dóminum.

Die 26. Aprilis.

B. M. V. de Bono Consilio.

Introitus.



Audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis, Boni Consílii Matris, de cujus solemnitáte gaudent Angeli et collaúdant Fílium Dei, allelúja, allelúja.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Genitrícem dilécti Fílii tui matrem nobis dedísti, ejúsque speciósam Imáginem mira apparitióne clarificáre dignátus es: concéde, quǽsumus; ut ejúsdem mónitis júgiter inhæréntes, secúndum cor tuum vívere, et ad cœléstem pátriam felíciter perveníre valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24. c.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléminí. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúja, allelúja.

℣. *Luc. 1.* Ave María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

℣. Per te, Dei Génitrix, nobis est vita pérdita data, quæ de cœlo suscepísti prolem, et mundo genuísti Salvatórem. Allelúja.

Post tempus Paschale dicitur:

Graduale. Prov. 8. Ego sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus.

℣. Beátus homo qui audit me et vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei.

Allelúja, allelúja.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti dicitur:*

Tractus. Prov. 8. Meum est consílium, et ǽquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Ego diligéntes me díligo: et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℣. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii.

℣. Ut ditem diligéntes me, et thesaúros eórum rémpleam.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 1. c.*

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis.

Credo.

Offertorium. Recordáre Virgo Mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona: et ut avértat indignatiónem suam a nobis, allelúja.

Secreta.

Sanctífica, Dómine quǽsumus, obláta libámina: et beátæ Dei Genitrícis Maríæ, Boni Consílii Matris, salubérrima intercessióne, nobis salutária fore concéde. Per eúmdem Dóminum.

Præf. B. M. V. Et te in Festivitáte.

Communio. Regína mundi digníssima, María, Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte: quæ genuísti Christum Dóminum Salvatórem ómnium, allelúja.

Postcommunio.

Adjuvet nos, quǽsumus Dómine, gloriósæ tuæ Genitrícis, semperque Vírginis Maríæ, Matris Boni Consílii, intercéssio veneránda: ut, quos perpétuis cumulávit benefíciis, ea quæ agénda sunt júgiter vidére fáciat, et adimplénda quæ víderint convaléscere: Qui vivis.

Die 28. Aprilis.

S. Pauli a Cruce Conf.

Introitus. *Gal. 2.*



Hristo confíxus sum cruci: vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus: in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me, et trádidit semetípsum pro me, allelúja, allelúja.

Ps. 40. Beátus qui intélligit super egénum et paúperem: in die mala liberábit eum Dóminus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui ad mystérium crucis prædicándum sanctum Paulum singulári caritáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti: ipsíus nobis intercessióne concéde; ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cœlis: Qui vivis et regnas.

Et fit commem. S. Vitalis Mart.

Oratio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut, qui beáti Vitális Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *1. Cor. 1.*

Fratres: Non misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre: non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus sǽculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judǽis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis, Judǽis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam: quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus; et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

Allelúja, allelúja.

℣. *2. Cor. 5.* Pro ómnibus mórtuus est Christus: ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est, et resurréxit. Allelúja.

℣. *Rom. 8.* Si fílii, et hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi: si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Allelúja.

Extra tempus Paschale:

Graduale. Gal. 6. Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

℣. *1. Cor. 2.* Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum.

Allelúja, allelúja.

℣. *1. Petr. 2.* Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum ut sequámini vestígia ejus. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. 1. Petr. 4. Christo ígitur passo in carne, et vos eádem cogitatióne armámini: quia qui passus est in carne, désiit a peccátis.

℣. *2. Cor. 4.* Semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

℣. *Hebr. 12.* Aspiciéntes in auctórem fídei et consumatórem Jesum, qui propósito sibi gaúdio, sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera sedis Dei sedet.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 10.*

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite:

Pax huic dómui: et si ibi fúerit filius pacis, requiéscet super illum pax vestra: Sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. Ephes. 5. Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis, allelúja.

Secreta.

Cœléstem nobis, Dómine, præbeant mystéria hæc passiónis et mortis tuæ fervórem: quo sanctus Paulus, ea offeréndo, corpus suum hóstiam vivéntem, sanctam, tibíque placéntem exhíbuit: Qui vivis.

Pro sancto Vitale Martyre.

Secreta.

Munéribus nostris, quǽsumus Dómine, precibúsque suscéptis: et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum nostrum.

Communio. 1. Petr. 4. Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes, allelúja.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, divínum sacraméntum, imménsæ caritátis tuæ memoriále perpétuum: tríbue, quǽsumus; ut sancti Pauli méritis et imitatióne, aquam de fóntibus tuis hauriámus in vitam ætérnam saliéntem, et tuam sacratíssimam passiónem córdibus nostris impréssam móribus et vita teneámus: Qui vivis et regnas.

Pro S. Vitale Martyre.

Postcommunio.

Da, quǽsumus Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne sanctórum temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

FESTA MAJI.

Die 11. Maji.

S. Joannis Damasceni Conf.

(d. a. ex 6. hujus.)

Introitus. *Ps. 72.*



Enuísti manum déxteram meam: et in voluntáte tua deduxísti me, et cum glória suscepísti me, allelúja, allelúja. *Ps.* Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde!
℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui ad cultum sacrárum imáginum ab hæreticórum impietáte vindicándum, beátum Joánnem Confessórem tuum admirábili spíritus fortitúdine decorásti: concéde nobis ejus intercessióne et exémplo; imáginem tuam in nobis impréssam advérsus insídias inimicórum ómnium sédulo custodíre. Per Dñm.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Sap. 10.*

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude

circumveniéntium illum áffuit illi: et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam. Hæc pópulum justum, et semen sine queréla liberávit a natiónibus, quæ illum deprimébant. Intrávit in ánimam servi Dei, et stetit contra reges horréndos in porténtis et signis. Et réddidit justis mercédem labórum suórum.

Allelúja, allelúja.

℣. *1. Reg. 25.* Dóminus salvávit manum tuam tibi: quia prǽlia Dómini tu præliáris. Allelúja.

℣. *Ps. 143.* Benedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prǽlium, et dígitos meos ad bellum. Allelúja.

Si festum celebretur post Pentecosten.

Graduale. Ps. 17. Deus, qui præcínxit me virtúte: et pósuit immaculátam viam meam.

℣. Qui docet manus meas ad prǽlium: et posuísti, ut arcum ǽreum, bráchia mea: et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ: et déxtera tua suscépit me.

Allelúja, allelúja.

℣. Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos: confríngam illos, nec póterunt stare: cadent subtus pedes meos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Lucæ 6.*

In illo témpore: Factum est et in álio sábbato, ut intráret Jesus in synagógam, et docéret. Et erat ibi homo, et manus ejus déxtera erat árida. Observábant autem scribæ et pharisǽi, si in sábbato curáret: ut invenírent unde accusárent eum. Ipse vero sciébat cogitatiónes eórum. Et ait hómini, qui habébat manum áridam: Surge, et sta in médium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Jesus: Intérrogo vos, si licet sábbatis benefácere, an male: ánimam salvam fácere, an pérdere? Et circumspéctis ómnibus dixit hómini: Exténde manum tuam. Et exténdit: et restitúta est manus ejus. Ipsi autem repléti sunt insipiéntia, et colloquebántur ad ínvicem, quidnam fácerent Jesu.

Offertorium. Job. 14. Lignum habet spem, si præcísum fúerit, rursum viréscit, et rami ejus púllulant, allelúja.

Secreta.

Ut, quæ tibi Dómine offérimus, dona tuo sint digna conspéctu, beáti Joánnis et sanctórum, quos ejus ópera expósitos in templis cólimus, pia suffragátio conspíret. Per Dóminum.

Communio. Ps. 36. Bráchia peccatórum conteréntur, confírmat autem justos Dóminus, allelúja.

Postcommunio.

Sumpta nos, quǽsumus Dómine, dona cœléstibus armis tueántur: et beáti Joánnis patrocínia circúmdent sanctórum unánimi suffrágio cumuláta, quorum imágines evícit in Ecclésia venerándas. Per Dóminum nostrum.

Die 14. Maji.

Elevationis Corporum

Ss. Ambrosii, Gervasii et Protasii.

Introitus. *Ps. 117.*



Ox exsultatiónis et salútis in tabernáculis justórum. Déxtera Dómini exaltávit me. Non móriar, sed vivam: et narrábo ópera Dómini. Allelúja, allelúja.

Ps. ibid. Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctórum Ambrósii, Gervásii et Protásii gloriósa córpora, tamquam salútis pígnora, in lucem hódie restítuens, Ecclésiam tuam tantis in necessitátibus consolári dignátus es; præsta, ut ipsa his præsídiis et propugnáculis fulta, pacem et prosperitátem ássequi mereátur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. *Rom. VIII., 35.*

Fratres: Quis nos separábit a caritáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an períċulum? an persecútio? an gládius? (Sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur tota die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis). Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

Allelúja, allelúja.

℣. Isti sunt duæ olívæ et duo candelábra lucéntia ante Dóminum. Allelúja.

℣. *Eccli. 49.* Firmaméntum gentis, rector fratrum, stabiliméntum pópuli. Et ossa ipsíus visitáta sunt et post mortem prophetavérunt. Allelúja.

Si festum celebretur post tempus Paschale, dicitur:

Graduale. Eccli. 50. Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum.

℣. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei.

Allelúja, allelúja.

℣. Isti sunt duæ olívæ et duo candelábra lucéntia ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. *Matth. 5.*

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti paúperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti, qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti, qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est re-

gnum cœlórum. Beáti estis, cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos mentiéntes, propter me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis: sic enim persecúti sunt prophétas, qui fuérunt ante vos. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est.

Credo.

Offertorium. Apoc. 6. Vidi subtus altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei. Et datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ; et dictum est illis, ut requiéscerent adhuc tempus módicum. Allelúja.

Secreta.

Múnera, quæ sanctórum Ambrósii, Gervásii et Protásii gloriósa trophǽa celebrántes tuis altáribus læti offérimus, tu, Dómine, benígno favóre proséquere; ut eórum méritis et précibus adjúti, de hóstibus mentis et córporis triumpháre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Communio. Eccli. 44. Laudémus viros gloriósos et paréntes nostros, qui in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et habéntur in laúdibus. Allelúja.

Postcommunio.

Divína hóstia, quam hódie, sanctos Ambrósium, Gervásium et Protásium commemorántes, in gaúdio percépimus, nos omnes, quǽsumus Dómine, róboret et confírmet, ut qui de eórum fide et córporum thesaúro gloriámur, semper in eádem fide, quam illi nobis cum sánguine et vita tradidérunt, fidéliter perseveráre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Die 15. Maji.

S. Isidori Agricolæ, Conf.

Introitus. *Ps. 91.*



Ustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri. *Temp. Pasch.* Allelúja, allelúja.

Ps. ibid. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, quǽsumus miséricors Deus: beáto Isidóro agrícola Confessóre tuo intercedénte, supérbe non sápere; sed ejus méritis et exémplis, plácita tibi semper humilitáte deservíre. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. *Jac. 5.*

Fratres: Patiéntes estóte usque ad advéntum Dómini. Ecce agrícola exspéctat pretiósum fructum terræ, patiénter ferens, donec accípiat temporáneum, et serótinum. Patiéntes ígitur estóte et vos, et confirmáte corda vestra, quóniam advéntus Dómini appropinquávit. Ecce beatificámus eos, qui sustinu-

érunt. Sufferéntiam Job audístis, et finem Dómini vidístis, quóniam miséricors Dóminus est, et miserátor. Confitémini ergo altérutrum peccáta vestra, et oráte pro ínvicem, ut salvémini: multum enim valet deprecátio justi assídua. Elías homo erat símilis nobis passíbilis: et oratióne orávit, ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Temp. Pasch. Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 111.* Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

℣. *Osee 14.* Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

Extra Temp. Paschale.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 111.* Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Joánnem. *Joann. 15.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum; et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis. Manéte in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis.

Offertorium. Ps. 20. In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei. *Temp. Paschali.* Allelúja.

Secreta.

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has pópuli tui oblatiónes benígnus assúme: ut, intercedénte beáto Isidóro Confessóre tuo, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis: quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis. *Temp. Pasch.* Allelúja.

Postcommunio.

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis cœléste mystérium: et præsta; ut sancti Isidóri Confessóris tui, cujus exséquimur cultum, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Martyris.

Tempore Paschali: Missa. Protexísti. *ut in Communi unius Martyris.*

cum Evangelio Nihil est opértum. *de Communi unius Mart. non Pont.*

Extra Temp. Pasch. Missa. Lætábitur. *de eodem Communi secundo loco, præter Orat. sequ.*

Oratio.

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium, nova Ecclésiam tuam martýrii coróna decorásti: da nobis ejus intercessióne et exémplo, linguam caute custodíre; ac ómnia pótius mala, quam ánimæ detriméntum, in hoc sǽculo toleráre. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Secreta.

Per hæc tua, Dómine, sacra mystéria illo nos caritátis igne accendámur, quo ínclytus Martyr Joáñes éadem peragéndo flagrábat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Spíritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cœléstis: quæ beáti Mártyris tui Joánnis pro sacraménti honóre tentátam constántiam, júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

Die 23. Maji.

S. Joannis Baptistæ de Rossi
Confessoris.

Missa. Os justi. *de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.*

Oratio.

Deus, qui sanctum Joánnem Baptístam Confessórem tuum in evangelizándis paupéribus caritáte et patiéntia decorásti: concéde quǽsumus; ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Secreta.

Oblátum tibi munus, quǽsumus Dómine, in odórem suavitátis ascéndat: et, sancto Joánne Baptísta Confessóre tuo intercedénte, nos córpore et mente puríficet. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Cœléstis Dómine, participátio sacraménti, sancti Joánnis Baptístæ Confessóris tui suffragántibus méritis, fidéles tuos mundet et múniat: ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per Dóminum nostrum.

Die 24. Maji.

B. Mariæ Virginis Titulo
Auxilium Christianorum.

Missa. Salve, sancta parens. *ut in Missa votiva a Pentec. usque ad Advent. præter Orat. sequ. Et dicitur* Credo.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui ad defensiónem pópuli christiáni in beatíssima Vírgine María perpétuum auxílium mirabíliter constituísti: concéde propítius; ut tali præsídio muníti, certántes in vita, victóriam de hoste malígno cónsequi valeámus in morte. Per Dóminum.

Secreta.

Pro religiónis christiánæ triúmpho hóstias placatiónis tibi, Dómine, immolámus: quæ, ut nobis profíciant, opem auxiliátrix Virgo præstet, per quam talis perfécta est victória. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de B. Maria. Et te in Festivitáte.

Postcommunio.

Adésto, Dómine, pópulis, qui participatióne córporis et sánguinis tui reficiúntur: ut sanctíssima tua Genitríce auxiliánte, ab omni malo et perículo liberéntur, et in omni ópere bono custodiántur: Qui vivis et regnas.

Temp. Pasch. dic. eadem Missa cum Allelúja; *et post Epistol. dicit.* Allelúja, allelúja *cum duobus versibus ut in Miss. a Pascha usque ad Pentec.*

Die 28. Maji.

S. Augustini Episc. et Conf.

Introitus. *Ps. 131.*



Acerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui.

Ps. ibid. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es: concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses. *1. Thess. 2.*

Fratres: Fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium: ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ: Deus testis est: nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis; cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli: sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quóniam caríssimi nobis facti estis. Mémores enim estis, fratres, labóris nostri, et fatigatiónis: nocte ac die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

Graduale. Ps. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 109.* Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 109.* Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

℣. *Eccli. 45.* Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 10.*

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Sacrifícium tibi offérimus, Dómine, in solemnitáte beáti Augustíni Pontíficis et Confessóris tui humíliter deprecántes: ut oves, quæ periérunt, ad unum ovíle revérsæ, hoc salutári pábulo nutriántur. Per Dóminum nostrum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Hóstia salutári refécti: te Dómine súpplices exorámus; ut éadem, beáti Augustíni interveniénte suffrágio, in omni loco nómini tuo júgiter immolétur. Per Dóminum.

Die 31. Maji.

S. Angelæ Mericiæ Virg.

Missa. Dilexísti. *de Comm. Virgin. præter Orat. sequ.*

Oratio.

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti: da nobis ejus intercessióne angélicis móribus vívere; ut terrénis ómnibus abdicátis, gaúdiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dñm.

Secreta.

Hóstia, Dómine, quam tibi beátæ Angelæ memóriam recoléntes offérimus, et nostræ pravitátis véniam implóret, et grátiæ tuæ nobis dona concíliet. Per Dñm.

Postcommunio.

Cœlésti alimónia refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut beátæ Angelæ précibus et exémplo, ab omni labe mundáti, et córpore tibi placeámus, et mente. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Dominica III. post Pentecosten.

Purissimi Cordis B. Mariæ V.

Introitus. *Ps. 44.*



Mnis glória ejus fíliæ regis ab intus, in fímbriis aúreis, circumamícta varietátibus: adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi.

Ps. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti: concéde propítius; ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus.

Et fit commem. Dominicæ occurr.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Cant. 8.*

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Sap. 7. Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. ℣. *Cant. 6.* Ego diléсto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúja, allelúja.

℣. *Luc. 1.* Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Allelúja.

In Missis votivis a Septuagesima usque ad Pascha, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Luc. 1. Magníficat ánima mea Dóminum. ℣. Et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

℣. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Tempore Paschali.

Allelúja, allelúja.

℣. *Sap.* 7. Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. Allelúja.

℣. *Cant. 6.* Ego diléсto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 2. g.*

In illo témpore: Dixit mater Jesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis, quia in his quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Credo.

Offertorium. Judith. 15. Quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum; ídeo et manus Dómini confortávit te, et eris benedícta in ætérnum.

Secreta.

Majestáti tuæ, Dómine, Agnum imaculátum offeréntes, quæsumus, ut corda nostra ignis ille divínus accéndat, qui Cor beátæ Maríæ Vírginis ineffabíliter inflammávit. Per eúmdem Dóminum.

Alia Secreta Dominicæ.

Præfatio. Et te in Festivitáte.

Communio. Cant. 2. Sub umbra illíus quem desideráveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo.

Postcommunio.

Divínis refécti munéribus te, Dómine, supplíciter exorámus: ut beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, cujus puríssimi Cordis solémnia venerándo égimus, a præséntibus perículis liberáti, ætérnæ vitæ gaúdia consequámur. Per Dóminum nostrum.

Alia Postcommunio Dominicæ.

In fine legitur Evangelium ejusdem Dominicæ.

FESTA JUNII.

Die 5. Junii.

S. Bonifacii Episc. et Mart.

Introitus. *Isai. 65.*



Xsultábo in Jerúsalem, et gaudébo in pópulo meo: et non audiétur in eo ultra vox fletus et vox clamóris. Elécti mei non laborábunt frustra, neque generábunt in conturbatióne: quia semen benedictórum Dómini est, et nepótes eórum cum eis.

Ps. 43. Deus aúribus nostris audívimus: patres nostri narravérunt opus, quod operátus es in diébus eórum. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifácii Mártyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44.

Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prædíti, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum. Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes: pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in laúdibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum: et sunt, quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint: et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis. Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatió-

nem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet ecclésia.

Graduale. 1. Petri 4. Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes.

℣. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus spíritus, super vos requiéscet.

Allelúja, allelúja.

℣. *Isai. 66.* Declinábo super eum quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem glóriam. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. *Isaiæ 66.* Lætámini cum Jerúsalem, et exsultáte in ea omnes, qui dilígitis Dóminum. Allelúja.

℣. Vidébitis, et gaudébit cor vestrum: cognoscétur manus Dómini servis ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. *Matth. 5.*

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti paúperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis.

Offertorium. Ps. 15. Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: providébam Deum in conspéctu meo semper, quóniam a dextris est mihi ne commóvear.

Secreta.

Super has hóstias Dómine, quǽsumus benedíctio copiósa descéndat: quæ et sanctificatiónem nostram misericórditer operétur, et de sancti Bonifácii Mártyris tui atque Pontíficis fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

Communio. Apoc. 3. Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Postcommunio.

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério: quǽsumus; ut nobis sancti Bonifácii, Mártyris tui atque Pontíficis, pia non desit orátio, cujus nos donásti patrocínio gubernári. Per Dóminum.

Die 29. Junii.

Commemoratio

Omnium Ss. Apostolorum

facienda in Missa de Ss. Apostolis Petro et Paulo.

Oratio.

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Secreta.

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerántes: quæsumus; ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus: ut intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

FESTA JULII.

Die 5. Julii.

Ss. Cyrilli et **Methodii** Pontificum et Confessorum.

Introitus. *Ps. 131.*



Acerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui.

Ps. ibid. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui Slavóniæ gentes per beátos Confessóres tuos atque Pontífices Cyríllum et Methódium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: præsta; ut quorum festivitáte gloriámur, eórum consórtio copulémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Octavæ Ss. Apost. Petri et Pauli.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Hebr. 7. d.*

Fratres: Plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cœlis factus: qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo Jesus Christus Dóminus noster.

Graduale. Ps. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 109.* Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Si contingat celebrari festum post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 109.* Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

℣. *Eccli. 45.* Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 10.*

IN illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Et dic. Credo. *propter Oct. Apost.*

Offertorium. Ps. 77. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus.

Secreta.

PReces nostras, quǽsumus Dómine, et tuórum réspice oblatiónes fidélium: ut tibi gratæ sint in tuórum festivitáte sanctórum, et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxílium. Per Dóminum.

Pro commemoratione Octavæ.

Secreta.

HÓstias, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus, apostólica prosequátur orátio: per quam nos expiári tríbuas, et deféndi. Per Dóminum.

Et dicitur Præf. de Apost. propter Octavam Apost. Petri et Pauli.

Communio. Matth. 10. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta.

Postcommunio.

QUǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui nobis múnera dignáris præbére cœléstia, intercedéntibus sanctis tuis Cyríllo et Methódio, despícere terréna concédas. Per Dóminum nostrum.

Pro commemoratione Octavæ.

Postcommunio.

QUos cœlésti, Dómine, aliménto satiásti: apostólicis intercessiónibus ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

Die 7. Julii.

S. Laurentii a Brundusio

Confessoris.

Introitus. *Eccli. 42.*



IN sermónibus Dómini ópera ejus: sol illúminans per ómnia respéxit, et glória Dómini plenum est opus ejus.

Ps. 67. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus, et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui ad árdua quæque pro nóminis tui glória, et animárum salúte beáto Lauréntio Confessóri tuo spíritum consílii et fortitúdinis contulísti: da nobis in eódem spíritu et agénda cognóscere, et cógnita ejus intercessióne perfícere. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Coríntthios. *2. Cor. 5.*

Cáritas Christi urget nos: æstimántes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt; et pro ómnibus mórtuus est Christus: ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem. Et si cognóvimus secúndũ carnem Christum; sed nunc jam non nóvimus. Si qua in Christo nova creatúra, vétera transiérunt: ecce facta sunt ómnia nova. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit sibi per Christum, et dedit nobis ministérium reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo. Eum, qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit, ut nos efficerémur justítia Dei in ipso.

Graduale. Exod. 15. Fortitúdo et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem: iste Deus meus, et glorificábo eum.

℣. Dóminus quasi vir pugnátor: omnípotens nomen ejus.

Allelúja, allelúja.

℣. *Eccli. 46.* Invocávit Altíssimum poténtem in oppugnándo inimícos úndique: et audívit illum magnus et sanctus Deus. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Lucæ 9.*

In illo témpore: Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infírmos. Et ait ad illos: Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúmque domum intravéritis, ibi manéte, et inde ne exeátis. Et quicúmque non recéperint vos, exeúntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per castélla, evangelizántes et curántes ubíque.

Offertorium. Isai. 49. Pósuit os meum quasi gládium acútum: in umbra manus suæ protéxit me, et pósuit me sicut sagíttam eléctam.

Secreta.

Ad cœléste convívium fac nos, Deus, salutáribus pœniténtiæ lácrimis dignos accédere: quod beáto Lauréntio vitæ candor suavíssimum efficiébat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Communio. Sap. 8. In conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me.

Postcommunio.

Divinitátis tuæ, Dómine, sempitérna fruitióne satiémur: quam beátus Lauréntius in sacro altáris mystério prægustábat. Per Dóminum nostrum.

Die 27. Julii.

S. Pantaleonis Martyris.

Missa. Lætábitur. *de Comm. unius Mart. non Pont.*

Oratio.

Deus, qui beátum Pantaleónem Mártyrem tuum vária torménta superáre fecísti, et pro persecutóribus exoráre: concéde propítius; ut qui ejus implorámus auxílium misericórdiæ tuæ sentiámus efféctum. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI.

Die 2. Augusti.

S. Alphonsi Mariæ de Ligorio

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus. *Luc. 4. c.*



Píritus Dómini super me: propter quod unxit me: evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde. *Ps.* 77. Atténdite pópule meus legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per beátum Alphónsum Maríam, Confessórem tuum atque Pontíficem, animárum zelo succénsum, Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti: quǽsumus; ut ejus salutáribus mónitis edócti, et exémplis roboráti, ad te pervenire felíciter valeámus. Per Dóminum nostrum.

Et fit commem. S. Stephani Papæ et Mart., cum Orationibus ut in Missali eadem die.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. *2. Tim. 2.*

Caríssime: Confortáre in grátia, quæ est in Christo Jesu: et quæ audísti a me per multos testes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt et álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo ímplicat se negótiis sæculáribus: ut ei pláceat, cui se probávit. Nam et qui certat in agóne, non coronátur, nisi legítime certáverit. Laborántem agrícolam opórtet primum de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico: dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum.

Graduale. Ps. 118. Memor fui judiciórum tuórum a sǽculo, Dómine, et consolátus sum: deféctio ténuit me pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

℣. *Ps. 39.* Justítiam tuam non abscóndi in corde meo: veritátem tuam, et salutáre tuum dixi.

Allelúja, allelúja.

℣. *Eccli. 49.* Ipse est diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis: et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus: et in diébus peccatórum corroborávit pietátem. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti dicitur:*

Tractus. Ps. 34. Ego autem cum mihi molésti essent, induébar cilício: humiliábam in jejúnio ánimam

meam: et orátio mea in sinu meo convertétur.

℣. *Ps. 22.* Parásti in conspéctu meo mensam advérsus eos, qui tríbulant me: impinguásti in óleo caput meum, et calix meus inébrians quam præclárus est!

℣. *1. Cor. 9.* Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucrifácerem.

Tempore Paschali, omisso Graduali, dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 132.* Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum: sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aaron. Allelúja.

℣. *Joann. 15.* Pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 10.*

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei. Credo.

Offertorium. Prov. 3. Honóra Dóminum de tua substántia, et de primítiis ómnium frugum tuárum da ei. Noli prohibére benefácere eum, qui potest: si vales, et ipse bénefac.

Secreta.

Cœlésti, Dómine Jesu Christe, sacrifícii igne corda nostra in odórem suavitátis exúre: qui beáto Alphónso Maríæ tribuísti et hæc mystéria celebráre, et per éadem hóstiam tibi sanctam seípsum exhibére: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Secreta pro sancto Stephano ut in Missali.

Communio. Eccli. 50. Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum, quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Alphónsum Maríam, Confessórem tuum atque Pontíficem, fidélem divíni mystérii dispensatórem et præcónem effecísti: ejus méritis, precibúsque concéde; ut fidéles tui et frequénter percípiant, et percipiéndo sine fine collaúdent. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Postcommunio sancti Stephani ut in Missali.

Die 13. Augusti.

S. Joannis Berchmans Conf.

Introitus. *Ps. 118.*



Custodívit ánima mea testimónia tua, et diléxit ea veheménter. *Ps. ibid.* Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Concéde quǽsumus fámulis tuis, Dómine Deus, ejus innocéntiæ ac fidelitátis exémpla in tuo servítio sectári, quibus angélicus júvenis Joánnes ætátis suæ florem consecrávit. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. S. Laurentii, et Ss. Hippolyti et Cassiani Mart. ut in Missali.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Eccli. 51.*

Confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. Cum adhuc júnior essem, priúsquam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea. Ante templum postulábam pro illa, et usque in novíssimis inquíram eam. Et efflóruit tamquam præcox uva: lætátum est cor meum in ea. Ambulávit pes meus iter rectum, a juventúte mea investigábam eam. Inclinávi módice aurem meam, et excépi illam. Multam invéni in me ipso sapiéntiam, et multum proféci in ea. Danti mihi sapiéntiam, dabo glóriam. Consiliátus sum enim ut fácerem illam: zelátus sum bonum, et non confúndar. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmátus sum. Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsa cor ab inítio: propter hoc non derelínquar. Vidéte óculis vestris quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem.

Graduale. Cap. 4. Consummátus in brevi explévit témpora multa: ℣. Plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

Allelúja, allelúja.

℣. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juvéntus celérius consummáta longam vitam injústi. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 70. Deus, docuísti me a juventúte mea: et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

℣. *Ps. 118.* Quam dúlcia faúcibus meis elóquia tua, super mel ori meo! ℣. Ab omni via mala prohíbui pedes meos: ut custódiam verba tua.

Tempore Paschali dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 18.* Jurávi, et státui custodíre judícia justítiæ tuæ. Allelúja.

℣. *Ps. ibid.* Qui timent te, vidébunt me et lætabúntur: quia in verba tua supersperávi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. *Matth. 19.*

In illo témpore: Ecce unus accédens ad Jesum ait illi: Magíster bone, quid boni fáciam, ut hábeam vitam ætérnam? Qui dixit ei: quid me intérrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam íngredi, serva mandáta. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicídium fácies: non adulterábis: non fácies furtum: non falsum testimónium dices: honóra patrem

tuum et matrem tuam, et díliges próximum tuum sicut te ipsum. Dicit illi adoléscens: ómnia hæc custodívi a juventúte mea: quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesaúrum in cœlo: et veni, séquere me.

Offertorium. Ps. 115. O Dómine, quia ego servus tuus, ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ: dirupísti víncula mea: tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Secreta.

Réspice, miséricors Deus, dona quæ offérimus recoléntes ánimo caritátem: qua beátus Joánnes inter hæc mystéria flagrábat. Per Dóminum nostrum.

Communio. Cant. 6. 3. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam.

Postcommunio.

Cœlésti épulo refé̈ctis præsta nobis, quæsumus, miséricors Deus: ut beáti Joánnis vestígia sequéntes, viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dñm.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Missa. Justus. *de Comm. Conf. non Pontificis, præter Orat. sequ.*

Oratio.

Pópulum tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dñm.

Et fit commem. Octavæ Assumpt. et S. Laurentii, ut in Missali.

Credo. *et Præfatio de Octava.*

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Rocho Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Die 18. Augusti.

B. Paulæ Montaldiæ Virg.

Missa. Dilexísti. *de Comm. Virg.*

Oratio.

Deus, qui beátam Paulam Vírginem crucifíxi Fílii tui pœnas assídua meditatióne recoléntem, puritátis nobis et pœniténtiæ exémplar præbuísti: concéde propítius; ut, ejus intercessióne, carnem crucifigéntes, in ampléxu Domínicæ crucis felíciter exspiráre possímus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Die 26. Augusti.

S. Alexandri Martyris.

Introitus. *Ps. 91.*



Justus germinábit sicut lílium et florébit in ætérnum ante Dóminum: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri.

Ps. 91. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Alexándri Mártyris tui confessióne gloriósa circúmdas et prótegis: da

nobis, quǽsumus, ejus imitatióne profícere, et oratióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. *Cap. 6.*

Fratres: Confortámini in Dómino, et in poténtia virtútis ejus, indúite vos armatúram Dei ut possítis stare advérsus insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio advérsus carnem, et sánguinem, sed advérsus príncipes, et potestátes; advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ in cœléstibus. Proptérea accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare. State ergo succínti lumbos vestros in veritáte, et indúti loricam justítiæ, et calceáti pedes in præparatióne evangélii pacis: in ómnibus suméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea exstínguere; et gáleam salútis assúmite, et gládium spíritus, quod est verbum Dei.

Graduale. Eccli. 47. Fortis in bello beátus Alexánder, qui fuit magnus secúndum nomen suum, máximus in salútem electórum Dei.

℣. *Ibid. 46.* Invocávit Altíssimum poténtem in oppugnándo inimícos úndique, et audívit illum Deus.

Allelúja, allelúja.

℣. *Idem. 50.* Qui curávit gentem suam et liberávit eam a perditióne. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. *Cap. 10. c.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam, et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Offertorium. Eccli. 50. Quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis beátus Alexánder. Allelúja.

Secreta.

Accépta tibi sint, quǽsumus Dómine, múnera, quæ in die solemnitátis beáti Mártyris tui Alexándri deférimus: ut sic majestáti tuæ sint plácita, sicut illíus effúsio sánguinis apud te éxstitit pretiósa. Per Dóminum.

Communio. Oseæ. 14. Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Postcommunio.

Sumptis cœléstibus sacraméntis et gaúdiis, súpplices te rogámus, Dómine: ut beáti Mártyris tui Alexándri, cujus gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum nostrum.



FESTA SEPTEMBRIS.

Die 3. Septembris.

S. Claræ a Cruce de Montefalco Virginis.

(d. a. ex 18. Aug.)

Introitus. *Gal. 2.*



Ivo autem jam non ego: vivit vero in me Christus, qui diléxit me, et trádidit semetípsum pro me. *Ps. 44.* Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctam Vírginem tuam Claram claríficans, in ipsíus córpore Passiónis tuæ et Trinitátis mystéria miríficis signis renovásti: præsta quǽsumus, ejus précibus et imitatióne; sic nos tuæ Passiónis amaritúdinem recordári, ut Trinitátis beatitúdine pérfrui mereámur: Qui cum Patre et Spíritu sancto in Trinitáte vivis et regnas Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Cant. 8.*

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum; quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flamárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Gal. 6. Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. *Phil. 1.* Mihi vívere Christus est et mori lucrum.

Allelúja, allelúja. ℣. *Hebr. 13.* Jesus Christus heri, et hódie: ipse et in sǽcula. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 72. Quid mihi est in cœlo? et a te quid vólui super terram? ℣. Defécit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. ℣. Mihi autem adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam: ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, in portis fíliæ Sion.

Tempore Paschali, omisso Graduali cum Versu et Tractu, dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. *1. Reg. 2.* Exsultávit cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo: dilatátum est os meum super inimícos meos: quia lætáta sum in salutári tuo. Allelúja. ℣. *Col. 3.* Vita mea abscóndita est cum Christo in Deo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. *Matth. 25.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor

factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 83. Concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini: cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.

Secreta.

Adsit nobis quǽsumus, Dómine Jesu Christe, sanctæ Claræ pia, húmilis et devóta supplicátio, in cujus corde prærogatíva mirábili Passiónis tuæ mystéria renovásti: præsta; ut virtúte præséntis oblatiónis tuæ Passiónis circa nos benefícia júgiter sentiámus: Qui vivis et regnas.

Communio. Ps. 20. Prævenísti eam, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus coróنam de lápide pretióso.

Postcommunio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui frigescénte mundo, ad corda nostra inflammánda in corde sanctæ Claræ Passiónis tuæ mystéria renovásti: concéde propítius; ut ejus précibus et méritis dignos fructus pœniténtiæ faciámus: Qui vivis et regnas.

Die 9. Septembris.

S. Petri Claver Confessoris.

Introitus. *Ps. 106.*



Satiávit Dóminus ánimam inánem: sedéntes in ténebris et umbra mortis, vinctos in mendicitáte et ferro.

Ps. ibid. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui abréptos in servitútem Nigrítas ad agnitiónem tui nóminis vocatúrus, beátum Petrum mira in eis juvándis caritáte et patiéntia roborásti: ejus nobis intercessióne concéde; ut quæ Jesu Christi sunt quæréntes, próximos ópere et veritáte diligámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. Oct. Nativ. B. M. V., et S. Gorgonii Mart. ut in Missali.

Léctio Isaíæ Prophétæ. *Isai. 58. b.*

Hæc dicit Dóminus: Dissólve colligatiónes impietátis, solve fascículos depriméntes, dimítte eos qui confrácti sunt líberos, et omne onus dirúmpe. Frange esuriénti panem tuum, et egénos, vagósque índuc in domum tuam: cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris. Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te. Tunc invocábis, et Dóminus exaúdiet: clamábis, et dicet:

Ecce adsum. Cum effúderis esuriénti ánimam tuam, et ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, et ténebræ tuæ erunt sicut merídies.

Graduale. Ps. 71. Liberábit paúperem a poténte, et paúperem cui non erat adjútor. Parcet paúperi et ínopi, et ánimas paúperum salvas fáciet. ℣. Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum: et honorábile nomen eórum coram illo.

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 9.* Exsúrge Dómine Deus: exaltétur manus tua: ne obliviscáris paúperum. Tibi derelíctus est pauper: órphano tu eris adjútor. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja *et versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Isaiæ 61. Misit me Dñs ut medérer contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam.

℣. *1. Cor. 9.* Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucrifácerem.

℣. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos.

Tempore Paschali.

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 123.* Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium: láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus. Allelúja.

℣. *Ps. 84.* Prope timéntes eum salutáre ipsíus: ut inhábitet glória in terra nostra. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 10. e.*

In illo témpore: Legisperítus quidam volens justificáre seípsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus próximus? Suscípiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et íncidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum: et plagis impósitis abiérunt, semivívo relícto. Accidit autem ut sacérdos quidam descénderet eádem via; et viso illo præterívit. Simíliter et levíta, cum esset secus locum, et vidéret eum, pertránsiit. Samaritánus autem quidam iter fáciens, venit secus eum: et videns eum, misericórdia motus est. Et apprópians alligávit vúlnera ejus, infúndens óleum et vinum: et impónens illum in juméntum suum, duxit in stábulum, et curam ejus egit. Et áltera die prótulit duos denários, et dedit stabulário, et ait: Curam illíus habe; et quodcúmque supererogáveris, ego cum redíero, reddam tibi. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuísse illi, qui íncidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac simíliter.

Credo.

Offertorium. Job. 29. Eo quod liberássem paúperem vociferántem, et pupíllum, cui non esset adjútor, benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram paúperum.

Secreta.

Caritátis víctima, quam immolántes offérimus, sit nobis, Dómine, te miseránte, propitiábilis: et beáti Petri précibus et méritis, ad obtinéndum patiéntiæ et caritátis augméntum, éfficax et salutáris. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria V. Et te in Nativitáte.

Communio. Ezech. 34. Ego pascam oves meas, et ego eas accubáre fá-

ciam, dicit Dóminus Deus. Quod períerat, requíram; et quod abjéctum erat, redúcam; et quod confráctum fúerat, alligábo; et quod infírmum fúerat, consolidábo.

Postcommunio.

Crescat in nobis, Dómine, tuæ pietátis efféctus salutáris: ut cœlésti pábulo nutríti ætérnæ vitæ corónam, beáto Petro intercedénte, felíciter assequámur. Per Dñm.

FFSTA OCTOBRIS.

Dominica I. Octobris.

In Solemnitate Ss. Rosarii B. Mariæ Virg.

Introitus.



Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis: de cujus solemnitáte gaudent Angeli et collaúdant Fílium Dei. *Ps. 44.* Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, cujus Unigénitus per vitam, mortem, et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ prǽmia comparávit: concéde, quǽsumus; ut hæc mystéria sanctíssimo beátæ Maríæ Vírginis Rosário recoléntes, et imitémur quod cóntinent, et quod promíttunt, assequámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. Dominicæ occurr.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Prov. 8.*

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram. Nunc ergo, fílii, audíte me: beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino.

Graduale. Ps. 44. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex spéciem tuam.

Allelúja, allelúja.

℣. Solémnitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 1. c.*

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit: Ave grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus, et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María

ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Credo.

Offertorium. Eccli. 24, 39. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis: ego quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificávi.

Secreta.

Fac nos, quǽsumus Dómine, his munéribus offeréndis conveniénter aptári: et per sanctíssimi Rosárii mystéria sic vitam, passiónem, et glóriam Unigéniti tui recólere; ut ejus digni promissiónibus efficiámur: Qui tecum vivit.

Et fit commem. Domin. occurr.

Præf. B. M. V. Et te in solemnitáte.

Communio. Eccli. 39. Floréte flores quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam, collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis.

Postcommunio.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ, cujus Rosárium celebrámus, quǽsumus Dómine, précibus adjuvémur: ut et mysteriórum, quæ cólimus, virtus percipiátur et sacramentórum, quæ súmpsimus, obtineátur efféctus: Qui vivis.

Et fit comm. Dominicæ occurr. et legitur ejusdem Evangel. in fine.

Die 7. Octobris.

B. Matthæi Carrerii Conf.

Missa. Os justi. *de Comm. Conf. non Pontificis.*

Oratio.

Excita, Dómine, in córdibus nostris Crucis et Passiónis amórem; ut, beáti Matthǽi intercessióne et exémplo, dolórum Christi partícipes efficiámur et glóriæ. Per eúmdem Dóminum.

Die 16. Octobris.

B. Archangelæ Girlani Virg.

Missa. Dilexísti. *de Comm. Virg.*

Oratio.

Deus, qui beátam Archángelam Vírginem in benedictiónibus dulcédinis prævéntam heróicis ditásti virtútibus; ipsa interveniénte, concéde, ut, dono grátiæ tuæ muníti in terris, beatórum choris sociári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Sociarum**

Virg. et Mart.

Introitus. *Ps. 118.*



ME exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, quǽsumus Dómine Deus noster: sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Ursulæ et Sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári; ut, quas digna

mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Hilarionis Abbatis, ut in Missali.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *1. Cor. 7. e.*

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo, consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta córpore et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem.

℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúja, allelúja.

℣. *Ibid.* Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. *Matth. 25.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non suffíciat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 44. Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

Intende, quǽsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Ursulæ et Sociárum ejus, festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 118. Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.

Postcommunio.

Præsta nobis, quǽsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martýribus tuis; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 22. Octobris.

B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virginis.

Missa. Dilexísti. *de Comm. Virg. præter Orat. sequ.*

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias cordis tui beátæ Margarítæ Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis ejus méritis et imitatióne; ut te in ómnibus, et super ómnia diligéntes, jugem in eódem corde tuo mansiónem habére mereámur: Qui vivis et regnas.

Secreta.

Accépta tibi sint, Dómine, plebis tuæ múnera: et concéde; ut ignis ille divínus nos inflámmet, quo de corde Fílii tui emísso beáta Margaríta veheménter æstuávit. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Postcommunio.

Córporis et sánguinis tui, Dómine Jesu, sumptis mystériis: concéde nobis, quǽsumus, beáta Margaríta Vírgine intercedénte; ut supérbis sǽculi vanitátibus exútis, mansuetúdinem et humilitátem cordis tui indúere mereámur: Qui vivis et regnas.

Die 30. Octobris.

In Commemoratione Sanctorum,

quorum Corpora seu Reliquiæ in Ecclesiis asservantur.

Introitus. *Ps. 33.*



Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. *Ps. ibid.* Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dñm.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Eccli. 44.*

Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem.

Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet ecclésia.

Graduale. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis. ℣. *Ps. ibid.* Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 67.* Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 6. c.*

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti paúperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta.

Implorámus, Dómine, cleméntiam tuam: ut sanctórum tuórum, quorum relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum.

Communio. Ps. 32. Gaudéte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Postcommunio.

Multíplica super nos, quǽsumus Dómine, per hæc sancta, quæ súmpsimus, misericórdiam tuam: ut sicut in tuórum solemnitáte sanctórum, quorum relíquias cólimus, pia devotióne lætámur; ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum.

Die 31. Octobris.

S. Alphonsi Rodriguez Conf.

Missa. Justus ut palma. *de Comm. Conf. non Pont., præter Orat. sequ.*

Oratio.

Deus, fortitúdo fragílium et humílium celsitúdo, qui fámulum tuum Alphónsum jugi mortificatiónis stúdio, et exímiæ humilitátis laude claréscere voluísti: da, ut ejus imitatióne carne mortificáti, et in húmili crucis Fílii tui sequéla fidéliter perseverántes, glóriam consequámur ætérnam: Qui tecum vivit.

Secreta.

Oblatiónes nostras tibi Dómine, quǽsumus, beáti Alphónsi intercéssio sancta comméndet, quem coram tuis altáribus precántem supernórum charísmatum dulcédine recreásti. Per Dóminum.

Postcommunio.

Spíritum nobis, Dómine, fortitúdinis tríbuat hæc mensa cœléstis: ut beáti Alphónsi Confessóris exémplo, salútis nostræ hóstium superátis insídiis, perpétua pace pérfrui mereámur. Per Dóminum.

FESTA NOVEMBRIS.

Die 6. Novembris.

S. Leonardi Abbatis et Conf.

Missa. Justus. *de Communi Conf. non Pont.*

Oratio.

Majestáti tuæ, quæsumus Dómine, sancti Confessóris tui Leonárdi nos pia júgiter comméndet orátio: ut quem débito venerámur obséquio, ipsíus suffrágio sublevémur optáto. Per Dóminum.

Die 13. Novembris.

S. Homoboni Confessoris.

Introitus. *Ps. 111.*



Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps. 40.* Beátus qui intélligit super egénum, et paúperem: in die mala liberábit eum Dóminus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Homobónum Confessórem tuum pietátis et misericórdiæ donis insígnem ad promíssa misericórdibus præmia felíciter perduxísti: tríbue quæsumus; ut quem paúperum patrem in terris habúimus, tutelárem propítium habeámus in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia Sanctórum.

Graduale. Ps. 111. Jucúndus homo, qui miserétur, et cómmodat: dispónet sermónes suos in judício, quia in ætérnum non commovébitur.

℣. *Ibid.* In memória ætérna erit justus, ab auditióne mala non timébit.

Allelúja, allelúja.

℣. *Act. cap. 10. 4.* Oratiónes, et eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriam in conspéctu Dei. Allelúja.


Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 12. d.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesaúrum non deficiéntem in cœlis: quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesaúrus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Job. 29. Justítia indútus sum: et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, judício meo. Oculus fui cæco, et pes claudo: Pater eram paúperum.

Secreta.

Hæc múnera, quæsumus Dómine, beáti Homobóni suffrágiis tibi accépta reddántur, qui ejus in paúperes dona benígno semper vultu respexísti. Per Dóminum.

Communio. Eccl. 2. Hómini bono in conspéctu suo dedit Deus sapiéntiam, et sciéntiam et lætítiam.

Postcommunio.

Divínæ largitátis mystériis in festivitáte beáti Homobóni suscéptis: da nobis quǽsumus Dómine; ut ejus pietátis sequámur vestígia, et caritátis accendámur exémplis. Per Dóminum.

Die 14. Novembris.

S. Josaphat Episc. et Mart.

Introitus.



Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Jósaphat Mártyris; de cujus passióne gaudent Angeli et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Excita, quǽsumus Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo replétus beátus Jósaphat Martyr et Póntifex tuus, ánimam suam pro óvibus pósuit: ut, eo intercedénte, nos quoque eódem Spíritu moti ac roboráti, ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. Per Dóminum. in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. *Hebr. 5.*

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fíeret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Graduale. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja.

℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

Temp. Paschali. Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 88.* Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja.

℣. *Ps. 20.* Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti dicitur:*

Tractus. Ps. 20. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis.

℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joáñem. *Joann. 10.*

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus.

Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Joann. 15. Majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Secreta.

Clementíssime Deus, múnera hæc tua benedictióne perfúnde, et nos in fide confírma: quam sanctus Jósaphat Martyr et Póntifex tuus, effúso sánguine, adséruit. Per Dóminum nostrum.

Communio. Joann. 10. Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.

Postcommunio.

Spíritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cœléstis: quæ sancti Jósaphat Mártyris tui atque Pontíficis vitam pro Ecclésiæ honóre júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Die 28. Novembris.

B. Jacobi de Benefactis

Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** *de Communi Conf. Pontificis.*

Oratio.

Deus, qui beáto Jacóbo Confessóri tuo atque Pontífici ómnia boni Pastóris múnia fidéliter explére tribuísti: ejus intercessióne, nobis concéde; ut, per viam mandatórum tuórum gradiéntes, inter oves páscuæ tuæ perpétuo collocári mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Offérimus tibi, Dómine, hóstiam immaculátam, supplíciter deprecántes; ut, intercedénte beáto Jacóbo, ab omni labe expurgáti, nos ipsos hóstiam placéntem tibi exhibeámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Intervéniat pro nobis, quæsumus, Dómine, beátus Jacóbus Conféssor et Póntifex, ejúsque précibus concéde, ut, cœlésti pábulo enutríti, cuncta terréna respuámus. Per Dóminum nostrum.

FFSTA DECEMBRIS.

Die 4. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. *præter Orationem sequentem.*

Oratio.

Intercéssio, quæsumus Dómine, beátæ Bárbaræ, Vírginis et Mártyris tuæ, ab omni nos adversitáte prótegat: ut per ejus intervéntum, gloriosíssimum sacrosáncti Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi Sacraméntum, ante diem éxitus nostri, per veram pœniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Et fit commemoratio Feriæ.

Die 7. Decembris.

In Vigilia

Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis.

Introitus. *Ps. 65.*



Eníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit Dóminus ánimæ meæ. *Ps. ibid.* Jubiláte Deo omnis terra: psalmum dícite nómini ejus, date glóriam laudi ejus. ℣. Glória Patri.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio.

Deus, qui Unigéniti tui matrem ab originali culpa in sua Conceptióne mirabíliter præservásti: da, quæsumus; ut sua nos intercessióne munítos, corde mundos fácias suæ interésse festivitáti. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commemoratio Feriæ.

Tertia Oratio de Spiritu sancto.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Eccli. 24. c.*

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléмini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Prov. 9. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. ℣. *Ps. 86.* Fundaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.



Inítium sancti Evangélii secúndum Matthǽum. *Matth. 1.*

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam, et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis: Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc

autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Offertorium. Cant. 6. Ego diléсto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Secreta.

Múnera nostra, Dómine, apud tuam cleméntiam im̃aculátæ Dei Genitrícis comméndet orátio: quam ab omni origináli labe præservásti, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur: Qui tecum vivit et regnat.

Præfatio communis.

Communio. Cant. 6. Quæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Postcommunio.

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui im̃aculátæ Conceptiónis Genitrícis unigéniti Fílii tui festivitátem prævenímus; intercessiónis ejus auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Dóminum.

Die 8. Decembris.

Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virg.

Introitus. *Ps. 61.*



Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo: quia índuit me vestiméntis salútis: et induménto justítiæ circúmdedit me, quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te perveníre concédas. Per eúmdem Dñm.

Et fit commemoratio Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Prov. 8. c.*

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cœlos, áderam: quando certa lege et gyro vallábat abýssos: quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum: quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos: quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens: et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore; ludens in orbe terrárum: et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me: beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui

vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino.

Graduale. Judith 13. Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram. ℣. *Ibid. 15.* Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Allelúja, allelúja.

℣. *Cant. 4.* Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et* ℣. *sequ., dicitur:*

Tractus. Ps. 86. Fundaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. ℣. *Ibid.* Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

℣. *Ibid.* Homo natus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúja. ℣. Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 1. c.*

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus.

Credo. *quod dicitur per totam Octavam, etiam in Festis infra eam occurr.*

Offertorium. Lucæ 1. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, allelúja.

Secreta.

Salutárem hóstiam, quam in solemnitáte immaculátæ Conceptiónis beátæ Vírginis Maríæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta: ut sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labe imúnem profitémur; ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur. Per Dñm.

Præfatio de B. Maria V. Et te in Conceptióne immaculáta.

Et dicitur per totam Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus.

Communio. Glorióso dicta sunt de te, María: quia fecit tibi magna qui potens est.

Postcommunio.

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster: illíus in nobis culpæ vúlnera réparent; a qua immaculátam beátæ Maríæ Conceptiónem singuláriter præservásti. Per Dóminum nostrum.

℟ *Infra Octavam Immac. Concept. B. M. V., et in die Octava dicitur Missa sicut in die Festi; sed infra Octavam dicitur secunda Oratio de Feria, tertia vero, quando non fit commem. Festi Simplicis vel ad modum Simplicis, dicitur de Spiritu sancto.*

Die 9. Decembris.

S. Syri Episc. et Conf.

Missa. Státuit. *de Comm. Conf. Pont.*

Oratio.

Deus, qui es tuórum Antístitum potentíssimus illustrátor: tríbue quæsumus; ut beatíssimi Syri Confessóris tui atque Pontíficis magníficis exémplis informáti, sǽculi istíus calíginem sine perículo transeámus. Per Dóminum.

Die 26. Decembris.

Commemoratio

Omnium Ss. Martyrum,

facienda in Missa S. Stephani.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum commemoratióne lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis.

Secreta.

Oblátis, quǽsumus Dómine, placáre munéribus: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, a cunctis nos defénde perículis.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, cœléstis remédii fáciat esse consórtes.

MISSÆ VOTIVÆ

PER ANNUM.

Hæ Missæ celebrantur diebus singulis assignatis juxta Apostolicum Indultum generale per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis die 5. Julii 1883 loco Missarum Ferialium occurrentium quocumque anni tempore: exceptis Feria IV. Cinerum, Feriis totius temporis Passionis, ac Sacri Adventus a die 17. ad 24. Decembris inclusive. Secunda et tertia Oratio erunt ut in Semiduplicibus pro diversitate temporis. Fient quoque Commemorationes de Simplici, ac de Feria cum ejus Evangelio in fine Missæ, prout de iis actum est in respondente Officio Votivo per annum, juxta Rubricas Missalis. Dicitur Glória *et omittitur* Credo.

Pro Feria II.

De sanctis Angelis.

Missa. Benedícite Dóminum omnes Angeli ejus. *quæ invenitur inter Missas votivas.*

Secunda et tertia Oratio pro diversitate temporis ut in Semiduplicibus.

Non dicitur Credo.

Pro Feria III.

De sanctis Apostolis.

Introitus. *Ps. 138.*



Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. *Ps. ibid.* Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Secunda et tertia Oratio pro diversitate temporis ut in Semiduplicibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. *Ephes. 4. b.*

Fratres: Unicuíque nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Propter

quod dicit: Ascéndens in altum captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Quod autem ascéndit, quid est, nisi quia et descéndit primum in inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cœlos, ut impléret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero evangelístas, álios autem pastóres, et doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi; donec occurrámus omnes in unitátem fide, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

Graduale. Ps. 44. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine.

℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 138.* Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrimis, in gaúdio metent.

℣. Eúntes ibant, et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. *Matth. 19. d.*

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Non dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 18. In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta.

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerántes: quæsumus; ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Matth. 19. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus: ut, intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Tempore Paschali.

Missa ut supra præter sequentia.

Introitus. *Ps. 63.*



Rotexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. *Ps. ibid.* Exaúdi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

8*

Post Epistolam. Allelúja, allelúja.

℣. *Ps. 88.* Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja.

℣. *Joann. 15.* Ego vos elégi de mundo, ut eátis, et fructum afferátis, et frúctus vester máneat. Allelúja.

Offertorium. Ps. 44. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine, in omni progénie et generatióne, allelúja, allelúja.

Communio. Ps. 18. In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum, allelúja, allelúja.

Pro Feria IV.

De S. Joseph, Sponso B. M. V. Confessore et catholicæ Ecclesiæ Patrono.

Introitus. *Ps. 32.*



Djútor, et protéctor noster est Dóminus: in eo lætábitur cor nostrum, et in nómine sancto ejus sperávimus.

Ps. 79. Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis, velut ovem, Joseph. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es: præsta, quǽsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis: Qui vivis et regnas.

Secunda et tertia Oratio pro diversitate temporis ut in Semiduplicibus. Quo tempore Oratio A cunctis. *dicenda veniet, in eadem omittitur nomen S. Joseph.*

Léctio libri Génesis. *Gen. 49. c.*

Fílius accréscens Joseph, fílius accréscens, et decórus aspéctu: fíliæ discurrérunt super murum. Sed exasperavérunt eum, et jurgáti sunt, inviderúntque illi habéntes jácula. Sedit in forti arcus ejus, et dissolúta sunt víncula brachiórum, et mánuum illíus per manus poténtis Jacob: inde pastor egréssus est, lapis Israël. Deus patris tui erit adjútor tuus, et Omnípotens benedícet tibi benedictiónibus cœli désuper, benedictiónibus abýssi jacéntis deórsum, benedictiónibus úberum et vulvæ. Benedictiónes patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus, donec veníret desidérium cóllium æternórum: fiant in cápite Joseph, et in vértice Nazarǽi inter fratres suos.

Graduale. Ps. 20. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja.

℣. Fac nos innócuam, Joseph, decúrrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocínio. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória, et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Temp. Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. De quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exaúdiam eos, et ero protéctor eórum semper. Allelúja. ℣. Fac nos iñócuam, Joseph, decúrrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocínio. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 3. d.*

In illo témpore: Factum est autem cum baptizarétur omnis pópulus, et Jesu baptizáto, et oránte, apértum est cœlum: et descéndit Spíritus sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum: et vox de cœlo facta est: Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui mihi. Et ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Joseph.

Non dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 147. Lauda Jerúsalem Dóminum: quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fíliis tuis in te.

Secreta.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsi patrocínio suffúlti, rogámus, Dómine, cleméntiam tuam: ut corda nostra fácias terréna cuncta despícere, ac te verum Deum perfécta caritáte dilígere: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Communio. Matth. 1. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Postcommunio.

Divíni múneris fonte refécti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut nos facis beáti Joseph protectióne gaudére; ita ejus méritis et intercessióne, cœléstis glóriæ fácias esse partícipes. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Pro Feria V.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Missa. Cibávit eos ex ádipe fruménti. *quæ invenitur inter Missas votivas.*

Secunda et tertia Oratio pro diversitate temporis, ut in Semiduplicibus.

Non dicitur Credo.

Præf. de Nativ. Quia per incarnáti Verbi mystérium.

Pro Feria VI.

De Passione D. N. J. C.

Missa. Humiliávit. *quæ invenitur inter Missas votivas.*

Secunda et tertia Oratio pro diversitate temporis.

Non dicitur Credo.

Præfatio de Cruce. Qui salútem humáni géneris.

Pro Sabbato.

De Immaculata Conceptione B. Mariæ Virg.


Missa. Gaudens gaudébo. *ut in Festo die 8. Decembris.*

Secunda Oratio de Spiritu sancto, tertia Ecclésiæ. *vel pro Papa.*

Non dicitur Credo.

In Secreta vero dicitur: Salutárem hóstiam, quam in commemoratióne Immaculátæ Conceptiónis.

Præf. de B. M. V. Et te in Conceptióne Immaculáta.



N°. 795.

JOSEPH SARTO

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

MANTUÆ EPISCOPUS.

Quum ex attestatione Revisoris a Nobis delegati constet hanc Appendicem Missalis Romani ad usum Diœceseos Mantuanæ, ab Eq. Friderico Pustet S. Sedis Apostolicæ et S. Rituum Congregationis Typographo nuperrime excusam, cum rite probatis editionibus, diligenti facta collatione, ad amussim concordare, eamdem adprobamus et vulgari permittimus.

In quorum fidem has litteras subsignavimus, sigilloque Nostro et Secretarii Nostri chirographo muniri fecimus.


Mantuæ, die 12. Novembris 1888.

✠ **Joseph** Episcopus.

(L. S.)

Sac. **Joannes Bressan** Secret.

Kalendarium.



10 0 14



MISSÆ PROPRIÆ
SANCTORUM
IN DIŒCESI MELITENSI.

Die 5. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. et Mart. 1. loco.

Prima die non impedita post diem 4. Januarii.

S. Titi Episc. et Conf.

Missa ut in Missali die 6. Febr. omissa Commemoratione S. Dorotheæ Virg. et Mart.

Die 10. Februarii.

Commemorationis Adventus

Sancti Pauli Apostoli

in insulam Melitæ Naufrag. Principalis ejusdem Patr. Patris ac Vindicis.

Introitus. Ps. 65.



Opulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. Ps. 46. Omnes Gentes plaúdite mánibus, jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui mirábili providéntia beátum Paulum Apóstolum naúfragum nobis míttere, et fídei præcónem esse voluísti: largíre supplícibus tuis, ut mémores labóris, et caritátis ejus, quod ore simul et ópere dócuit, serváre valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Petri Apost.

Oratio.

Deus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cœléstis, ligándi, atque solvéndi pontifícium tradidísti: concéde; ut intercessiónis ejus auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur: Qui vivis et regnas.

Et in Quadrag. fit etiam Comem. Feriæ.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. 27.

Navigántibus nobis in Adria circa médiam noctem suspicabántur nautæ apparére sibi áliquam

78

regiónem, qui et submitténtes bólidem, invenérunt passus vigínti et pusíllus inde separáti, invenérunt passus quíndecim. Timéntes autem ne in áspera loca incéderémus, de puppi mitténtes ánchoras quátuor, optábant diem fíeri. Nautis vero quæréntibus fúgere de navi cum misíssent scapham in mare sub obténtu quasi incíperent a prora ánchoras exténdere, dixit Paulus Centurióni, et milítibus: nisi hi in navi mánserint, vos salvi fíeri non potéstis. Tunc abscidérunt mílites funes scaphæ, et passi sunt eam excídere. Et cum lux incíperet fíeri, rogábat Paulus omnes súmere cibum, dicens: Quartadécima die hódie exspectántes jejúni permanétis, nihil accipiéntes. Propter quod rogo vos accípere cibum pro salúte vestra: quia nullíus vestrum capíllus de cápite períbit. Et cum hæc dixísset, sumens panem; grátias egit Deo in conspéctu ómnium, et cum fregísset, cœpit manducáre. Animæquióres autem facti omnes, et ipsi sumpsérunt cibum. Erámus vero univérsæ ánimæ in navi ducéntæ septuagínta sex. Et satiáti cibo alleviábant navem, jactántes tríticum in mare. Cum autem dies factus esset, terram non agnoscébant; sinum vero quemdam considerábant habéntem littus: in quem cogitábant, si possent, ejícere navem: et cum ánchoras sustulíssent; comittébant se mari, simul laxántes junctúras gubernaculórum: et leváto artémone, secúndum auræ flatum, tendébant ad littus. Et cum incidissémus, in locum dithalássum; impegérunt navem: et prora quidem fixa manébat imóbilis, puppis vero solvebátur a vi maris. Mílitum autem consílium fuit, ut custódias occíderent: ne quis, cum enatásset, effúgeret. Centúrio autem volens serváre Paulum; prohíbuit fíeri: jussítque eos, qui possent natáre, emíttere se primos, et evádere, et ad terram exíre: et céteros álios in tábulis ferébant: quosdam super ea, quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes ánimæ eváderent ad terram. Et cum evasissémus, tunc cognóvimus; quia Melíta Insula vocabátur. Bárbari vero præstábant non módicam humanitátem nobis. Accénsa enim pyra, reficiébant nos omnes, propter imbrem qui imminébat, et frigus. Cum congregásset autem Paulus sarmentórum aliquántam multitúdinem, et imposuísset super ignem, vípera a calóre cum processísset invásit manum ejus. Ut vero vidérunt Bárbari pendéntem béstiam de manu ejus, ad ínvicem dicébant: útique homicída est homo hic, qui, cum eváserit de mari, últio non sinit eum vívere. Et ille quidem excútiens béstiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimábant eum in tumórem converténdum, et súbito casúrum, et mori. Diu autem illis exspectántibus, et vidéntibus nihil mali in eo fíeri, converténtes se dicébant eum esse Deum.

Graduale. Galat. 2. Qui operátus est Petro in Apostolátum circumcisiónis, operátus est et mihi inter Gentes.

℣. Ps. 9. Exáltas me de portis mortis, ut annúntiem laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 17. Misit de summo, et accépit me, et assúmpsit me de aquis multis. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Eph. 3. Secúndum revelatiónem mihi data est grátia hæc, in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi.

℣. 2. Cor. 12. Signa Apostolátus mei facta sunt super vos in omni patiéntia, in signis, et prodígiis, et virtútibus.

℣. 2. Cor. 12. Ego libentíssime impéndam, et superimpéndar ipse pro animábus vestris.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 17. Misit de summo, et accépit me, et assúmpsit me de aquis multis. Allelúja.

℣. 1. Thess. 2. Cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras: quóniam caríssimi nobis facti estis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Credo.

Offertorium. 1. Joann. 3. Vidéte, qualem caritátem dedit nobis Pater, ut Fílii Dei nominémur, et simus.

Secreta.

Súscipe Dómine múnera, quæ pro tot, tantísque benefíciis per advéntum in hanc Insulam Sancti Pauli Apóstoli nobis collátis tibi offérimus: et fac; nos semper majestáti tuæ grato, et sincéro corde servíre. Per Dóminum.

Pro commemoratione S. Petri.

Secreta.

Ecclésiæ tuæ quǽsumus Dómine, preces, et hóstias beáti Petri Apóstoli comméndet orátio: ut quod pro illíus glória celebrámus, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum nostrum.

Deinde si venerit in Quadragesima fit commem. Feriæ.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Act. 7. Hic est, qui fuit in Ecclésia cum Pátribus nostris, qui accépit verba vitæ dare nobis.

Postcommunio.

Quǽsumus omnípotens Deus: ut sicut nos cœlésti cibo reféctos ánnua Sancti Pauli Apóstoli com̃emoratióne lætíficas; ita fácias ejus suffragántibus méritis in fide semper stábiles, et in ópere efficáces. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Petri Ap.

Postcommunio.

Lætíficet nos Dómine munus oblátum: ut sicut in Apóstolo tuo Petro te mirábilem prædicámus; sic per illum tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem. Per Dóminum.

In Quadragesima fit com̃emoratio Feriæ.

Die 22. Martii.

S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ Vid.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Catharínam in contemplánda Fílii tui passióne divíni amóris igne flagráre fecísti: quǽsumus; ut ipsa intercedénte, tuæ in nobis flam̃am caritátis accéndas, et ejúsdem passiónis partícipes dignánter effícias. Per eúmdem Dóminum.

Dominica II. post Pascha.

S. Publii Mart. et primi Ecclesiæ Melitensis Episcopi.

Introitus. 1. Paral. 16.



NArráte in géntibus glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabília ejus, quia magnus Dóminus, et laudábilis nimis, allelúja, allelúja. Ps. 46. Omnes gentes plaúdite mánibus: jubiláte Deo in voce exsultatiónis. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui dispositióne mirábili a beáto Público Apóstolum tuum Paulum flúctibus pélagi jactátum récipi, ac benígne tractári voluísti: concéde propítius; ut quem Doctóris Géntium prædicatióne, et miráculis tribuísti nobis præésse Pastórem, ipsíus méritis, et intercessióne tibi in terris fide et caritáte conjúncti, in ætérnæ beatitúdinis tabernácula récipi mereámur. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ occurr. et legitur ejusdem Evang. in fine.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. 28.

Quum evasissémus, tunc cognóvimus, quia Melíta Insula vocabátur: Bárbari vero præstábant non módicam humanitátem nobis. Accénsa enim pyra, reficiébant nos omnes propter imbrem, qui imminébat, et frigus. Cum congregásset autem Paulus sarmentórum aliquántam multitúdinem, et imposuísset super ignem, vípera a calóre cum processísset, invásit manum ejus. Ut vero vidérunt Bárbari pendéntem béstiam de manu ejus, ad ínvicem dicébant: Utique homicída est homo hic, qui cum eváserit de mari, últio non sinit eum vívere. Et ille quidem excútiens béstiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimábant eum in tumórem converténdum, et súbito casúrum, et mori. Diu autem illis exspectántibus, et vidéntibus, nihil mali in eo fíeri, converténtes se, dicébant esse Deum. In locis autem illis erant prǽdia príncipis Insulæ nómine Públii, qui nos suscípiens, tríduo benígne exhíbuit. Cóntigit autem, patrem Públii fébribus, et dyssentería vexátum jacére. Ad quem Paulus intrávit, et cum orásset, et imposuísset ei manus, salvávit eum. Quo facto, et omnes, qui in Insula habébant infirmitátes, accedébant, et curabántur; qui étiam multis honóribus nos honoravérunt, et navigántibus imposuérunt quæ necessária erant.

Allelúja, allelúja.

℣. Inclytus Martyr, et sanctus Póntifex Públius animárum salútem sítiens ad fontem vivum qui Christus est, omnes evocáre non desinébat. Allelúja.

℣. Quicúmque glorificáverit me, glorificábo eum qui autem contémnunt me, erunt ignóbiles. Allelúja.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit non collidétur, quia Dóminus suppónit manum suam.

℣. Tota die miserétur, et cõmodat, et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúja, allelúja.
℣. Hic Públius Apóstoli Pauli vestígia servans, miráculis clarus póssidet cœléstia regna. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. 1. Cor. 2. Sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis.
℣. Ps. 22. Parásti in conspéctu meo mensam advérsus eos qui tríbulant me, impinguásti in óleo caput meum, et calix meus inébrians quam præclárus est!
℣. 2. Cor. 12. Ego autem impéndam, et superimpéndar pro animábus vestris.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui, et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra. Sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei. Credo.

Offertorium. Dan. 16. Deus misit Angelum suum, et conclúsit ora leónum, et non nocuérunt mihi, allelúja.

Secreta.

Oblatiónes nostras tibi Dómine, beáti Mártyris et Pontíficis tui Públii precátio sancta coméndet: quem Pontificáli dignitáte, et martýrio coronátum vera Fides caritáti sociáta hóstiam Majestáti tuæ plácitam immolávit. Per Dóminum.

Et fit comem. Dominicæ occurr.

Communio. Ps. 88. Semel jurávi in sancto meo semen ejus in ætérnum manébit, et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cœlo fidélis, allelúja.

Postcommunio.

Quǽsumus omnípotens Deus, ut sicut beáto Públio Mártyri tuo atque Pontífici Divíni Pastóris formam imitári tribuísti, ita nos ejus imitatióne dignos effícias, qui inter oves páscuæ tuæ collocémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit comem. Dominicæ occurr.

Dominica IV. post Pascha.
S. Francisci de Paula Conf.

Introitus.


Aritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis, allelúja, allelúja.
Ps. 72. Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo qui beátum Francíscum Confessórem, Sanctórum tuórum glória sublimásti: tríbue, quǽsumus; ut ejus méritis et imitatióne, promíssa humílibus prǽmia felíciter consequámur. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ occurr. et legitur ejusdem Evang. in fine.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 13.

Fratres: si linguis hóminum loquar, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cýmbalum tínnies. Et si habúero Prophetíam, et nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam: et si habúero omnem fidem ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos paúperum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest. Cáritas pátiens est, benígna est. Cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum: non gaudet super iniquitáte, congaúdet autem veritáti. Omnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas numquam éxcidit: sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Nunc autem manent fides, spes, cáritas, tria hæc: major autem horum est cáritas.

Allelúja, allelúja.

℣. In te cantátio mea semper: tamquam prodígium factus sum multis: et tu adjútor fortis. Allelúja.

℣. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos: et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. Credo.

Offertorium. Univérsa terra, Dómine in spíritu humilitátis suscipiátur, et sic fiat Sacrifícium nostrum in conspéctu tuo, et pláceat tibi, allelúja.

Secreta.

Quǽsumus, Dómine; ut múnera obláta sanctífices, et corda nostra intercessióne beáti Francísci tuæ répleas abundántia caritátis. Per Dóminum.

Et fit comem. Dominicæ occurr.

Communio. Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris, allelúja.

Postcommunio.

Deus, qui supérbis resístis, et humílibus grátiam tríbuis: exaúdi preces nostras; et intercedénte beáto Francísco Confessóre tuo, da

nobis alta non sápere, sed majestáti tuæ húmili semper corde servíre. Per Dóminum.

Et fit coñem. Dominicæ occurr.

Die 5. Maji.

S. Angeli Presb. et Martyris, Ordinis Carmelit.

Missa. Protexísti. de Coñ. unius Mart. temp. Pasch.

Oratio.

Plebs tua, Dómine, beáti Sacerdótis et Mártyris tui Angeli glorificatióne sanctíficet, et eódem semper precánte, te mereátur habére rectórem. Per Dóminum.

Evangel. Si quis vult post me. ex Missa. Sacerdótes Dei. de eodem Communi extra temp. Pasch.

Die 12. Maji.

S. Philippi Argyronis Conf.

Introitus. Ps. 117.

Dominus mihi adjútor: non timébo. Dóminus mihi adjútor: et ego despíciam inimícos meos, allelúja, allelúja. Ps. 17. Díligam te, Dómine fortitúdo mea: Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum miraculórum glória decorásti: concéde propítius; ut quot ejus implórant auxílium, tuam sibi misericórdiam suis in necessitátibus gaúdeant affuísse. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Eph. 6.

Fratres: confortámini in Dómino, et in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare advérsus insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio advérsus carnem, et sánguinem, sed advérsus príncipes, et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, in cœléstibus. Proptérea accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare. State ergo succíncti lumbos vestros in veritáte, et indúti lorícam justítiæ, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis. In ómnibus suméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea exstínguere: et gáleam salútis assúmite: et gládium Spíritus: (quod est verbum Dei).

Allelúja, allelúja.

℣. Jacob. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem; quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

℣. Eccl. 45. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

Post Pentecosten vero dicitur Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

℣. Jacob. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem, quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuag. in Missa vot. omisso Allelúja, et Versu sequ., dicitur:

Tractus. Judith 13. 22. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Ib. Benedíctus Dóminus,

qui te diréxit in vúlnera cápitis Príncipis inimicórum nostrórum. ℣. Job. 8. Fecísti enim nobíscum misericórdiam tuam, et exclusísti a nobis inimícum persequéntem nos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

IN illo témpore: Revérsi sunt septuagínta duo cum gaúdio, dicéntes: Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et ait illis: Vidébam Sátanam sicut fulgur de cœlo cadéntem. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes, et scorpiónes, et super omnem virtútem inimíci: et nihil vobis nocébit. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére quia spíritus vobis subjiciúntur: gaudéte autem, quod nómina vestra scripta sunt in cœlis.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso, et in nómine meo exaltábitur cornu ejus, allelúja.

Secreta.

Sanctífica, quǽsumus Dómine Deus, hæc múnera, quæ in solemnitáte beáti Philíppi Confessóris tui offérimus, ut per ea vita nostra inter advérsa, et próspera ubíque dirigátur. Per Dóminum.

Comúnio. Marc. 16. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis, allelúja.

Postcommunio.

Puríficent nos quǽsumus omnípotens et miséricors Deus sacrifícia, quæ súmpsimus, et intercedénte beáto Philíppo Confessóre tuo contra omnes diáboli nequítias déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

Die 12. Junii.

S. Joannis a S. Facundo Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus auctor pacis, et amátor caritátis, qui beátum Joánnem Confessórem tuum mirífica dissidéntes componéndi grátia decorásti ejus méritis, et intercessióne concéde; ut, in tua caritáte firmáti, nullis a te tentatiónibus separémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Et fit commem. Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mart. cum Orationibus ex Missa propria, ut in Missali, sub hac die.

Feria VI.
post Octavam Ss. Corp. Christi.

Ss. Cordis Jesu.

Missa. Miserébitur. ut in Missali eadem feria in fine Maji.

Dom. III. post Pentecosten.

Ss. Cordis B. Mariæ V.

Missa. Salve sancta Parens. votiva de B. M. V. a Pentecoste usque ad Adventum in qua dicitur: Glória, Credo. Præfatio de B. M. V. Et te in festivitáte. et fit comem. Domin. tertiæ post Pentecosten de qua legitur Evangelium in fine.

Dom. IV. post Pentecosten.

B. Mariæ V. sub titulo **Caritatis.**

Missa. Salve sancta Parens. ut supra in festo Ss. Cordis ejusdem B. M. V. cum commem. et Evangelio Dominicæ quartæ post Pentecosten in fine.

Die 24. Julii.

S. Calcidonii Martyris.

Introitus. Ps. 63.


Ætábitur justus in Dómino et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Calcidónii Mártyris tui méritis, et intercessióne lætíficas: concéde propítius; ut qui tua per eum benefícia póscimus dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Pro comm̃em. Vigil. S. Jacobi Ap.

Oratio.

Da quǽsumus omnípotens Deus; ut beáti Jacóbi Apóstoli tui, quam prævenímus veneránda solémnitas, et devotiónem nobis aúgeat, et salútem.

Pro commem. S. Christinæ Virg. et Mart.

Oratio.

Indulgéntiam nobis, quǽsumus Dómine, beáta Christína Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. 1. Pet. 4.

Caríssimi: Comm̃unicántes Christi passiónibus, gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut christiánus, non erubéscat: glorificet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius, et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur, quia Dóminus suppónit manum suam. ℣. Tota die miserétur, et cóm̃odat, et semen ejus in benedictióne erit. Allelúja, allelúja. ℣. Qui séquitur me non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúja.


Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit; ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus

nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte deféríur. Per Dóminum nostrum.

Pro Vigilia S. Jacobi. Secreta.

Apostólici reveréntia cúlminis offeréntes tibi sacra mystéria, Dómine, quǽsumus; ut beáti Jacóbi Apóstoli tui suffrágiis, cujus natalítia prævenímus, plebs tua semper et sua vota deprómat, et desideráta percípiat.

Pro S. Christina. Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Christínæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátas méritis benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Communio. Joañ. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Postcommunio.

Reféćti participatióne múneris sacri quǽsumus, Dómine Deus noster: ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Calcidónio Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Pro Vigil. S. Jacobi. Postcom̃unio.

Sancti Apóstoli tui Jacóbi, quǽsumus Dómine, supplicatióne placátus, et véniam nobis tríbue, et remédia sempitérna concéde.

Pro S. Christina. Postcom̃unio.

Divíni múneris largitáte satiáti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut intercedénte beáta Christína Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum nostrum.

Et in fine legitur Evang. Vigiliæ.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 15.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid fáciat Dóminus ejus. Vos autem dixi amícos, quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo nota feci vobis. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos ut eátis, et fructum afferátis; et fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Die 30. Julii.

S. Liborii Episcopi.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 7. Augusti.

S. Cajetani Confessoris.

Introitus. Ps. 71.



Mihi autem adhærére Deo bonum est: pónere in Dómino Deo spem meam. Ps. ib. Quam bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde! ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo, Apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti: da nobis; ejus intercessióne et exémplo, in te semper confídere, et sola cœléstia desideráre. Per Dóminum nostrum.

Pro com̃em. S. Donati Ep. et Mart.

Oratio.

Deus tuórum glória Sacerdótum: præsta, quǽsumus; ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1. Tim. 6.

Caríssime: Est quæstus magnus píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium, quod nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, et quibus tegámur, his conténti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília, et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas: quam quidam appeténtes erravérunt a fide, et inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectáre vero justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam.

Graduale. Ps. 124. Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion: non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

℣. Montes in circúitu ejus: et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 36. Spera in Dómino: et fac bonitátem: et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus. Allelúja.

In Missis votivis. Post Septuag., omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 61. Ipse Deus meus, et Salvátor meus: non emigrábo.

℣. In Deo salutáre meum, et glória mea: Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 36. Spera in Dómino: et fac bonitátem, et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus. Allelúja.

℣. Ps. 61. Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 6.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre: aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget: aut unum sustinébit, et álterum contémnet. Non potéstis Deo servíre, et mammónæ. Ideo dico vobis, ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini. Nonne ánima plus est quam esca, et corpus quam vestiméntum? Respícite volatília cœli, quóniam non serunt, neque metunt neque cóngregant in hórrea: et pater vester cœléstis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cógitans potest adjícere ad statúram suam cúbitum unum? Et de vestiménto quid sollíciti estis? Consideráte lília agri, quómodo créscunt: non labórant, neque nent. Dico autem vobis, quóniam nec Sálomon in omni glória sua coopértus est, sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hódie est, et cras in clíbanum míttitur, Deus sic vestit: quanto magis vos módicæ fídei? Nolíte ergo sollíciti esse, dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Hæc enim ómnia gentes inquírunt. Scit enim Pater vester, quia his ómnibus indigétis.

Quǽrite ergo primum regnum Dei, et justítiam ejus et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

Offertorium. Ps. 61. Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra: Deus adjútor noster in ætérnum.

Secreta.

Da nobis, quǽsumus Dómine, sacra hæc mystéria eo spíritus et mentis ardóre perágere, quo sanctus tuus Conféssor Cajetánus, ipsa tractándo, flagrábat. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Donato. Secreta.

Præsta, quǽsumus Dómine; ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti intercessióne, quem ad laudem nóminis tui dicátis munéribus, honorámus, piæ nobis fructus devotiónis accréscat. Per Dóminum.

Communio. Ps. 117. Bonum est confídere in Dómino, quam confídere in hómine: bonum est speráre in Dómino, quam speráre in princípibus.

Postcommunio.

Quos cœlésti, Dómine, pábulo satiásti, sancti Cajetáni Confessóris tui interveniénte suffrágio, cœléstis providéntiæ præsídia sentíre, et ad sempitérna júgiter aspiráre concéde. Per Dóminum.

Pro S. Donato. Postcom̃unio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui nos Sacramentórum tuórum et partícipes éfficis et minístros: præsta, quǽsumus; ut, intercedénte beáto Donáto Mártyre tuo atque Pontífice, ejúsdem proficiámus et fídei consórtio, et digno servítio. Per Dóminum.

Die 26. Augusti.

S. Alberti Confessoris.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. cum com̃em. S. Zephyrini Papæ et Mart.

Dominica I.
post Festum S. Augustini Episc.

B. Mariæ V. de Consolatione.

Introitus. Ps. 44.



Stitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Ps. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis: concéde propítius; ut sicut lumbos præcíncti puríssimam Genitrícem tuam Maríam sub Consolatiónis título gaudéntes venerámur in terris; ita perénni ejúsdem consórtio pérfrui mereámur in cœlis: Qui vivis et regnas.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 11.

Hæc dicit Dóminus Deus: Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini: Spíritus sapiéntiæ, et intelléctus, Spíritus Consílii, et Fortitúdinis, Spíritus Sciéntiæ, et Pietátis; et replébit eum Spíritus Timóris Dómini. Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum aúrium árguet: sed judicábit in justítia paúperes: et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ. Et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia

cíngulum lumbórum ejus; et fides cinctórium renum ejus.

Graduale. Ps. 44. Unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis.

Allelúja, allelúja.

℣. Cant. 2. Sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

IN illo témpore: Exsúrgens María, ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda, et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit Infans in útero ejus: et repléta est Spíritu sancto Elísabeth: et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in aúribus meis, exsultávit in gaúdio Infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Credo.

Offertorium. Recordáre Virgo Mater in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona: et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

Secreta.

Súscipe Dómine munus, quod tibi offérimus, memóriam recoléntes puríssimæ Vírginis Maríæ, quæ consolátur nos in omni tribulatióne nostra: et præsta; ut mens nostra supérno lúmine sancti Spíritus irradiáta, terréna despíciat, et ad cœléstia semper aspíret. Per Dóminum . . ... in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus.

Præfatio. Et te in Festivitáte.

Communio. Jerem. 2. Numquid obliviscétur Virgo ornaménti sui, aut sponsa fásciæ pectorális suæ?

Postcommunio.

Fons vitæ Dómine Jesu, reple mentem nostram torrénte voluptátis tuæ; ut, Beatíssimæ semper Vírginis Maríæ Consolatiónis Matris præsídio, terréna calcántes, cœléstibus semper recreári valeámus: Qui vivis et regnas.

Die 1. Septembris.

S. Rochi Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont.

Die 3. Septembris.

S. Helenæ Imperatricis, Viduæ.

Introitus. Gal. 6.

MIhi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Ps. 22. Virga tua et báculus tuus, ipsa me consoláta sunt.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui locum, ubi crux tua latébat, beátæ Hélenæ revelásti, ut per eam Ecclésiam tuam hoc pretióso thesaúro ditáres: ejus nobis intercessióne concéde; ut vitális ligni prétio, ætérnæ vitæ prǽmia consequámur: Qui vivis et regnas.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prov. 31. b.

Mulíerem fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam doméstícis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit, quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananǽo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Ps. 44. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo. ℣. Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi: afferéntur in lætítia, et exsultatióne, adducéntur in templum regis.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sǽculum sǽculi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 13. f.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit ĩn consũmatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Offertorium. 1. Cor. 2. Non enim judicávi me scire áliud, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum.

Secreta.

Per hæc sacra mystéria concéde nobis, Dómine: ut sicut beátæ Hélenæ misericórditer tribuísti, ut Fílium tuum crucifíxum in corde semper gestáret; ita et nos eum in córdibus nostris perpétuo deferámus. Per eúmdem Dóminum.

Communio. Cant. 7. Ascéndam in palmam, et apprehéndam fructus ejus.

Postcommunio.

Concéde nobis, miséricors Deus: ut qui salutíferæ crucis tuæ fructu in terra sumus recreáti, per intercessiónem beátæ Hélenæ eódem júgiter pérfrui mereámur in cœlis: Qui vivis et regnas.

Die 4. Septembris.

Sancti Rosaliæ Virginis.

Introitus.

REgnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi, propter amórem Dómini Jesu Christi: quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. Ps. 120. Levávi óculos meos in montes, unde véniet auxílium mihi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátam Rosáliam Vírginem, e regálibus mundi delíciis in móntium solitúdinem transtulísti: concéde propítius; ut, ejus méritis et patrocínio, a sæculi voluptátibus in cœléstium amórem transferámur, et ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 10. et 11.

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale. Ps. 44. Audi fília, et vide et inclína aurem tuam: et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui: et concupíscet Rex decórem tuum. ℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Allelúja, allelúja.

℣. Mémores erunt nóminis tui in omni generatióne, et progénie. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, di-

céntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 54. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, et volábo, et requiéscam? Ecce elongávi fúgiens et mansi in solitúdine.

Secreta.

Réspice, quæsumus Dómine, ad hæc salútis ætérnæ múnera: ut qui beátæ Rosáliæ solemnitáte hóstiam virgináli odóre fragrántem offérimus, tantæ vírginis imitémur exémpla, et assíduæ protectiónis increménta sentiámus. Per Dñm.

Communio. Ps. 26. Abscóndit me Dóminus in tabernáculo suo: in die malórum protéxit me, in petra exaltávit me.

Postcommunio.

Rex Vírginum, et castitátis amátor, cleméntiam tuam súpplices deprecámur; ut redemptiónis tuæ múnere vegetátos, beátæ Rosáliæ précibus gloriósis ab omni mentis, et córporis contagióne tueáris: Qui vivis et regnas.

Die 7. Septembris.

(Assignata.)

S. Bernardi Abbatis et Doctoris.

Missa. In médio Ecclésiæ. de Com̃. Doctorum cum Epistola Justus cor suum. de eodem Com̃uni et dicitur Credo.

Die 9. Septembris.

S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart., præter sequ.

Oratio.

Omnípotens, et miséricors Deus, qui beátam Joánnam Francíscam, tuo amóre succénsam, admirábili spíritus fortitúdine per omnes vitæ sémitas, in via perfectiónis donásti; quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti: ejus méritis, et précibus concéde, ut qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, cœléstis grátiæ auxílio, cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dñm.

Secreta.

Illo nos amóris igne, quæsumus Dómine, hæc hóstia salutáris inflámmet, quo beátæ Joáñæ Francíscæ cor veheménter incéndit, et flammis adússit ætérnæ caritátis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut quos cœléstis panis virtúte satiásti, beáta Joánna Francísca intercedénte, fácias terréna respícere, et te solum Deum pura mente sectári. Per Dñm.

Die 17. Septembris.

S. Petri de Arbues Mart.

Missa. In virtúte tua. de Com̃uni Mart. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut beáti Petri Mártyris tui Fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro ejúsdem Fídei defensióne martýrii palmam méruit obtinére. Per Dóminum.

Evangelium. Nihil est opértum. ex Missa. Lætábitur. de eod. Comm.

Die 12. Octobris.

Commem. **B. M. V. de Columna.**

Missa. Salve Sancta Parens. votiva de B. M. V. a Pentecoste usque ad Adventum, cum Glória, Credo et Præfat. B. M. V. Et te in Commemoratióne.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Soc.** Mart.

Introitus. Ps. 118.

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine Deus noster; sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum palmas incessábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Hilarionis Abb. ex Missa. Os justi. de Comm. Abb.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 7.

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo, consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? Noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? Noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes, et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt: ut sit sancta córpore, et spíritu, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem.

℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúja, allelúja.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

Evangelium. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. ut supra in hoc Propr. fol. 15.

Offertorium. Ps. 44. Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne: adducéntur in templum Regi Dómino.

Secreta.

Inténde, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum

Ursulæ, et Sociárum ejus festivitáte propósita: ut sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum nostrum.

Comunio. Ps. 118. Confundántur supérbi quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martýribus tuis: ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 25. Octobris.

Ss. Gavini, Proti et Januarii Martyrum.

Missa. Intret in conspéctu tuo. de Communi plurim. Martyr. excepta Oratione.

Oratio.

Deus, qui per beátos Mártyres tuos Gavínum, Protum, et Januárium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut quos Patrónos venerámur in terris, intercessóres habére mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit commemor. Ss. Mart. Chrysanthi et Dariæ, ut in Missali.

Die 6. Novembris.

S. Leonardi Abbatis.

Missa. Os justi. de Comm. Abbatum, in qua dicitur Evangel. Sint lumbi. et fit commem. Oct. Omn. Sanctorum et dicitur Credo.

Dom. infra Oct. Omn. Sanctorum.

Commem. **Ss. Martyrum** quorum Corpora et Reliquiæ in Sacris hujus Diœc. Templis coluntur.

Missa. Sapiéntiam Sanctórum. de Comm. plur. Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui sancta hujus Diœcésis Templa innúmeris voluísti Sanctórum decorári Relíquiis: concéde nobis fámulis tuis; ut quorum memóriam venerámur in terris, eórum consórtio perfruámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Dominica II. Novembris.

Patrocinii B. Mariæ Virg.

Missa. Salve sancta Parens. ut in Missis votivis B. M. V. a Pentecoste usque ad Adventum, cum commem. Dominicæ occurr. Et dicitur Credo et Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitáte. Et in fine Missæ legitur Evangelium Dominicæ.

Die 13. Novembris.

S. Homoboni Confessoris.

Introitus. Ps. 111.

Dispérsit, dedit paupéribus; justítia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltábitur in glória. Ps. 40. Beátus qui intélligit super egénum, et paúperem: in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Homobónum Confessórem tuum pietátis et misericórdiæ donis insígnem ad promíssa misericórdibus prǽmia felíciter perduxísti: tríbue quǽsumus; ut quem paúperum Patrem in terris habúimus, tutelárem propítium habeámus in cœlis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus; fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 111. Jucúndus homo, qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício: quia in ætérnum non commovébitur.

Allelúja, allelúja.

℣. Act. 10. Oratiónes tuæ, et eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriam in conspéctu Dei. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite, quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesaúrum non deficiéntem in cœlis: quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesaúrus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Job. 29. Justítia indútus sum et vestívi me sicut vestiménto et diadémate judício meo: óculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram paúperum.

Secreta.

Hæc múnera, quǽsumus Dómine, beáti Homobóni suffrágiis tibi accépta reddántur, qui ejus in paúperes dona benígno semper vultu respexísti. Per Dóminum.

Coñunio. Eccl. 2. 26. Hómini bono in conspéctu suo dedit Deus sapiéntiam, et sciéntiam, et lætítiam.

Postcommunio.

Divínæ largitátis mystériis in festivitáte beáti Homobóni suscéptis: da nobis, quǽsumus, Dómine; ut ejus pietátis sequámur vestígia, et caritátis accendámur exémplis. Per Dóminum.

Die 26. Novembris.

Sancti Silvestri Abbatis.

Missa. Os justi. de Comm. Abbat. cum coñem. S. Petri Alexandrini, ut in Missali.

Concordant cum Originalibus.

Melitæ, die 1. Novembris, an. 1886.

Henr. Can. Caruana, Cens. Theol.

Imprimatur.

Dat. Vallettæ die 8. Nov. 1886.

✠ **F. A. M. Buhagiar** O. C. Ep. Rusp. Adjutor Apcũs.

Index alphabeticus.

Ratisbonæ 1887. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

MISSÆ PROPRIÆ

SANCTORUM ET FESTORUM MOBILIUM

EX INDULTO APOSTOLICO

A CLERO DIŒCESIS LAUSANNENSIS ET GENEVENSIS

CELEBRANDÆ.



RATISBONÆ.

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOST. TYPOGRAPHI.

MDCCCLXXXIII.

INDEX ALPHABETICUS

FESTORUM ET NOMINUM SANCTORUM HUJUS APPENDICIS.

MISSÆ PROPRIÆ
SANCTORUM ET FESTORUM MOBILIUM
EX INDULTO APOSTOLICO
A CLERO DIŒCESIS LAUSANNENSIS ET GENEVENSIS
CELEBRANDÆ.

Die 4. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Mart.

Missa. **Loquébar.** de Com. Virg. et Mart. 1. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Intercéssio, quǽsumus Dómine, beátæ Bárbaræ, Vírginis et Mártyris tuæ, ab omni nos adversitáte prótegat: ut per ejus intervéntum, gloriosíssimum sacrosáncti Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi Sacraméntum, ante diem éxitus nostri, per veram pœniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur: Qui tecum vivit.

Die 10. Decembris.

Translationis Almæ Domus B. M. V.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 17. Decembris.

S. Adelaïdis, Imperatricis Viduæ.

Missa. **Cognóvi.** de Communi nec Virg. nec Mart. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in beátæ Adeláïdis solemnitáte gaudére concédis: fac nos, ejus suffragántibus méritis, tuis semper obedíre mandátis. Per Dóminum.

Die 18. Decembris.

Exspectationis Partus B. Mariæ V.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 23. Januarii.

Desponsationis Beatæ Mariæ V.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 28. Januarii.

S. Amedei Episc. et Conf.

Missa. **Sacerdótes.** de Com. Conf. Pont. 2. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Excita, Dómine, intercedénte beáto Amedéo, Confessóre tuo atque Pontífice, tuórum corda fidélium: ut sacris inténta doctrínis, intélligant quod sequántur, et sequéndo fidéliter apprehéndant. Per Dóminum nostrum.

Die 9. Februarii.

S. Marii Episc. et Conf.

Missa. **Sacerdótes.** de Com. Conf. Pont. 2. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris, quique illis regéndis vicários caritátis tuæ minístros præficis: da, quæsumus, intercedénte beáto Mário Antístite nostro, spíritum sapiéntiæ quibus dedísti præésse Ecclésiæ tuæ, ut de profécto sanctárum óvium fiant gaúdia ætérna pastórum. Per Dóminum.

Die 11. Februarii.
(vel 6. huj.)

Sancti Odilonis Abbatis.

Missa. Os justi. de Comm. Abbat.

Die 12. Februarii.
(vel 11. huj.)

Sancti Meinradi Martyris.

Missa. In virtúte. de Comm. Mart. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Meinrádum Mártyrem tuum, copiósis méritis conspícuum, ad eminéntem passiónis glóriam mirabíliter deduxísti: quæsumus cleméntiam tuam; ut misericórdiæ cœléstis ubertáte ejus intercessióne repleámur. Per Dóminum.

Die 14. Februarii.
(vel 13. huj.)

Sanctæ Brigidæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. 1. loco.

Die 15. Februarii.
(vel 14. huj.)

S. Aviti Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 16. Februarii.
(In Diœcesi Lausannensi.)

B. Gregorii X. Papæ et Confess.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Gregórii Confessóris tui atque Pontíficis religiónis zelo, et apostólicis curis amplificásti: ejus méritis, et intercessióne concéde; ut fídei et sanctitátis nova semper increménta suscípiat. Per Dóminum.

Die 17. Februarii.

S. Julianæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Com̃. Virg. et Mart. 1. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut qui beátæ Juliánæ Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Die 19. Februarii.

S. Bonifacii Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes. de Com̃. Conf. Pont. 2. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut beátus Bonifácius, Conféssor tuus atque Póntifex, cujus hódie festa percólimus, tuum pro nobis implóret auxílium, ut a nostris reátibus absolúti, a cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

Die 28. Februarii.

Sancti Romani Abbatis.

Missa. Os justi. de Com̃. Abbatum. Com̃em. S. Lupicini e Missa. Os justi. de Com̃. Cf. non Pont. 1. loco.

FESTA MOBILIA.

Feria III. post Dom. Septuagesimæ.
Orationis D. N. J. C.
Ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria III. post Domin. Sexagesimæ.
Passionis D. N. J. C.
Ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Cineres.
Coronæ Spineæ D. N. J. C.
Ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Domin. I. Quadrag.
Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.
Ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Domin. II. Quadrag.
Sindonis D. N. J. C.
Ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Domin. III. Quadrag.
Quinque Vulnerum D. N. J. C.
Ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Domin. IV. Quadrag.
Pretioss. Sanguinis D. N. J. C.
Ut in Missali Dominica I. Julii. Et fit comem. feriæ occurr. et legitur ejus Evangelium in fine.

Die 1. Martii.
S. Albini Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Exaúdi, quǽsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Albíni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Die 6. Martii.
S. Coletæ Virginis.
Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. 1. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátam Colétam Vírginem tuam cœléstibus donis cumulásti: tríbue, quǽsumus; ut ejus virtútes æmulántes in terris, ætérnis gaúdiis cum ipsa perfruámur in cœlis: Qui vivis.

Die 11. Martii.
S. Fridolini Confessoris.
Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Beáti Confessóris et Presbýteri tui Fridolíni, quǽsumus Dómine, supplicatióne placátus, et véniam nobis peccatórum tríbue, et remédia sempitérna concéde. Per Dóminum nostrum.

Die 13. Martii.
B. Humberti III. Confessoris.
Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Humbértum cœlésti regno terrénum postpónere et crucis mortificatiónem amplécti docuísti: da nobis, quǽsumus, ejus intercessióne et exémplo terréna despícere atque ætérna sectári. Per Dóminum.


Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc:

Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es, tollis, quod non posuísti, et metis, quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas, quod ego homo austérus sum, tollens, quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens cum usúris útique exegíssem illam? Et adstántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Die 22. Martii.

B. Nicolai de Rupe Conf.

Missa. Os justi. de Communi Confessoris non Pontificis 1. loco præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Nicoláum Eremítam Angelórum esca mirabíliter nutríre et sanctíssimæ Trinitátis visióne illustráre voluísti: concéde, quæsumus; ut ejus intercessióne domínicum corpus et sánguinem digne súmere in terris, et gloriósum conspícere mereámur in cœlis. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 19. d.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Secreta.

Deus, qui beátum Nicoláum in terris venerári fecísti; da nobis, ejus intercessióne a peccatórum néxibus absolútis, in cœlis étiam de ejúsdem societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Pretiósi córporis et sánguinis tui, Dómine, reféctis salutáribus aliméntis, concéde nobis: ut méritis et précibus beáti Nicolái, in cœléstis panis dulcédine, qua eum in terris satiáre dignátus es, ad ætérna gaúdia transíre mereámur: Qui vivis et regnas.

Die 24. Martii.
S. Gabrielis Archangeli.
Ut inter festa pro aliquibus locis die 18. Martii.

Die 6. Aprilis.
B. Julianæ Cornelionensis Virg.
Missa. **Dilexísti.** de Comm. Virg. 1. loco præter Orat. sequ.
Oratio.

Deus humílium celsitúdo, qui beátam Vírginem Juliánam ad promovéndum sanctíssimi Sacraménti cultum mirabíliter inflammásti: tríbue, quǽsumus; ita nos humilitátis ejus vestígia sectári in terris, ut cum ipsa sublimári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Die 17. Aprilis.
S. Rudolphi Pueri Mart.
Missa. **Protexísti.** de Com̃. unius Mart. temp. pasch. cum Orationibus pro Martyre tantum 1. loco.
Extra temp. pasch. Missa. **In virtúte.** de Communi unius Mart. non Pont. 1. loco.

Die 19. Aprilis.
S. Leonis IX. Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 27. Aprilis.
B. Petri Canisii Confessoris.
Missa. **Justus ut palma.** de Com̃. Confess. non Pont. 2. loco præter Orat. sequ.
Oratio.

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum Confessórem tuum virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius; ut ejus exémplis et mónitis errántium corda ad salútem resipíscant, et fidélium mentes in veritátis confessióne persevérent. Per Dóminum.

Secreta.

Sanctífica, miséricors Deus, hæc múnera, et præsta: ut sicut Unigénitus tuus holocaústum pro nobis fíeri dignátus est; ita beáti Petri Confessóris exémplo nos júgiter exhibeámus tibi hóstiam laudis. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Sacrifícium, Dómine, quod in honórem beáti Petri Confessóris obtúlimus, fidem nostram, spem et caritátem adaúgeat: atque Ecclésiam tuam nova semper prole lætíficet. Per Dóminum.

Die 9. Maji.
Translationis Reliquiarum
S. Nicolai Episcopi et Confessoris.
Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. 1. loco præter Orat. sequ.
Oratio.

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Nicolái Confessóris atque Pontíficis Reliquiárum susceptióne tribuísti: da, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ; ut cujus pígnora pio amóre venerátur, ejus intercessióne ab ómnibus semper tueátur advérsis. Per Dóminum.

Die 13. Maji.
Ss. Sigismundi Regis et **Soc.** Mart.
Missa. **Sancti tui.** de Com̃. plurim. Mart. tempore pasch. præter sequ.
Oratio.

Majestáti tuæ nos, Dómine, Sanctórum Sigismúndi et Sociórum ejus intercéssio veneránda comméndet; ut peccatórum nostrórum máculis delétis, stábilis in tuo sancto servítio propósiti múnera capiámus. Per Dóminum.

Evangel. **Ego sum vitis.** e Missa. **Protexísti.** de Comm. unius Mart. tempore pasch.

Secreta et Postcommunio pro plur. Mart. tantum 1. loco.

Extra tempus pasch. Missa. **Sapiéntiam.** de Communi plur. Mart. 2. loco cum Oratione, ut supra.

Die 16. Maji.
S. Joannis Nepomuceni Mart.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 22. Maji.
Ss. Heraclii et **Soc.** Mart.

Missa. **Sancti tui.** de Comm. plur. Mart. temp. pasch. cum Orationibus pro pluribus Mart. tantum 2. loco. et Evang. e Missa. **Protexísti.** de Comm. unius Mart. temp. pasch.

Extra temp. pasch. Missa. **Intret in conspéctu.** de Communi plurim. Mart. 1. loco cum iisdem Orationibus e Missa. **Salus autem.** de eodem Communi 3. loco.

Die 24. Maji.
B. Mariæ V. titulo
Auxilium Christianorum.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 3. Junii.
Sanctæ Clotildis Viduæ.

Missa. **Cognóvi.** de Communi nec Virg. nec Mart. præter Orat. sequ.

Oratio.

Réspice, quæsumus Dómine, pópulum tuum, et beátæ Clotíldis intercessióne, sincérum nobis tríbue pietátis afféctum. Per Dóminum.

Die 6. Junii.
S. Claudii Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 8. Junii.
Ss. Eutychii et **Soc.** Mart.

Missa. **Sapiéntiam.** de Communi plurim. Mart. 2. loco.

Die 9. Junii.
Ss. Amantii et **Soc.** Mart.

Missa. **Intret in conspéctu.** de Com̃. plur. Mart. 1. loco cum Orationibus e Missa. **Salus autem.** de eodem Communi 3. loco.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Amántii et Sociórum ejus solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Secreta.

Oblátis, quæsumus Dómine, placáre munéribus: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Amántio et Sóciis ejus a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Amántio et Sóciis ejus cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

Die 15. Junii.
S. Bernardi a Menthone Conf.

Missa. **Os justi.** de Comm. Conf. non Pont. 1. loco præter sequentia.

Oratio.

Exténde, quæsumus Dómine, super plebem tuam déxteram cœléstis auxílii: et intercedénte beáto Bernárdo Confessóre tuo, cunctas diáboli nequítias ab ea longe repélle. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 19. d.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Die 16. Junii.

Ss. Ferreoli et **Ferrucionis** Mart.

Missa. Sapiéntiam. de Communi plurim. Mart. 2. loco præter Orat. sequentem.

Oratio.

Deus, cujus grátia gloriósi Mártyres tui Ferréolus et Ferrúcio mundi nec blandítiis nec terróribus devícti sunt: eórum nobis exémplo et intercessióne concéde; ut te solum diligéntes, próspera simul et advérsa mundi despiciámus. Per Dñm.

Die 27. Junii.

S. Anthelmi Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 3. Julii.

S. Irenæi Episc. et Mart.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 11. Julii.

S. Udalrici Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pont. 2. loco.

Die 24. Julii.

B. Ludovicæ a Sabaudia Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Com̃. nec Virg. nec Mart. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui in beáta Ludovíca per omnes vitæ sémitas tradúcta singuláre virtútis exémplum proposuísti: concéde; ut in via qua nos vocásti, ejúsdem vestígia sequámur, et cum ipsa ad te perveníre mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Beátæ Ludovícæ solemnitáte hæc tibi múnera deferéntes, quæsumus, Dómine: ut ipsíus précibus et exémplo terréna despiciámus et inquirámus ætérna. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelórum esca nutríti, concéde, quæsumus Dómine: ut amóris tui flamma, qua beáta Ludovíca æstuábat, veheméntior in córdibus nostris quotídie accendátur. Per Dóminum nostrum.

Die 27. Julii.

S. Wandregisili Abbatis.

Missa. Os justi. de Com̃. Abbatum.

Die 8. Augusti.

(In Ditione Genevensi.)

B. Petri Fabri Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Confess. non Pont. 2. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et qui in beáto Petro Confessóre tuo assíduum oratiónis stúdium, et indeféssum animárum zelum sociáre voluísti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut tibi júgiter ex ánimo adhæréntes, próximos nostros ópere et veritáte dilígere et juváre valeámus. Per Dóminum.

Secreta.

Unigéniti Fílii tui, qui factus est obédiens usque ad mortem, hóstiam salutárem offeréntes, te, Dómine, supplíciter exorámus: ut sicut in beáto Petro vitæ sacrifícium ex obediéntia suscepísti; ita nostras voluntátes in holocaústum suscípere dignéris. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Angélico pane reféctis spíritum nobis, Dómine, tuæ dilectiónis infúnde: et beáti Petri Confessóris tui exémplo, fac nos Angelórum custódia munítos in tua devotióne manére. Per Dóminum.

Die 9. Aûgusti.

S. Germani Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 16. Augusti.

S. Theoduli Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Dominica ultima Augusti.

Purissimi Cordis B. Mariæ Virg.

Missa. **Salve sancta parens.** ut in Missis votivis B. M. V. a Pentecoste usque ad Advent. cum commem. Dominicæ occurr.

Et dicitur **Credo.** et Præf. de B. Maria. **Et te in Festivitáte.**

Die 1. Septembris.

Sanctæ Verenæ Virginis.

Missa. **Dilexísti.** de Comm. Virg. 1. loco.

Die 3. Septembris.

S. Guarini Episc. et Conf.

Missa. **Sacerdótes.** de Com̃. Conf. Pont. 2. loco præter

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Lucérna córporis tui, est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit; si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te.

Die 7. Septembris.

S. Grati Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. 1. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die sanctíssimam nobis beáti Grati Confessóris tui atque Pontíficis solemnitátem celebráre tribuísti: adésto propítius Ecclésiæ tuæ précibus; ut cujus gloriátur méritis, muniátur suffrágiis. Per Dóminum.

Die 11. Septembris.

Ss. Felicis et **Regulæ** Mart.

Missa. **Sapiéntiam.** de Com̃. plur. Mart. 2. loco.

Die 22. Septembris.

Ss. Mauritii et **Sociorum** Mart.

Ut in Missali eadem die.

Die 26. Septembris.

Ss. Valeriani et **Soc.** Mart.

Missa. **Sapiéntiam.** de Com̃. plur. Mart. 2. loco.

Die 2. Octobris.

S. Leodegarii Episc. et Mart.

Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 3. Octobris.

Ss. Ursi, Victoris et **Soc.** Mart.

Missa. Intret in conspéctu. de Com̃. plur. Mart. 1. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui dispositióne mirábili, inter procéllas étiam persecutiónum, Evangélii lumen incólume serváre dignátus es: concéde propítius; ut Ecclésiæ tuæ ager, sanctórum Ursi, Victóris ac Sociórum sánguine irrigátus, in amplam messem indesinénter augeátur. Per Dóminum nostrum.

Dominica II. Octobris.

Maternitatis B. Mariæ Virginis.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Dominica III. Octobris.

Puritatis B. Mariæ Virginis.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Die 16. Octobris.

Sancti Galli Abbatis.

Missa. Os justi. de Com̃. Abbatum.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Sociar.** Virg. et Mart.

Ut in Missali eadem die.

Die 22. Octobris.

(In Dit. Geneven.)

B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. 1. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias cordis tui beátæ Margarítæ Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis ejus méritis et imitatióne; ut te in ómnibus, et super ómnia diligéntes, jugem in eódem corde tuo mansiónem habére mereámur: Qui vivis et regnas.

Secreta.

Accépta tibi sint, Dómine, plebis tuæ múnera: et concéde; ut ignis ille divínus nos inflámmet, quo de corde Fílii tui emísso beáta Margaríta vehemémter æstuávit. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Córporis et sánguinis tui, Dómine Jesu, sumptis mystériis: concéde nobis, quǽsumus, beáta Margaríta Vírgine intercedénte; ut supérbis sǽculi vanitátibus exútis, mansuetúdinem et humilitátem cordis tui indúere mereámur: Qui vivis.

Die 23. Octobris.

Sanctissimi Redemptoris.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 31. Octobris.

S. Wolfgangi Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes. de Com̃. Conf. Pont. 2. loco præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nobis ætérnæ salútis beátum Wolfgángum Epíscopum minístrum tribuísti: præsta, quǽsumus; ut, quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórẽ habére mereámur in cœlis. Per Dñm.

Die 3. Novembris.

S. Iddæ Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart.

Die 6. Novembris.

S. Protasii Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes. de Com̃. Conf. Pont. 2. loco.

Dominica II. Novembris.

Patrocinii B. Mariæ Virginis.

Missa. Salve sancta parens. ut in Missis votivis B. M. V. a Pentecoste usque ad Advent. cum commemor. Dominicæ occurr.

Et dicitur Credo. et Præf. de B. Maria. Et te in Festivitáte.

Et in fine Missæ leg. Evang. Dom.

Die 14. Novembris.

S. Himerii Confessoris.

Missa. Os justi. de Com̃. Abbatum. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui ómnia pro te relinquéntibus céntuplum in hoc sǽculo, et in futúro ætérnam vitam promisísti: concéde, quǽsumus, ut sancti Himérii Confessóris tui vestígiis inhæréntes, peritúra despiciámus, et ad sola mansúra suspirémus. Per Dóminum.

Die 16. Novembris.

Sancti Othmari Abbatis.

Missa. Os justi. de Com̃. Abbatum.

Die 26. Novembris.

Sancti Columbani Abbatis.

Missa. Os justi. de Com̃. Abbatum.



Hæ missæ a S. R. C. adprobatæ

imprimi permittuntur.

Friburgi die 9. Septembris 1883.

✠ **Caspar** episcopus Lausannensis et Gebennensis.

MISSÆ PROPRIÆ
DIŒCESIS SEDUNENSIS
NECNON
MISSÆ UNIVERSÆ ECCLESIÆ RECENS CONCESSÆ.

Die 23. Januarii.
Desponsationis B. M. V. cum **S. Joseph.**
Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 30. Januarii.
S. Felicis IV. Pap. et Mart.
Missa. **Sacerdótes Dei.** de Communi unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 3. Februarii.
S. Dionysii Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** primo loco.

Die 9. Februarii.
S. Zosimi Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** primo loco.
Et fit comem. Feriæ, si venerit in Quadragesima, et postea S. Apolloniæ Virg. et Mart. ut in Comuni. ex Missa **Loquébar.**

Die 11. Februarii.
S. Severini Abbatis.
Missa. **Os justi.** de Comuni Abb.
Et fit commem. Feriæ, si venerit in Quadragesima.

Die 12. Februarii.
S. Telesphori Papæ et Mart.
Missa. **Sacerdótes Dei.** secundo loco. Et fit commem. Feriæ, si venerit in Quadragesima.

Die 13. Februarii.
S. Gregorii II. Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** primo loco.
Et fit comem. Feriæ, si venerit in Quadragesima.

Die 14. Februarii.
S. Agathonis Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** primo loco.
Et fit comem. Feriæ, si venerit in Quadrages., et postea S. Valentini Mart. ut in Missali.

Die 15. Februarii.
S. Vitaliani Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** primo loco.

Die 16. Februarii.
B. Gregorii X. Papæ et Conf.
Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 17. Februarii.
S. Severi Episc. et Conf.
Missa. **Sacerdótes tui.** de Comuni Conf. Pont. 2. loco.

Die 18. Februarii.
(d. f. ex 9. Febr.)
S. Cyrilli Episcopi Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct.
Ut in Missali die 9. Februarii.

Die 19. Februarii.

S. Antheri Papæ et Mart.

Missa. Státuit. primo loco.

Et fit commem. Feriæ, si venerit in Quadragesima.

Die 20. Februarii.

S. Hygini Papæ et Mart.

Missa. Státuit. primo loco.

Et fit cōmem. Feriæ, si venerit in Quadragesima.

Die 21. Februarii.

S. Theodori Mansionarii Conf.

Missa. Os justi. de Cōmuni Conf. non Pont. 1. loco.

Oratio.

Deus, qui beáti Theodóri Confessóris tui in Vaticánæ Basílicæ ministério excubántiam mirábili príncipis Apostolórum apparitióne decorásti: concéde, ut ad te dilúculo vigilántes, promíssam recípere corónam felíciter mereámur. Per Dóminum.

Die 25. vel 26. Februarii.

S. Felicis III. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco.

Et fit cōmem. Feriæ, si venerit in Quadragesima.

Die 26. vel 27. Februarii.

S. Margaritæ Cortonen.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis die 26. Febr.

Feria VI.
post Dominicam I. Quadragesimæ.

Lanceæ et Clavorum D. N. J. Chr.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI.
post Dominicam II. Quadragesimæ.

Sacratissimæ Sindonis D. N. J. Chr.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI.
post Dominicam III. Quadrag.

Sacrar. Quinque Plagarum D. N. J. Chr.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI.
post Dominicam IV. Quadrag.

Sacratiss. Spineæ Coronæ D. N. J. Chr.

Ut inter festa pro aliquibus locis feria VI. post Cineres.

Die 1. Martii.

S. Blasii Episc. et Mart.

Missa. Sacerdótes tui. de Cōmuni unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 2. Martii.

S. Simplicii Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco.
In Quadrag. fit commem. Feriæ.

Die 4. Martii.

S. Lucii Papæ et Mart.

Missa. Sacerdótes Dei. 2. loco.
In Quadrag. fit commem. Feriæ.

Die 15. Martii.

S. Longini Mart.

Missa. In virtúte tua. de Cōmuni unius Mart. non Pont. Evangelium vero Si quis vult. ex Missa. Sacerdótes Dei. de Cōm. Mart. Pont.
Et fit commem. Feriæ.

Die 16. Martii.

S. Zachariæ Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco.
Et fit commem. Feriæ.

Die 18. Martii.

S. Gabrielis Archangeli.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 20. Martii.

S. Josephi ab Arimathæa Confess.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. Evangelium ut sequitur.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 27.

In illo témpore: Cum sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathǽa, nómine Joseph, qui et ipse discípulus erat Jesu. Hic accéssit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Tunc Pilátus jussit reddi corpus. Et accépto córpore, Joseph invólvit illud in síndone munda, et pósuit illud in monuménto suo novo, quod excíderat in petra, et advólvit saxum magnum ad óstium monuménti, et ábiit.

Die 22. Martii.

B. Nicolai de Flue Confessoris.

Missa. Os justi. de Comuni Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Nicoláum eremítam angelórum esca mirabíliter nutríre, ac donis cœléstibus cumuláre voluísti: concéde quæsumus; ut ejus intercessióne domínicum Corpus et Sánguinem digne súmere in terris, et gloriósum conspícere mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Evangelium. Ecce nos relíquimus. de Communi Abbatum.

Secreta.

Deus, qui beátum Nicoláum in terris venerári fecísti: da nobis ejus intercessióne a peccatórum néxibus absolútis in cœlis étiam de ejúsdem societáte gaudére. Per Dñm.

Postcommunio.

Pretiósi Córporis et Sánguinis tui, Dómine, refécti salutáribus aliméntis, concéde nobis, ut méritis, et précibus beáti Nicolái in cœléstis panis dulcédine, qua in terris eum satiáre dignátus es, ad ætérna gaúdia transíre mereámur. Qui vivis.

Die 23. Martii.

(d. f. ex 18. Martii.)

S. Cyrilli Episc. Hierosolymitani, Conf. et Eccl. Doct.

Ut in Missali die 18. Martii.

Die 28. Martii.

S. Xisti III. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. de Comm. 1. loco. Et fit commem. Feriæ.

Die 31. Martii.

S. Balbinæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Com̃. Virgin.

Die 6. Aprilis.

S. Xisti I. Papæ et Mart.

Missa. Státuit. primo loco. Et fit Com̃em. Feriæ in Quadrag. Temp. Pasch. Missa. Protexísti.

Die 7. Aprilis.

S. Cœlestini I. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco. In Quadrag. fit commem. Feriæ.

Die 8. Aprilis.

B. Julianæ Cornelionensis Virg.

Ut inter festa pro aliquibus locis die 5. Aprilis.

Die 12. Aprilis.

S. Julii I. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco. In Quadrag. fit commem. Feriæ.

Die 15. Aprilis.

S. Abundii Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Communi Confess. non Pont. præter Evang. sequ.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 5. c.

IN illo témpore: Factum est in una diérum, et Jesus sedébat docens. Et erant pharisǽi sedéntes, et legis doctóres, qui vénerant ex omni castéllo Galilǽæ, et Judǽæ, et Jerúsalem: et virtus Dómini erat ad sanándum eos. Et ecce viri portántes in lecto hóminem, qui erat paralýticus: et quærébant eum inférre, et pónere ante eum. Et non inveniéntes qua parte illum inférrent præ turba, adscendérunt supra tectum, et per tégulas summisérunt eum cum lecto in médium ante Jesum. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittúntur tibi peccáta tua. Et cœpérunt cogitáre scribæ et pharisǽi, dicéntes: Quis est hic, qui lóquitur blasphémias? Quis potest dimíttere peccáta, nisi solus Deus? Ut cognóvit autem Jesus cogitatiónes eórum, respóndens dixit ad illos: Quid cogitátis in córdibus vestris? Quid est facílius dícere: Dimittúntur tibi peccáta; an dícere: Surge, et ámbula? Ut autem sciátis quia fílius hóminis habet potestátem in terra dimitténdi peccáta (ait paralýtico): Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et conféstim consúrgens coram illis, tulit lectum, in quo jacébat: et ábiit in domum suam, magníficans Deum. Et stupor apprehéndit omnes, et magnificábant Deum. Et repléti sunt timóre, dicéntes: Quia vídimus mirabília hódie.

Die 16. Aprilis.

Omnium Ss. Episcoporum Diœcesis Valesiæ.

Missa. Státuit. de Comuni Conf. Pontif. præter sequ.

Oratio.

Da quǽsumus omnípotens Deus: ut beatórum ecclésiæ Valesiánæ Pontíficum et Confessórum veneránda solémnitas et devotiónem nobis aúgeat et salútem. Per Dñm.

Secreta.

Sancti tui, quǽsumus Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedéntibus beátis ecclésiæ Valesiánæ Confessóribus atque Pontifícibus, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum.

Die 17. Aprilis.

S. Aniceti Papæ et Mart.

Missa ut in Missali eadem die.

Die 19. Aprilis.

S. Leonis IX. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco.

Die 27. Aprilis.

S. Anastasii I. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco.

Die 11. Maji.

S. Sigismundi Regis Martyris.

Missa ut in Festo S. Georgii Martyris die 23. Aprilis.

Oratio.

Deus, qui beátum Sigismúndum regem utróque diadémate, temporáli scílicet, et ætérno cum desi-

deráta palma martýrii honoráre dignátus es, et ejus Relíquias ex profúndo gúrgite aquárum ad celebrándum fidélibus revelásti: tríbue quǽsumus; ut qui ejus mérita venerámur, ipsíus intercessiónibus ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Die 13. Maji.
S. Alexandri I. Papæ et Mart.
Temp. Pasch.: Missa. Protexísti.
Extra Tempus Paschale: Missa. Státuit. primo loco.

Die 14. Maji.
S. Paschalis I. Papæ et Conf.
Missa. Státuit. primo loco.
Et fit commem. S. Bonifacii Mart. ut in Missali.

Die 15. Maji.
S. Benedicti II. Papæ et Conf.
Missa. Státuit. de Comuni, 1. loco.

Die 16. Maji.
S. Joannis Nepom. Mart.
Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die 1. loco.

Die 21. Maji.
S. Felicis a Cantalicio Conf.
Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 24. Maji.
Beatæ Mariæ Virginis,
Titulo
Auxilium Christianorum.
Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 27. Maji.
S. Joannis I. Papæ et Mart.
Tempore Paschali: Missa. Protexísti. Extra Temp. Pasch. Missa. Sacerdótes Dei. secundo loco.

Die 28. Maji.
S. Urbani I. Papæ et Martyris.
Missa extra tempus Paschale.
Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 29. Maji.
S. Bonifacii IV. Papæ et Conf.
Missa. Státuit. de Comm., 1. loco.

Die 30. Maji.
S. Felicis I. Papæ et Mart.
Temp. Pasch.: Missa. Protexísti.
Extra Temp. Pasch.: Missa. Státuit. primo loco.

Die 31. Maji.
S. Gabini Martyris.
Temp. Paschali: Missa. Protexísti. de Comm. unius Mart. cum Orat. Præsta quǽsumus ... ut qui. Extra Tempus Paschale Missa. In virtúte tua. de Com̃. unius Mart. non Pont. 1. loco cum Evangelio. Si quis venit. ex Missa. Státuit. de Com̃. unius Mart. Pontif.

Die 1. Junii.
S. Eleutherii I. Papæ et Mart.
Temp. Pasch.: Missa. Protexísti.
Extra Tempus Paschale: Missa. Státuit. primo loco.

Die 2. Junii.
S. Eugenii Papæ et Conf.
Missa. Státuit. primo loco.
Et fit commem. Ss. Marcellini ac Sociorum Martyrum, ut in Missali.

Die 3. Junii.
S. Augustini Episc. et Conf.
Ut in Missali die 28. Maji.

Die 7. Junii.
S. Angelæ Mericiæ Virginis.
Ut in Missali die 31. Maji.

Die 15. Junii.

S. Bernardi a Menthone Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Exténde quæsumus Dómine super plebem tuam déxteram cœléstis auxílii, et intercedénte beáto Bernárdo Confessóre tuo, cunctas diáboli nequítias ab ea longe repélle. Per Dóminum.

Et fit Comm. Ss. Mm. Viti et Soc. ut in Missali eadem die.

Die 16. Junii.

S. Leonis III. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Et fit commem. Ss. Basilidis ac Sociorum Martyrum, ut in Missali.

Dominica post Octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

In Commemoratione

Omnium Ss. Summorum Pontificum.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Die 3. Julii.

S. Pauli I. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. de Comuni Conf. Pont.

Et fit comem. Octavæ Apostolorum, ut in Missali.

Die 7. Julii.

B. Benedicti XI. Papæ et Conf.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 9. Julii.

B. Eugenii III. Papæ et Conf.

Ut inter festa pro aliquibus locis die 8. Julii.

Die 17. Julii.

S. Alexii Confessoris.

Missa ut in Missali eadem die.

Oratio.

Deus, qui beátum Aléxium Confessórem tuum in mundi contémptu mirábilem effecísti: præsta, quǽsumus, ut intercessiónis ejus auxílio fidéles tui terréna despíciant, et ad cœléstia semper adspírent. Per Dóminum.

Die 21. Julii.

S. Leonis IV. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco.

Die 24. Julii.

S. Ruffilli Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes Dei. de Com̃. Conf. Pont. 2. loco.

Et fit com̃. Vigiliæ S. Jacobi cum ultimo Evangelio et S. Christinæ V. et M. ut in Missali eadem die.

Die 27. Julii.

S. Symmachi Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco.

Die 28. Julii.

Ss. Victoris, Innocentii, Nazarii et **Celsi** Martyrum.

Missa ut in Missali eadem die: sed in orationibus dicitur Victóris, Innocéntii, Nazárii et Celsi.

Die 29. Julii.

S. Felicis II. Papæ et Mart.

Missa. Státuit. primo loco.

Et fit com̃. Ss. Simplicii, Faustini ac Beatricis Martyr., ut in Missali, dempto nomine Felícis.

Die 2. Augusti.

S. Stephani Papæ et Mart.

Omnia ut in Missali eadem die.

Die 11. Augusti.
S. Xysti II. Papæ et Mart.
Missa. **Státuit.** primo loco.
Et fit comem. Octavæ S. Laurentii, ac Ss. Tiburtii et Susannæ Mm. ut in Missali.

Die 13. Augusti.
S. Philumenæ Virg. et Mart.
Missa. **Loquébar.** de Communi, cum commemorationibus ut supra.

Die 14. Augusti.
S. Hormisdæ I. Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** primo loco.
Et fit commemoratio Octavæ, et Vigiliæ Assumptionis, ut in Missali cum Evangelio Vigiliæ in fine.

Die 19. Augusti.
B. Urbani II. Papæ et Conf.
Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 30. Augusti.
S. Garini Episc. et Conf.
Missa. **Sacerdótes Dei.** de Communi Conf. Pont. 2. loco.

Dominica I. post diem 15. Aug.
S. Theodori Episc. Conf. Valesiæ Patroni.
Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Dominica post festum S. Theodori.
Octava **S. Theodori.**
Missa. **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Dominica I. Septembris.
Ss. Angelorum Custodum.
Omnia ut in Missali die 2. Octobr. Et fit commem. Domin. occurr., cujus Evangel. legitur in fine.

Die 1. Septembris.
S. Joachim Conf. Patris B. M. V.
Omnia ut in Missali Dominica post Assumpt. B. M. V.

Die 4. Septembris.
Inventio Reliquiarum
Ss. Theodori Episc. et Conf. et **Socior.** Mart.
Missa. **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. 1. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus qui es Sanctórum tuórum splendor mirábilis quique hodiérna die pretiósas sanctórum Relíquias cum venerábili córpore beáti Theodóri Confessóris atque Pontíficis reveláre voluísti, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Die 6. Septembris.
S. Rosaliæ Virginis.
Ut inter festa pro aliquibus locis die 4. Septembris 1. loco.

Die 7. Septembris.
Comm. **S. Grati** Ep. et Conf.
Orationes ex Missa **Státuit.**

Die 9. Septembris.
S. Sergii I. Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** de Comm. 1. loco.
Et fit comem. Octavæ Nativitatis B. Mariæ, et S. Gorgonii Martyris, ut in Missali.

Die 11. Septembris.
S. Hilarii I. Papæ et Conf.
Missa. **Sacerdótes.** secundo loco.
Et fit comem. Octavæ Nativitatis. **Credo** et Præf. Octavæ.

Die 20. Septembris.
S. Agapiti I. Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** primo loco.
Et fit comem. Vigiliæ S. Matthæi Apost. ac legitur ejus Evang. in fine.

Die 22. Septembris.

Ss. Mauritii Valesiæ Patr. princip. et **Socior.** Martyrum.

Omnia ut in Missali eadem die. Et dicitur Credo. per totam Octavam.

Die 26. Septembris.

S. Eusebii I. Papæ et Mart.

Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pontif. 1. loco.

Die 3. Octobris.

Ss. Ursi et **Victoris** Martyrum.

Missa ut in Festo Ss. Martyr. Mauritii et Socior. die 22. Sept. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem beatórum Mártyrum tuórum Ursi et Victóris Sociorúmque eórum gloriósa passióne consecrásti: præsta quǽsumus, ut eórum suffrágia apud te sentiámus in cœlis, quorum pio amóre solémnia venerámur in terris. Per Dóminum.

Die 16. Octobris.

S. Galli Abbatis.

Missa. Os justi. de Comuni Abbatum.

Dominica II. Octobris.

Dedicatio Eccl. Sedunen.

Omnia ut in Missali in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ. Et fit comem. Domin. occurr. et legitur ejusdem Evang. in fine.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Sociarum** Virg. et Mart.

Missa. Me exspectavérunt. ut in Appendice Missarum eadem die.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 25. Octobris.

S. Bonifacii I. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco. Et fit commemor. Ss. Chrysanthi et Dariæ Martyrum, ut in Missali.

Die 30. Octobris.

S. Quirini Martyris.

Missa. Lætábitur. de Com. unius Mart. non Pont. 2. loco cum Evang. Si quis venit. ex Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont. 1. loco.

Die 31. Octobris.

S. Wolfgangi Episc. et Conf.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 2. Novembris.

S. Ambrosii Abbatis.

Missa. Os justi. de Communi Abb.

Die 3. Novembris.

S. Siricii Papæ et Conf.

Ut inter festa pro aliquibus locis die 31. Octobris.

Die 13. Novembris.

VII Gaudiorum B. Mariæ V.

Missa. Salve. ut in Missis votivis B. M. V. a Pentecoste usque ad Adventum. Et dic. Credo. et Præf. de B. Maria Et te in Festivitáte. Et fit commem. S. Britii Episc. et Conf. Orationes ex Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Die 14. Novembris.

S. Deusdedit I. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. primo loco.

Die 16. Novembris.

S. Nicolai I. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. de Comm. 1. loco.

Die 25. Novembris.
(d. f. ex 14. Nov.)
S. Josaphat Episc. et Mart.
Ut in Missali die 14. Novembris.

Die 26. Novembris.
S. Silvestri Abbatis.
Missa. **Os justi.** de Comm. Abbat. Et fit coñemoratio S. Petri Alexandrini Episc. et Mart., ex Missa. **Státuit.** primo loco.

Die 27. Novembris.
S. Pontiani I. Papæ et Mart.
Missa. **Státuit.** de Comm. Mart. Pont. primo loco.
Evangel. **Nihil est opértum.** ex Missa. **Lætábitur.** de Comm. Mart. non Pont. 2. loco.

Die 28. Novembris.
S. Gregorii III. Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** primo loco.

Die 29. Novembris.
S. Gelasii I. Papæ et Conf.
Missa. **Státuit.** primo loco.
Et fit coñem. Vigiliæ S. Andreæ Apostoli et S. Saturnini Mart., ut in Missali et legitur Evangelium Vigiliæ in fine.

Dominica II. Novembris.
Patrocinii B. Mariæ Virginis.
Missa. **Salve sancta parens.** ut in Missis votivis B. Mariæ Virginis a Pentecoste usque ad Adventum cum commem. Dominicæ occurr. Et dic. **Credo.** et Præf. de B. Maria. **Et te in Festivitáte beátæ Maríæ.**
Et in fine Missæ legitur Evangelium Dominicæ.

Dominica ultima post Pentecosten.
S. Catharinæ Virg. et Mart.
Omnia ut in Missali die 25. Nov.
Et fit comm. Domin. occurr., et legitur ejusdem Evang. in fine.

Die 4. Decembris.
S. Barbaræ Virg. et Mart.
Missa. **Loquébar.** de Com. Virg. et Mart. 1. loco.

Die 9. Decembris.
S. Eutychiani Papæ et Mart.
Missa. **Sacerdótes Dei.** de Communi, secundo loco.
Et fit coñem. Octavæ et Feriæ.

Die 10. Decembris.
S. Melchiadis Papæ et Mart.
Missa. **Státuit.** primo loco.
Et fit coñem. Octavæ et Feriæ.

Die 18. Decembris.
Exspectationis Partus B. M. V.
Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 19. Decembris.
B. Urbani V. Papæ et Conf.
Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Adprobatio.

Omnia cum Originalibus concordant. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 28. Aprilis 1884.

(L. S.) Pro **R. P. D. Laurentio Salvati** Secretario
Joannes Canonicus Ponzi Substitutus.

APPENDIX.

Festum infra recensitum a S. R. C. non approbatur, sed tantum toleratur, ideoque etiam ejusdem missa ab officiis approbatis segregandum.

Die 28. Januarii.

Sancti Caroli Magni
Imperatoris, Conf.

Introitus. Ps. 36.

S justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui a glória tua nullam conditiónem exclúdis, te supplíciter exorámus, ut sicut beáto Cárolo Confessóri tuo post terréni culmen impérii cœléstis regni sólium contulísti: ita méritis ejus, et précibus nobis quoque fámulis tuis ætérnæ felicitátis prǽmia largiáris. Per Dóminum nostrum.

In Missis privatis fit Commem. S. Agnetis Virg. Mart. secundo ppr. sine Credo.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 10. b.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 91. Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1. Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est,

ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et adstántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut sicut beátus Cárolus Conféssor tuus, spretis mundi oblectaméntis, soli regi Christo placére stúduit; ita ejus orátio nos tibi reddat accéptos. Per eúmdem Dóminum nostrum.


Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Confessórem tuum Cárolum mirificásti in terris, et gloriósum in cœlis fecísti: eúmdem, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ constítue defensórem. Per Dñm.

Imprimatur.

Seduni, die 27. Aprilis 1884.



✠ **Adrianus** Eppus Sedunensis.

Index Alphabeticus.

Ratisbonæ 1884. Typis Fr. Pustet, S. Sed. Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



Festa Januarii.

DIE XXII.

S. Vincentii

Martyris.

Missa propria inter novissima pro Hispania. 4.

Festa Februarii.

DIE III.

S. Blasii

Episcopi et Martyris.

Missa. Sacerdótes Dei, *et alia omnia ut in Missali Romano in eodem Festo : vel ut in Communi unius Mart. Pontif.*

In Cathedrali in Missa dicitur Credo, *quia habetur in ea notabilis Reliquia Sancti.*

Et ubicumque fuerit caput, crus, brachium, et alia pars corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva, et ab Ordinario approbata, in Missa dicitur Credo. *Et hoc observa in similibus.*

DIE XV.

B. M. V. de Guadalupe.

Missa propria, ut in Codice SS. Hispanorum sub hac die.

DIE XVIII.

S. Anastasii

Martyris.

Missa. In virtúte, *de Communi unius Martyris non Pontificis, Evang.* Si quis venit... *ex Missa* Státuit, *de eodem Communi.*

Oratio.

Adésto Dómine, supplicatiónibus nostris : ut qui ex iniquitáte nostra, reos nos esse cognóscimus, beáti Mártyris tui Anastásii intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Festa Martii.

DIE I.

SS. Angelorum Custodum.

Missa ut in Missali die 2. Octobr. Credo.

Si venerit in Quadragesima, fit Commemoratio Feriae, et ultimum Evangelium legitur de ea.

DIE VIII.

S. Veremundi

Abbatis.

Missa. Os justi, *de Communi Abbat.*

DIE XV.

S. Raymundi

Abbatis.

Missa. Os justi, *de Communi Abbatum praeter Orationem et Evangelium quae sunt propria, ut sequitur.*

Oratio.

DEus, qui beáto Raymúndo Abbáti proeliári proelia tua, et fídei inimícos superáre dedísti, concéde, ut ejus nos intercessióne muníti ab hóstibus mentis, et córporis liberémur. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangelii secúndum Lucam. *Luc. 3.*

IN illo témpore : Dicébat Joánnes ad turbas, quae exíbant, ut baptizaréntur ab ipso : Genímina viperárum, quis osténdit vobis fúgere a ventúra ira? Fácite ergo fructus dignos poeniténtiae, et ne coepéritis dícere : Patrem habémus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapídibus istis suscitáre fílios Abrahae : jam enim secúris ad rádicem árborum pósita est. Omnis ergo arbor non fáciens fructum bonum excidétur, et in ignem mittétur. Et interrogábant eum mílites dicéntes : quid faciémus nos? Et ait illis : néminem concutiátis, neque calúmniam faciátis, et conténti estóte stipéndiis vestris.

FERIA TERTIA

POST OCTAVAM PASCHAE.

Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Pompelonensis.

Duplex j. classis pro tota Dioecesi. In Civitate tantum cum Octava.

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiae ut in Missali, et juxta tempus Paschale cum Allelúia. *Et in Missa dicitur* Credo, *per Octavam.*

Festa Maii.

DIE IX.

S. Gregorii

Cardinalis, Episc. Ostiens. et Conf.

Missa. Státuit, *de Communi Conf. Pontif.*

Oratio j. propria.

Oratio.

DEus, qui beátum Gregórium Confessórem tuum atque Pontíficem contra locustárum incursiónes singulári grátia donáre dignátus es, concéde propítius, ut qui tua benefícia incessánter póscimus, ejus méritis et intercessióne ánimae et córpora nostra ab ómnibus liberéntur advérsis, atque substántiae nostrae a quovis indignatiónis tuae flagéllo permáneant immúnes. Per Dóminum nostrum.

DIE X.

S. Martini Loynaz

Martyris.

Missa pro tempore Pasch. Protexísti, *ut in Communi Martyrum tempore Paschali.*

Oratio. Praesta quaesumus Omnípotens Deus, ut qui beáti Martíni, *etc.*

Commem. SS. Gordiani etc. Martyrum; ut in Missali.

Extra tempus Paschale, Missa Laetábitur, *ut in Communi unius Martyris non Pontificis; Evangel.* Si quis vult, *de eodem Communi.*

FERIA TERTIA
POST OCTAVAM PENTECOSTES.

Reliquiarum Ecclesiae Pompelonensis.

Missa. Sapiéntiam, *de Communi plurimorum Martyrum praeter Orationes.*

In Matrice dicitur Credo.

Oratio.

PRopitiáre, quaesumus Dómine, nobis fámulis tuis per Sanctórum tuórum, quorum Relíquiae in hac (*vel* in illa) continéntur Ecclésia, mérita gloriósa ut eórum pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Secreta.

SUscípiat cleméntia tua, Dómine, quaesumus, de mánibus nostris munus oblátum : et per horum Sanctórum tuórum oratiónes ab ómnibus nos peccátis emúndet. Per Dóminum.

Postcommunio.

DIvína libántes mystéria, quae pro Sanctórum tuórum, quorum Relíquiae hic (*vel* illic) sunt, veneratióne tuae obtúlimus majestáti, quaesumus Dómine, ut per eam véniam consequámur, et pacem. Per Dóminum.

NOTA. *Quod hoc Festum Reliquiarum Almae Pompelonensis Ecclesiae non solum est celebrandum in Ecclesia Matrice, sed et in omnibus totius Dioecesis, licet in eis nullae asserventur Reliquiae, quarum nomina ignorentur, ex speciali S. M. Sixti Papae V. concessione, non obstantibus Decretis S. R. C. in Calagurritana,* 1 *Septembris* 1612, *et in Conchensi* 12 *Martii* 1618, *notatis a Barb. collect. Bull. verb.* Relíquiae, *propter singulare nostri Episcopatus indultum, et praxim.*

Si in aliqua Ecclesia adsit Corpus, aut insignis Reliquia alicujus Sancti, debet fieri in ea Officium duplex, licet in Breviario nihil aut sub minori ritu fiat, ex Gregor. XIII. in Bulla Pastoralis 30 *Decembris* 1573, *apposita ad Offic. SS. Hispanorum, quod accipiendum est dummodo Corpus aut insignis Reliquia sit de Sancto in Martyrologio Romano descripto, et constet de identitate Corporis, aut insignis Reliquiae ipsiusmet Sancti in Martyrologio descripti, et non aliter; nam de Sanctis in dicto Martyrologio non descriptis (nisi aliud specialiter a Sancta Sede fuerit concessum) Missas et Officia celebrari prohibuit S. R. C. die* 11 *Augusti* 1691, *annuente Sanctissimo die* 19 *Octobris ejusdem anni, non obstante quod ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiae in Ecclesiis asserventur; quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam, et assuetam Fidelium venerationem exhibendam esse censuit, sed absque Officio, et Missa, sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi Officium, et aliis.*

Festa Junii.

DIE XIV.

S. Exuperii

Episcopi, et Confessoris.

Missa ubique Státuit, *ut in Communi Confessoris Pontificis.*

Oratio. Da quaesumus, *de eodem Communi.*

In Matrice dicitur Credo, *quia in ea habetur unum brachium Sancti.*

Festa Julii.

DIE VII.

S. Firmini

Episcopi, et Martyris, Patroni Regni et Dioecesis, cum Octava in tota Dioecesi, et Regno.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes, in Dómino diem festum celebrántes sub honóre beáti Firmíni, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. *Psalm.* Magnus Dóminus, et laudábilis nimis, in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui per fídei praecónium, et passiónis agónem, beátum Firmínum Epíscopum, et Mártyrem immortalitátis láurea coronásti: concéde propítius, ut cujus celebrámus triúmphum, assequámur et praemium. Per Dóminum.

Léctio **Epistolae** beáti Jacóbi Apóstoli. 1.

CAríssimi: Omne gáudium existimáte, fratres mei, cum in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes quod probátio fídei vestrae patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti, et íntegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil haesitans: qui enim haesitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur, et circumfértur. Non ergo aestimet homo ille quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo, incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem, in humilitáte sua, quóniam sicut flos foeni transíbit. Exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit foenum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Graduale. Glória, et honóre coronásti eum. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine. Allelúia, allelúia. ℣. Hic est Sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúia.

✠ Sequéntia **sancti Evangelii** secúndum Joánnem. Joan. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam; et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificávit eum Pater meus, qui est in coelis. Credo.

Offertorium. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei; et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

MUnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica : et intercedénte beáto Firmíno Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum nostrum.

Communio. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

HAec nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et intercedénte beáto Firmíno Mártyre tuo, atque Pontífice, coeléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

FESTUM
Coronae D. N. J. C.

Celebratur in tota Dioecesi Dominica infra Octavam S. Firmini, quae est prima post Octavam Apostolorum Petri, et Pauli.

Sed si Festum S. Firmini venerit in Dominica, praedictum Festum Coronae transfertur in primam sequentem Dominicam post Octavam S. Firmini; et semper cum Commem. et ultimo Evang. Dominicae, in qua celebratur.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Corónae Dómini, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. *Psalm.* Magnus Dóminus, et laudábilis nimis, in Civitáte Dei nostri in monte sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PRaesta quaesumus, omnípotens Deus, ut qui in memóriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi, corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória, et honóre coronári mereámur in coelis. Qui tecum vivit et regnat.

Léctio libri **Sapientiae.** Cant. 3. et 4.

LEctulum Salomónis sexagínta fortes ámbiunt ex fortíssimis Israel; omnes tenéntes gládios, et ad bella doctíssimi; uniuscujúsque ensis super femur suum propter timóres noctúrnos. Férculum fecit sibi rex Sálomon de lignis Líbani; colúmnas ejus fecit argénteas, reclinatórium áureum, ascénsum purpúreum : média caritáte constrávit propter fílias Jerúsalem : egredímini, et vidéte fíliae Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die laetítiae cordis ejus.

Graduale. Confíge timóre tuo carnes meas : a judíciis enim tuis tímui. ℣. Feci judícium, et justítiam, non tradas me calumniántibus me. Allelúia, allelúia. ℣. Tibi glória, Hosánna : tibi triúmphus, et victória : tibi summae laudis, et honóris coróna, allelúia.

✠ Sequéntia **sancti Evangelii** secúndum Joánnem. Joann. 19.

IN illo témpore : Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit; et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus; et veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, et di-

cébant : Ave Rex Judaeórum : et dabant ei álapas. Exívit ergo íterum Pilátus foras, et dicit eis : Ecce addúco vobis eum foras, ut cognoscátis; quia nullam invénio in eo causam. Exívit ergo Jesus, portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum. Et dicit eis : Ecce homo. Credo.

Offertorium. Concidísti saccum meum, et circumdedísti me laetítia, ut cantem tibi glória mea, et non compúngar.

Secreta.

TUórum mílitum, Rex omnípotens, virtútem corróbora, ut quos in hujus mortalitátis stádio, unigéniti Fílii tui coróna laetíficas, eósdem consummáto cursu certáminis, immortalitátis coróna glorífices. Per eúmdem.

Praefatio de Cruce. Qui salútem.

Communio. Benedíces corónae anni benignitátis tuae, et campi tui replebúntur ubertáte : pinguéscent speciósa desérti, et exsultatióne colles accingéntur.

Postcommunio.

SUpplices te rogámus, omnípotens Deus, ut haec Sacraménta quae súmpsimus, per sacrosánctae Fílii tui corónae, cujus solémnia recensémus, virtútem, nobis profíciant ad salútem. Qui tecum vivit.

Festa Augusti.

DIE XXVIII.

S. Augustini

Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Omnia ut in Missali Romano sub hac die.

Festa Octobris.

DIE XXI.

In Ecclesia Cathedrali tantum.

SS. Ursulae et Sociarum ejus

Virginum et Martyrum.

Missa. Loquébar, *de Communi Virginum, praeter sequentia.*

Oratio.

DA nobis, quaesumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Ursulae et sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári, ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Commemoratio S. Hilarionis ex Missa. Os justi, *de Communi Abbatum.*

Léctio **Epístolae** beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. 7.

FRatres : De virgínibus praecéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quaerere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quaerere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit; tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent,

tamquam non gaudéntes : et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur : praeterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quae Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quae sunt mundi, quómodo pláceat uxóri; et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat, quae Dómini sunt : ut sit sancta córpore, et spíritu, in Christo Jesu Dómino nostro.

Dicitur Credo, *quia habetur in hac Ecclesia caput unius Virginum.*

Secreta.

IN ténde quaesumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Ursulae et sociárum ejus, festivitáte propósita : ut sicut per haec beáta mystéria, illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRaesta nobis, quaesumus Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martyribus tuis, ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Et ubicumque fuerit alicujus ex Virginibus caput, crus, brachium, etc. fiat de ea Officium duplex de Communi Virginum, sumpta Oratione in singulari, vel plurali, si sunt plures, cum Commem. S. Hilarionis tantum, ex Decreto 11 *Januarii* 1743. *et dicitur in Missa* Credo.


Si nomen Virginis, aut Virginum ignoretur, taceatur in illo N. Orationis. Et si in aliqua Ecclesia adsit caput S. Ursulae non debet fieri Officium de aliis simul cum S. Ursula, sed solum Officium fiet de S. Ursula, sine Commem. aliarum Virginum. Ex Decreto 11 *Januar.* 1749.

DIE XXII.

SS. Nunilonis et Alodiae

Virg. et Mart.

Introitus.



LOquébar de testimóniis tuis in conspéctu Regum, et non confundébar : et meditábar in mandátis tuis, quae diléxi nimis. *Psalm.* Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

ADjuvent nos, quaesumus Dómine, mérita intercessionésque sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Nunilónis et Alódiae, ut qui eárum solemnitátem votívo cólimus honóre, ipsárum suffrágiis ab ómnibus malis érui mereámur. Per Dóminum.

Epistola. De virgínibus, *ut in Missa præcedenti, p.* 6.

Graduale. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem. ℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo laetítiae.

Allelúia, allelúia. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus afferéntur tibi in laetítia. Allelúia.

Evangelium. Accessérunt ad Jesum, *de Communi Virginum iij. loco, post Missam* Me exspectavérunt.

Offertorium. Afferéntur Regi vírgines post eam; próximae ejus

afferéntur tibi in laetítia, et exsultatióne; adducéntur in templum Regi Dómino.

Secreta.

INténde quaesumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Nunilónis et Alódiae, festivitáte propósita : ut sicut per haec beáta mystéria, illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Communio. Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me : ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.

Postcommunio.

SAcraménti tui, Dómine Deus noster, sacrosáncta percéptio fiat nostra salvátio, et méritis beatárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Nunilónis et Alódiae, aetérnae beatitúdinis optáta fruítio. Per Dóminum.

Festa Novembris.

DOMIN. I. NOVEMBR.
Patrocinii B. M. V.

Missa. Salve sancta parens, *ut in votiva ejusdem a Pentec. usque ad Adventum.* — Credo.

Praefatio. Et te in Festivitáte; *dicitur Commem. Dominicae et Octavae Omnium Sanctorum, et ultimum Evangelium Dominicae.*

Si autem Festum Omnium Sanctorum occurrat in Dominica, Festum Patrocinii celebratur in Dominica tertia ejusdem mensis.

DIE XXIX.
S. Saturnini
Episcopi et Martyris.

Missa. Státuit, *de Communi unius Martyris Pontificis.*

In Civitate Pompelonensi celebratur cum Octava, tamquam Patronus Civitatis : et in ea nihil fit de Vigilia S. Andreae, nec de S. Saturnino Martyre, et dicitur Credo, *per Octavam.*

Extra civitatem Commemoratio Vigiliae S. Andreae, et S. Saturnini Martyris (haec omitt. in Missis privatis) et ult. Evang. Vigiliae. Dicitur Credo *in tota Dioecesi.*

Festa Decembris.

DIE III.
S. Francisci Xaverii
Confessoris, Patroni Regni Navarae.

Missa. Loquébar, *ut in Missali Romano sub hac die.*

In Regno celebratur cum Octava et per illam dicitur Credo *et fit Commemoratio Feriae.*



Revisione rite peracta, concordat cum originali; ideo imprimi potest.
Tornaci, die 7 Julii 1890.
G. F. J. BOUVRY, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistæ, Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci. [Belg.]

MISSÆ
QUORUMDAM HIBERNIÆ SANCTORUM, ALIORUMQUE FESTORUM
A SACRA RITUUM CONGREGATIONE

ADPROBATÆ.



RATISBONÆ, NEO EBORACI ET CINCINNATII.
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGRAPHI.
MDCCCLXXXVIII.

INDEX.

MISSÆ
QUORUMDAM HIBERNIÆ SANCTORUM,
ALIORUMQUE FESTORUM
A SACRA RITUUM CONGREGATIONE ADPROBATÆ.

Die 18. Decembris.
S. Flannani, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 2. Januarii.
S. Munchini, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 8. Januarii.
S. Alberti, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 15. Januarii.
S. Itæ, Virg.
Missa. Dilexísti. de Comũni Virg. tantum, præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Itam Vírginem innúmeris donis decorásti: da, quæsumus, per ejus intercessiónem; ut, quam venerámur afféctu, áctibus et vita imitémur. Per Dóminum.

Die 16. Januarii.
S. Fursei, Abbatis.
Missa. Os justi. de Communi Abbatum.

Die 31. Januarii.
S. Edani, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 1. Februarii.
S. Brigidæ, Virginis.
Missa. Dilexísti. de Comũni Virg. tantum, præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, qui nos hodiérna die beátæ Brígidæ, Vírginis tuæ, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut ejus adjuvémur méritis, cujus castitátis irradiámur exémplis. Per Dóminum.

Die 6. Februarii.
S. Melis, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 17. Februarii.
S. Fintani, Abbatis.
Missa. Os justi. de Comm. Abbat.

Feria VI. post Dom. Quinquages.
Ss. Passionis D. N. J. C.
Omnia ut inter festa pro aliqu. locis feria III. post Dom. Sexages.
Et fit commem. feriæ cum ejusdem Evangelio in fine.

Feria VI. post Domin. I. Quadrag.
Ss. Spineæ Coronæ D. N. J. C.
Missa. Egredímini. ut inter festa pro aliqu. locis feria VI. post Cineres, præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, qui unigénitum tuum in Passióne sua Spínea Coróna decorári, et Regem adorári voluísti: da nobis, quæsumus; ob piam venerationem sacræ illíus Spíneæ Corónæ in cœlésti ejus regno Corónam glóriæ suæ, et ætérni Regis majestátem perpétuo contemplári. Per eúmdem Dóminum.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag.
Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Introitus. Ps. 21.

FOdérunt manus meas, et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea, et sicut aqua effúsus sum. Ps. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in assúmptæ carnis infirmitáte Clavis affígi, et Láncea vulnerári pro mundi salúte voluísti: concéde propítius; ut, qui eorúmdem Clavórum et Lánceæ solémnia venerámur in terris, de glorióso victóriæ tuæ triúmpho gratulémur in cœlis: Qui vivis et regnas.

Fit comem. Feriæ, dicitur Credo, et legitur Evang. Feriæ in fine.

Cætera ut in Missa de Passione Domini inter votivas.

Feria VI. post Domin. III. Quadrag.
Sacr. Quinque Vulnerum D. N. J. C.
Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem feria.

Feria VI. post Domin. IV. Quadrag.
Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C.
Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem feria.

Die 5. Martii.
S. Kyrani, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 8. Martii.
S. Cataldi, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Eadem Die.
S. Senani, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 17. Martii.
S. Patricii, Episc. et Conf. et totius regni Patroni.
Missa ut in Missali eadem die. Et dicitur Credo.

Die 20. Martii.
S. Cuthberti, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 22. Martii.
S. Frigidiani, Episc. et Conf.
Missa. Sacerdótes tui. de Communi Conf. Pont. præter Orationem seq.

Oratio.

Sancti Frigidiáni, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, précibus adjuvémur: ut cujus mérita celebrámus, ejus contínuum salútis sentiámus auxílium. Per Dóminum.

Die 24. Martii.

S. Macartini, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Die 27. Martii.

S. Ruperti, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. cum Evangel. **Homo quidam nóbilis.** ut in festo S. Ludovici, Conf. die 25. Augusti.

Die 6. Aprilis.

S. Cœlestini I., Papæ et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Die 7. Aprilis.

S. Celsi, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Die 18. Aprilis.

S. Laseriani, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Die 27. Aprilis.

S. Asici, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Dominica I. post Kalendas Maji, non impedita Officio duplici.

Puritatis B. M. V.

Missa. **Salve.** ut inter festa pro aliqu. locis Dominica III. Octobr. sed ritu Paschali, et loco Gradualis dic. **Allelúja, allelúja etc.** ex Missa votiva B. M. V. a Pascha usque ad Pentecosten.

Die 3. Maji.

S. Conlethi, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Com̃. Conf. Pont.

Die 10. Maji.

S. Congalli, Abbatis.

Missa. **Os justi.** de Com̃uni Abbat., cum commem. Ss. Mart. Gordiani et Epimachi ut in Missali eadem die.

Die 14. Maji.

S. Carthagi, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Die 15. Maji.

S. Dympnæ, Virg. et Mart.

Missa. **Loquébar.** de Comm. Virg. et Mart. præter Orat. sequ.

Oratio.

Amátor pudicítiæ, Deus, supplicántibus nobis tríbue; ut qui beátæ Dympnæ, Vírginis et Mártyris tuæ, festivitátem recensémus, ejus apud te méritis et précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Die 16. Maji.

S. Brendani, Abbatis.

Missa. **Os justi.** de Com̃uni Abbat.

Feria VI. post Oct. Ss. Corp. Chr.

Ss. Cordis Jesu.

Missa. **Egredímini et vidéte.** ut inter festa pro aliqu. locis eadem feria.

Dom. I. post Festum Ss. Cordis Jesu, non impedita Officio duplici.

Ss. Cordis B. M. V.

Missa. **Salve.** ut a Pentecoste ad Adventum cum com̃em. Dominicæ et ejus Evangel. in fine. **Credo.** Præfatio. **Et te in Festivitáte.**

Die 3. Junii.

S. Coëmgeni, Abbatis.

Missa. **Os justi.** de Com̃uni Abbat.

Die 5. Junii.
S. Bonifacii, Episc. et Mart.
Missa ut in Missali eadem die.

Die 6. Junii.
S. Jarlathi, Episc. et Conf.
Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Die 7. Junii.
S. Colmani, Episc. et Conf.
Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Die 9. Junii.
S. Columbæ, Abbatis.
Missa. **Os justi.** de Comuni Abbat. cum commem. Ss. Mart. Primi et Feliciani, ut in Missali eadem die.

Die 16. Junii.
S. Joannis Francisci Regis, Conf.
Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 1. (alias 3.) Julii.
S. Rumoldi, Episc. et Mart.
Missa. **Státuit.** de Communi unius Mart. Pont.
Dicitur **Credo.** ratione Octavæ, et Præfatio de Apost.

Oratio.

Deus, qui intercedénte beáto Rumóldo, Mártyre tuo atque Pontífice, labéntis flúminis undas tua virtúte solidásti, et tríduo submérsum a mortis néxibus, et de profúndis aquárum absque humóre mirabíliter eripuísti: concéde propítius; ut ejus méritis et précibus a periculósis hujus sǽculi flúctibus eripiámur, et ad portum ætérnæ beatitúdinis perducámur. Per Dñm.
Et fit commem. Octavæ Apost.

Die 8. Julii.
S. Kiliani, Episc. et Mart.
Missa. **Státuit.** de Communi unius Mart. Pont.

Die 9. Julii.
Ss. Martyrum Gorcomiensium.
Missa. **Intret in conspéctu.** de Communi plurimorum Mart.

Oratio.

Deus, qui beatórum Mártyrum tuórum Nicolái et Sociórum ejus gloriósum pro fide tua certámen æternitátis laúrea decorásti: concéde propítius; ut eórum méritis et imitatióne certántes in terris, cum ipsis coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

℣ In aliquibus locis dicitur sequ.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Leonárdi et Sociórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Die 9. Augusti.
S. Nathei, Episc. et Conf.
Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Eadem Die.
S. Fedlimini, Episc. et Conf.
Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Die 11. Augusti.
S. Attractæ, Virginis.
Missa. **Dilexísti justítiam.** de Communi Virg. tantum, præter Orat. seq.

Oratio.

Deus, humílium fortitúdo, qui ad promovéndam inter pagános fidem, beátam Attráctam, Vír-

ginem tuam, verbis et miráculis poténtem effecísti: præsta; ut cujus patrocínio juvámur in terris, ejus societátem consequámur in cœlis. Per Dóminum.

Eadem Die.
S. Leliæ, Virginis.
Missa. Dilexísti. de Comuni Virg.

Die 12. Augusti.
S. Muredachi, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 14. Augusti.
S. Fachanani, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 23. Augusti.
S. Eugenii, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 30. Augusti.
S. Fiacrii, Conf. non Pont.
Missa. Justus ut palma. de Communi Conf. non Pont. 2. loco, cum commem. Ss. Martyrum Felicis et Adaucti, ut in Missali eadem die. Evangel. Vidéte, vigiláte, et oráte. ut in Anniversario Consecrationis Episcopi.

Dom. I. post Kalendas Septembris, non impedita Officio duplici.
Maternitatis B. M. V.
Missa. Salve. ut inter festa pro aliqu. locis Dominica II. Octobris.

Die 3. Septembris.
S. Macanisii, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 9. Septembris.
S. Kyrani, Abbatis.
Missa. Os justi. de Comuni Abbat.

Die 12. Septembris.
S. Albei, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Comuni Conf. Pontificis.

Die 23. Septembris.
S. Eunani, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 25. Septembris.
S. Finbarri, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Dominica II. Octobris.
Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum Hiberniæ.
Missa. Terríbilis est locus iste. de Communi Dedicationis Ecclesiæ. Dicitur Credo. et per Octavam.

Die 11. Octobris.
S. Canici, Abbatis.
Missa. Os justi. de Comuni Abbat.

Die 16. Octobris.
Sancti Galli, Abbatis.
Missa. Os justi. de Comuni Abbat.

Die 22. Octobris.
S. Donati, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 27. Octobris.
S. Otterani, Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Die 29. Octobris.

S. Colmani, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Die 3. Novembris.

S. Malachiæ, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut beáti Malachíæ, Confessóris tui atque Pontíficis, adjuvémur méritis, cujus instrúimur exémplis. Per Dñm.

Comm. Octavæ OO. Sanctorum, ut in Missali. **Credo** ratione Octavæ.

Die 12. Novembris.

S. Livini, Episc. et Mart.

Missa. **Státuit.** de Communi unius Mart. Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui sanctórum Mártyrum mérita pretiosíssimo Fílii tui sánguine dedicásti: venerándum natális diem beáti Livíni, Mártyris tui atque Pontíficis, honorántes propítius intuére; et iísdem incolumitátem, pacem, ac tandem vultus tui hilaritátem sine fine concéde. Per eúmdem Dóminum.

Die 13. Novembris.

S. Stanislai Kostkæ, Conf.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 14. Novembris.

S. Laurentii, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Lauréntium, Confessórem tuum atque Pontíficem, innúmeris decorásti miráculis: tríbue nobis; ut ejus méritis et intercessióne, medélam córporum, et salútem animárum cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Die 24. Novembris.

S. Columbani, Abbatis.

Missa. **Os justi.** de Coñuni Abbat. cum commem. S. Chrysogoni Mart. ut in Missali eadem die.

Eadem Die.

S. Colmani, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Die 27. Novembris.

S. Virgilii, Episc. et Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 26. Decembris 1887.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.



MISSÆ
PATRONORUM ET FESTORUM PROPRIORUM
POLONIÆ ET SUECIÆ,
ITEM
RUSSIÆ, ET DUCATUS SILESIÆ.

Die 4. Decembris.

S. Barbaræ Virg. Mart. P. R. P.

Duplex.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. Mart. 1. loco, cum Oratione propria.

Oratio.

Intercéssio, quæsumus Dómine, beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ ab omni nos adversitáte prótegat: ut per ejus intervéntum gloriosíssimum sacrosáncti Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi sacraméntum ante diem éxitus nostri per veram pœniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur. Qui tecum vivit.

Commemoratio Feriæ Adventus.

Die 10. Decembris.

Translationis

Almæ Domus Lauretanæ.

Duplex majus.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis, eadem die.

Die 18. Decembris.

Exspectat. Partus B. M. V.

Duplex majus.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis, eadem die.

Die 26. Decembris.

S. Stephani Protomartyris.

Fit Comem. omnium Ss. Martyrum cum Orationibus ut infra.

In Archidiœcesibus Gnesnensi et Posnaniensi, Leopoliensi et aliis.

Oratio.

Deus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum: réspice ad preces humilitátis nostræ: ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Súscipe, quæsumus Dómine, et sanctífica hoc sacrifícium pópuli tui: ut quod in honórem beatórum Mártyrum tuórum offértur ad glóriam, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut non désinant Sancti tui pro nostris tibi supplicáre peccátis, a quibus voluísti pro peccatóribus exorári. Per Dóminum.

Aliis locis.

Oratio.

Deus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum: réspice ad preces humilitátis nostræ: ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Adésto Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deférimus: ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Quǽsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Alicubi.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum comemoratióne lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dñm.

Secreta.

Oblátis, quǽsumus Dómine, placáre munéribus: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Alia Commemoratio.

Oratio.

Deus, qui nos concédis ómnium sanctórum Mártyrum tuórum comemoratiónem cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum Mártyrum tuórum tibi grata sint honóre, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta nobis, quǽsumus Dómine, intercedéntibus ómnibus sanctis Martýribus tuis: ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 16. Januarii.

Ss. Berardi et Soc. Martyrum.

(Pro Diœcesi Mohiloviensi.)

Duplex.

Missa. Intret in conspéctu tuo. de Communi plurim. Mart.

Die 19. Januarii.

S. Henrici Episc. et Mart. P. R. S.

Duplex

(alicubi duplex 1. classis cum Octava).

Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. præter Orationem.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beáto Henríco, Mártyri tuo atque Pontífici, glorióso triúmpho martýrii largítus es palmam: ejus, quǽsumus, méritis et précibus grátiam nobis largiáris et glóriam. Per Dóminum.

Die 23. Januarii.

Desponsationis B. Mariæ V.

Duplex majus.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis, eadem die.

Eadem Die.

S. Ildefonsi Episcopi, Conf. et Ecclesiæ Doctoris.

Duplex.

Missa. In médio Ecclésiæ. de Communi Doctorum.

Oratio.

Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui matrem beátum Ildefónsum, Confessórem tuum atque Pontíficem, misso de thesaúris cœléstibus múnere decorásti: concéde propítius; ut per ejus preces et mérita múnera capiámus ætérna. Per eúmdem Dóminum.

Et dicitur Credo.

Secreta.

Sancti Ildefónsi, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, præsta: ut beáti Ildefónsi, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

Eadem Die.

Sancti Joannis Eleemosynarii, Episcopi et Confessoris.

Duplex.

Introitus. Ps. 131.



Acerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui.

Ps. ibid. Meménto Dómine David, et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem, Confessórem Pontíficem tuum, sanctárum Eleemosynárum erogatórem constituísti, donísque temporálibus cumulátum, ad paúperum tuórum consolatiónem, defícere numquam permisísti: concéde propítius; ut cujus mérita hodiérna die recólimus, ejus imitatióne præséntium, futurorúmque bonórum dona, te adjuvánte cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Alicubi dicitur Oratio Exaúdi, quæsumus Dómine. ex Missa Sacerdótes tui. de Communi Confess. Pont. secundo loco.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 7.

Fratres: Plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cœlis factus:

qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus Dóminus noster.

Graduale. Ps. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.
℣. Illuc prodúcam cornu David, parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja.
℣. Ps. 109. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.
℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur

Allelúja, allelúja.
℣. Ps. 109. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.
℣. Eccli. 45. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.


Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Estóte misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est. Nolíte judicáre, et non judicabímini: nolíte condemnáre, et non condemnabímini. Dimíttite, et dimittémini. Date, et dábitur vobis: mensúram bonam, et confértam, et coagitátam, et supereffluéntem dabunt in sinum vestrum. Eádem quippe mensúra, qua mensi fuéritis, remetiétur vobis. Dicébat autem illis et similitúdinem: Numquid potest cæcus cæcum dúcere? nonne ambo in fóveam cadunt? Non est discípulus super magístrum: perféctus autem omnis erit, si sit sicut magíster ejus. Quid autem vides festúcam in óculo fratris tui, trabem autem, quæ in óculo tuo est, non consíderas? Aut quómodo potes dícere fratri tuo: Frater, sine, ejíciam festúcam de óculo tuo, ipse in óculo tuo trabem non videns? Hypócrita, éjice primum trabem de óculo tuo: et tunc perspícies, ut edúcas festúcam de óculo fratris tui.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Sancti Joánnis, Confessóris tui atque Pontíficis, quǽsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, præsta: ut beáti Joánnis, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Die 24. Januarii.
Translationis **S. Erici** Regis Martyris, P. R. S.
Duplex.
Missa. **In virtúte tua.** de Comuni unius Mart. non Pont. præter sequ.
Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beáti Eríci, Mártyris tui translatiónem cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum.** Matth. 16. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Die 1. Februarii.
S. Brigidæ Virginis, P. R. P.
Duplex.
Missa. **Dilexísti.** de Comm. Virg. tantum, præter Orationes.
Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui es sanctárum glória vírginum: cleméntiam tuam súpplices exorámus; ut, per mérita beátæ Vírginis tuæ Brígidæ, opportúnum tuæ pietátis auxílium sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Múnera tibi Dómine dicáta sanctífica: et intercedénte beáta Brígida Vírgine tua, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Satiásti Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus quæsumus semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 3. Februarii.
S. Blasii Episcopi et Mart.
Duplex.
Missa. **Gaudeámus.** ut inter Festa pro aliqu. locis, eadem die.

Die 4. Februarii.
S. Ansgarii Ep. et Conf. P. R. S.
Duplex.
Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis, præter Orationem.
Oratio.

Exaúdi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Ansgárii, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dñm.

Die 5. Februarii.
Ss. Martyrum Japonensium
Pauli Michi, Joannis de Goto et **Jacobi Chisai** Soc. Jesu.
Duplex.

Introitus. Hebr. 12.

PEr patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui propósito sibi gaúdio sustínuit crucem, confusióne contémpta.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui primítias fídei apud Japóniæ gentes sanctórum Mártyrum tuórum Pauli, Joánnis et Jacóbi sánguine confirmásti: concéde propítius; ut ad tui nóminis confessiónem, quorum excitámur exémplis, eórum précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Galat. 6. d.

Fratres: Mihi autem absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit; ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto.

Graduale. 1. Cor. 2. Nos autem prædicámus Christum crucifíxum: Judǽis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam.
℣. Non enim me judicávi scire áliud inter vos, nisi Jesum, et hunc crucifíxum.

Allelúja, allelúja.
℣. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrimis, in gaúdio metent.
℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua.
℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 16. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Gal. 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis.

Secreta.

Da, quǽsumus Dómine: ut incruéntum crucis sacrifícium recoléntes, crucem nostram tollámus, ac sequámur unigénitum Fílium tuum, quem gloriósi Mártyres Paulus, Joánnes et Jacóbus moriéntes in cruce conféssi sunt. Per eúmdem Dóminum.

Communio. Gal. 2. Christo confíxus sum cruci: vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.

Postcommunio.

Inhǽreat méntibus nostris, quǽsumus Dómine, crucis mystérium: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Paulo, Joánne et Jacóbo, salutárem in nobis operétur efféctum. Per Dóminum.

Die 6. Februarii.

S. Dorotheæ Virg. et Mart. P. R. P.

Duplex.

Missa. Me exspectavérunt. de Com̃. Virg. Mart. secundo loco.

Eadem Die Romæ,

(alibi vero prima die libera).

S. Titi Episcopi et Confessoris.

Duplex.

Missa ut in Missali die 6. Februarii.

Die 9. Februarii.

S. Apolloniæ Virg. Mart. P. R. P.

Duplex.

Missa. Loquébar. de Communi Virg. et Mart. primo loco.

Eadem Die.

(Alicubi die 15. Februarii.)

Sancti Severini Abbatis.

Duplex.

Missa. Os justi. de Com̃. Abbatum.

Die 11. Februarii.

S. Theobaldi Confessoris.

Duplex.

(Pro Archidiœcesi Mohiloviensi.)

Missa. Os justi. de Com̃uni Confessoris non Pontificis.

Eadem Die.

Bb. Septem Fundatorum

Ordinis Servorum B. M. V.

Duplex.

(Pro Diœcesi Tarnoviensi et aliis.)

Missa. Justi decantavérunt. ut in Missali eadem die.

Die 13. Februarii.

S. Catharinæ de Riccis Virg.

Duplex.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virginum, præter Orationem propriam.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátam Catharínam Vírginem tuo amóre succénsam Passiónis contemplatióne claréscere voluísti: ejus intercessióne concéde: ut, Passiónis mystéria devóte recoléntes, ejus fructum percípere mereámur. Qui vivis et regnas.

Die 19. Februarii.

S. Conradi Placentini Conf.

Semiduplex.

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pont.

Evangelium. Ecce nos relíquimus ómnia. de Comm. Abbatum.

Die 20. Februarii.

(Alicubi die 28. vel alio die.)

Ss. Reliquiarum,

quæ in Ecclesiis asservantur.

Duplex majus.

Introitus. Ps. 33.

MUltæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. Ps. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

In Quadragesima fit com̃emoratio Feriæ occurrentis.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 44.

HI viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum, et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Graduale. Ps. 149. **Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis.**

℣. Ps. ibid. **Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in Ecclésia sanctórum.**

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 67. **Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei, et delecténtur in lætítia. Allelúja.**

Post Septuagesimam, omissis **Allelúja**, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 125. **Qui séminant in lácrimis, in gaúdio metent.**

℣. **Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua.**

℣. **Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6. c.

IN illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis; qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti paúperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Credo.

Offertorium. Ps. 67. **Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.**

Secreta.

Implorámus, Dómine, cleméntiam tuam, ut Sanctórum tuórum, quorum relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum.

Communio. Ps. 32. **Gaudéte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.**

Postcommunio.

Multíplica super nos, quǽsumus Dómine, per hæc sancta, quæ súmpsimus, misericórdiam tuam: ut sicut in tuórum solemnitáte Sanctórum, quorum relíquias cólimus, pia devotióne lætámur, ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Die 21. Februarii.

(Alicubi die 23. Maji.)

B. Andreæ Bobolæ Martyris.

Semiduplex.

Missa. Lætábitur. de Com̃. unius Mart. non Pont. secundo loco cum Orationibus ut infra.

Sed si alicubi celebretur Tempore Paschali, erit Missa Protexísti. de Com̃uni Martyrum Temp. Pasch. cum iisdem Orationibus ut infra.

Oratio.

Deus, qui in confessióne veræ fídei beátum Andréam, multíplici suppliciórum génere excruciátum, illústri martýrio coronásti: præsta, quǽsumus; ut nos in eádem fide stábiles, advérsa pótius ómnia, quam ánimæ detriméntum patiámur. Per Dóminum.

Secreta.

Offérimus tibi, Dómine, hóstiam immaculátam Unigéniti Fílii tui eníxe deprecántes, ut quæ pro salúte nostra humíliter pétimus, beáti Andréæ Mártyris tui précibus et intercessióne consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Dum hæc sancta, Dómine, in honórem beáti Andréæ Mártyris tui de altári libávimus: concéde propítius; ut cujus exémplis instrúimur, invíctam constántiam imitémur. Per Dóminum.

Die 25. Februarii.

(Vel anno bissextili 26. Februarii.)

S. Sigfridi Episc. et Conf. P. R. S.

Duplex.

(Alicubi duplex 2. classis, alicubi etiam cum Octava.)

Missa. Státuit. de Com̃uni Conf. Pont., cum Oratione propria.

Oratio.

Deus, qui beátum Sigfrídum, Confessórem tuum, evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti: præsta, quǽsumus; ut et doctrína ejus erudiámur et précibus adjuvémur. Per Dóminum.

FESTA MOBILIA

DE PASSIONE DOMINI.

Feria III.

post Dominicam Septuagesimæ.

Orationis D. N. J. Chr.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Feria III.

post Dominicam Sexagesimæ.

In Commemoratione

Ss. Passionis D. N. Jesu Chr.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Feria VI. post Cineres.

Sacrat. Spineæ Coronæ D. N. J. Chr.

Duplex majus.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Feria VI.

post Dominicam I. Quadrag.

Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. Chr.

Duplex majus.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Feria VI.

post Dominicam II. Quadrag.

Sacrat. Sindonis D. N. J. Chr.

Duplex majus.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Feria VI.
post Dominicam III. Quadrages.
Sacr. Quinque Vulnerum D. N. J. Chr.
Duplex majus.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Feria VI.
post Dominicam IV. Quadrag.
Pretios. Sanguinis D. N. J. C.
Duplex majus.

Missa ut in Missali Domin. I. Julii. Et fit com̃. Feriæ et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Die 1. Martii.
S. Albini Conf. Pont. P. R. P.
Duplex.
(In Archidiœcesi Gnesnensi.)

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pontificis.

Oratio.

Votíva, quǽsumus Dómine, nos beáti Albíni Confessóris tui atque Pontíficis natalítia restaúrent, et ad omne bonum tua grátia fáciant propensióres. Per Dóminum.

Et fit Com̃emoratio Feriæ in Quadragesima, et legitur ejus Evangelium in fine.

Die 2. Martii.
S. Helenæ Imper. Viduæ, P. R. P.
Duplex.

Introitus. Gal. 6.

Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Ps. 22. Virga tua et báculus tuus, ipsa me consoláta sunt.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui locum, ubi crux tua latébat, beátæ Hélenæ revelásti, ut per eam Ecclésiam tuam hoc pretióso thesaúro ditáres: ejus nobis intercessióne concéde; ut vitális ligni prétio, ætérnæ vitæ prǽmia consequámur: Qui vivis et regnas.

In Quadragesima fit Commemoratio Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prov. 31.

Mulíerem fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam, et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit, quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananǽo. Fortitúdo,

et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis, fíliæ Regum in honóre tuo.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia, et exsultatióne, adducéntur in templum Regis.

Tractus. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem, proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 13.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consumatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexísti hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Offertorium. Non enim judicávi me scire áliud nisi Jesum Christum et hunc Crucifíxum.

Secreta.

Per hæc sacra mystéria concéde nobis, Dómine, ut sicut beátæ Hélenæ misericórditer tribuísti, ut Fílium tuum Crucifíxum in corde semper gestáret: ita et nos eum in córdibus nostris perpétuo deferámus. Per eúmdem Dóminum.

In Quadragesima Cõmem. Feriæ, et Præfatio Quadragesimalis.

Communio. Ascéndam in palmam et apprehéndam fructus ejus.

Postcommunio.

Concéde nobis, miséricors Deus, ut qui salutíferæ Crucis tuæ fructu in terra sumus recreáti, per intercessiónem beátæ Hélenæ eódem júgiter pérfrui mereámur in cœlis: Qui vivis et regnas.

In Quadragesima Cõmemoratio et ultimum Evangelium Feriæ.



Die 4. Martii.

S. Casimiri Confess. P. R. P. et M. Duc. Lith.

In Diœcesi Gnesnensi et Posnaniensi Duplex ii. classis.
(Vilnæ, et alicubi Duplex i. classis cum Octava privilegiata etiam in Quadrag.)

Introitus. Ps. 36.

S justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.
Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui inter regáles delícias, et mundi illécebras sanctum Casimírum virtúte constántiæ roborásti: quǽsumus; ut ejus intercessióne fidéles tui terréna despíciant, et ad cœléstia semper adspírent. Per Dóminum.

In Quadrag. Oratio secunda Feriæ.
Et fit Comemoratio S. Lucii Papæ et Martyris, si est facienda, in Missa privata tantum.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Lúcii, Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.
℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.
Allelúja, allelúja.
℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur
Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.
℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:
Allelúja, allelúja.
℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.
℣. Eccli. 45. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12. e.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum

suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti: quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Pro S. Lucio. Secreta.

Múnera tibi Dómine dicáta sanctífica: et intercedénte beáto Lúcio, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Comunio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Reficti cibo, potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Pro S. Lucio. Postcomunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedénte beáto Lúcio, Mártyre tuo atque Pontífice, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

In Quadragesima ultimum Evang. Feriæ.

Die 5. Martii.
Translationis
S. Wenceslai Mart. P. R. P.
Duplex.

Introitus. Ps. 63.


Ætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde.

Ps. ibid. Exáudi Deus oratiónem meam, cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáti Wenceslái nobilitátem in melióorem mutásti dignitátem, et eum per Martýrii palmam ad cœléstem perduxísti glóriam: ejus précibus nos, quǽsumus, ab omni adversitáte líbera, et ætérnæ beatitúdinis concéde pérfrui glória. Per Dóminum.

In Quadragesima Comem. Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.
1. Petri 4. c.

Caríssimi: Comunicántes Christi passiónibus gaudéte: ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur,

aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut christiánus, non erubéscat: gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius, et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri commméndent ánimas suas in benefáctis.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam.
℣. Tota die miserétur, et cōmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.
℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndū Matthǽum. Matth. 16. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei.

Secreta.

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum nostrum.

In Quadragesima Cōmem. Feriæ.

Cōmunio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Wenceslǎo Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

In Quadragesima Cōmemoratio et ultimum Evang. Feriæ.

Die 13. Martii.

(Alicubi alia die, vel Domin. II. Octobris.)

S. Vincentii Kadlubek

Episc. et Conf. P. R. P.

Pro Diœcesi Gnesnensi et Posnaniensi.

Duplex.

Missa. Státuit. de Cōm. Conf. Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Vincéntium, Confessórem tuum atque Pontíficem, spretis sǽculi pompis humilitátis glória decorásti: præsta quǽsumus; ut tantæ virtútis proficiéntes exémplo ejus méritis cœléstis glóriæ consórtes efficiámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Cōmemoratio Feriæ, et ejus Evangelium in fine.

Eadem Die.

S. Catharinæ Bononiensis

Virginis, P. R. P.

Semiduplex. (Alicubi Duplex.)

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.

Oratio.

Concéde nos fámulos tuos Deus, beátæ Catharínæ Vírginis suffrágiis adjuvári, cujus odóre unguentórum tráhimur ad tua sancta lætántes. Per Dóminum.

Comemoratio Feriæ, et ejus Evangelium in fine.

Die 17. Martii.

S. Gertrudis Virginis, P. R. P.

Duplex. (In Archidiœcesi Gnesnensi et Posnaniensi Semiduplex.)

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.

Oratio.

Indulgéntiam tuam nobis, Dómine, beáta Gertrúdis Virgo implóret: quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

In Quadragesima fit Comemoratio Feriæ.

Die 18. Martii.

S. Alexandri Ep. et Mart. P. D. S.

(Pro Diœcesi Samogitiæ.)

Duplex I. cl., cum Octava privilegiata etiam in Quadragesima.

Missa. Státuit. de Communi Mart. Pont. 1. loco. et dicitur Credo.

Eadem Die.

S. Gabrielis Archangeli.

(Leopoli. Lublini. Podoliæ, Samogidiæ, et aliis locis.)

Duplex majus.

Missa. Benedícite. ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 22. Martii.

S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ

Virginis. Duplex.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart. præter Orat.

Oratio.

Deus, qui beátam Catharínam in contemplánda Fílii tui passióne, divíni amóris igne flagráre fecísti: quæsumus; ut ipsa intercedénte, tuæ in nobis flammam caritátis accéndas, et ejúsdem passiónis partícipes dignánter effícias. Per eúmdem Dóminum.

In Quadragesima Commemoratio et ultimum Evang. Feriæ.

Die 23. Martii.

(Alicubi die 22.)

S. Catharinæ Vastanensis

Virginis, P. R. S.

Duplex.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. præter Orationem et Evang.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beátæ Catharínæ Vírginis præcláris décoras méritis, et gloriósis lætíficas miráculis: concéde nobis fámulis tuis; ut et exémplis ejus in mélius reformémur, et patrocínio ab ómnibus advérsis protegámur. Per Dóminum nostrum.

In Quadragesima Commemoratio et ultimum Evang. Feriæ.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 19.

IN illo témpore: Accessérunt ad Jesum pharisǽi tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Qui respóndens, ait eis: Non legístis, quia qui fecit hóminem ab inítio, másculum et fémi-

nam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimíttet homo patrem, et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Móyses mandávit dare libéllum repúdii, et dimíttere? Ait illis: Quóniam Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras: ab inítio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, et áliam dúxerit, mœchátur: et qui dimíssam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt: et sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus: et sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cœlórum. Qui potest cápere, cápiat.

Dominica II. post Pascha.

Ss. Sepulchri D. N. J. Chr.

Duplex.

Introitus. Isai. 2.

IN die illa erit radix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur, allelúja. Et erit Sepúlchrum ejus gloriósum: allelúja, allelúja.
Ps. 45. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in Sepúlchro depósitus, tértia die resúrgere voluísti, concéde fámulis tuis; ut qui Sepúlchri tui memóriam recólimus, resurrectiónis tuæ partícipes esse mereámur: Qui vivis.

Commemoratio Dominicæ.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. 13.

IN diébus illis: Surgens Paulus, et manu siléntium indícens, ait: Viri, fratres, fílii géneris Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salútis hujus missum est. Qui enim habitábant Jerúsalem et príncipes ejus, ignorántes Jesum, et voces Prophetárum, quæ per omne Sábbatum legúntur, judicántes implevérunt: et nullam causam mortis inveniéntes in eo, petiérunt a Piláto, ut interfícerent eum. Cumque consummássent ómnia, quæ de eo scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto. Deus vero suscitávit eum a mórtuis tértia die: qui visus est per dies multos his, qui simul ascénderant cum eo de Galilǽa in Jerúsalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

Allelúja, allelúja.
℣. Qui exspéctant mortem, et non venit, quasi effodiéntes thesaúrum: gaudéntque veheménter, cum invénerint Sepúlchrum. Allelúja.
℣. Currébant duo simul, et ille álius discípulus præcucúrrit cítius Petro, et venit primus ad monuméntum: allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 24.

IN illo témpore: Una Sábbati valde dilúculo venérunt mulíeres ad monuméntum, portántes quæ paráverant arómata: et invenérunt

lápidem revolútum a monuménto, et ingréssæ non invenérunt corpus Dómini Jesu. Et factum est, dum mente consternátæ essent de isto, ecce duo viri stetérunt secus illas in veste fulgénti. Cum timérent autem, et declinárent vultum in terram, dixérunt ad illas: Quid quǽritis vivéntem cum mórtuis? Non est hic, sed surréxit: recordámini quáliter locútus est vobis, cum adhuc in Galilǽa esset, dicens: Quia opórtet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum et crucifígi, et die tértia resúrgere. Et recordátæ sunt verbórum ejus. Et regréssæ a monuménto, nuntiavérunt hæc ómnia illis úndecim, et céteris ómnibus. Erat autem María Magdaléne, et Joánna, et María Jacóbi, et céteræ, quæ cum eis erant, quæ dicébant ad Apóstolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliraméntum verba ista: et non credidérunt illis. Petrus autem surgens, cucúrrit ad monuméntum, et procúmbens vidit linteámina sola pósita, et ábiit secum mirans, quod factum fúerat. Credo.

Offertorium. Ps. 41. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis usque ad domum Dei, allelúja.

Secreta.

Deus, qui per depositiónem Sanctíssimi Córporis Fílii tui in Sepúlchro, idem Sepúlchrum sanctificásti: concéde, quǽsumus; ut in hoc Sepúlchro ánima et corde habitémus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ.

Præfatio paschalis. Te quidem.

Communio. Sap. 9. Beátus, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei: allelúja.

Postcommunio.

Deus, qui nos sancti Sepúlchri Fílii tui lætári facis honóre: præsta quǽsumus; ut in eódem sepúlti, mundo moriámur, et tibi soli vivámus. Per eúmdem Dóminum.

Commemoratio et ultimum Evangelium Dominicæ.

Die 23. Aprilis.

S. Adalberti Ep. et Mart. P.R.P.

Duplex 1. classis cum Octava.

Introitus. Ps. 63.



Rotexísti me Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem: allelúja, allelúja.

Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam, cum déprecor; a timóre inimíci éripe ánimam meam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Tuam nobis indulgéntiam, quǽsumus Dómine, beátus Adalbértus, Epíscopus et Martyr, implóret: ut et delícta nobis cleménter ignóscas, et benefícia desideráta concédas. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 5.

Fratres: Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fíe-

ret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Allelúja, allelúja.

℣. Surréxit pastor bonus, qui pósuit ánimam suam pro óvibus suis, et pro grege suo mori dignátus est: allelúja. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso: allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus; et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli; et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Credo. Et dicitur per Octavam.

Offertorium. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Sacrifícium exhíbitum, quǽsumus Dómine, benígnus assúme: ut quod nómini tuo in solemnitáte beáti Adalbérti, Mártyris tui atque Pontíficis, deférimus, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Communio. Joann. 10. Ego sum pastor bonus, allelúja: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ: allelúja, allelúja.

Postcommunio.

Reficti, Dómine, munéribus sacris, súpplices te deprecámur: ut indulgéntiam tuam nobis intercéssio beáti Adalbérti, Mártyris tui atque Pontíficis, semper implóret. Per Dóminum.

Die 24. Aprilis.
(Alicubi alia die.)

S. Georgii Mart. P. R. P. et M. D. Lith.

Duplex, alicubi semiduplex, in Diœcesi Augustoviensi duplex 1. cl. cum Oct.

Omnia ut in Missali Romano die 23. Aprilis.

Die 2. Maji.

S. Sigismundi Reg. et M. P.R.P.

Duplex in Diœcesi Plocensi, alicubi Simplex, et sola Comemoratio cum Orationibus ut infra.

Missa. Protexísti. de Com̃. Mart. tempore Paschali, præter Orat.

Oratio.

Deus, qui beátum Sigismúndum Regem utróque diadémate temporáli scílicet et ætérno, cum desideráta palma martýrii honoráre dignátus es, et ejus relíquias ex profúndo gúrgite aquárum, ad celebrándum fidélibus revelásti: tríbue, quǽsumus; ut qui ejus mérita venerámur, ipsíus intercessiónibus ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Secreta.

Concéde, quǽsumus Rex ætérne: ut hujus sacrifícii munus oblátum, interventu sancti Sigismúndi, Regis et Mártyris, fragilitátem no-

stram ab omni adversitáte semper prótegat et múniat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Puríficent nos, quǽsumus Rex ætérne, tua percépta sacraménta: et intercessióne beáti Sigismúndi, Regis et Mártyris tui, ab omni malo expiátos, tibi nos reddant accéptos. Per Dóminum.

Die 4. Maji.

S. Floriani Martyris, P. R. P.

Duplex majus.

Missa. Protexísti. de Com. Mart. temp. Pasch., cum his Orationibus.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Floriáni Mártyris tui solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus gloriósum triúmphum venerámur in terris, societátis ejus lætítiam adipísci mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Hanc oblatiónis hóstiam, quǽsumus omnípotens Deus, beáti Floriáni Mártyris tui digna comméndet orátio: qui sancto caritátis tuæ devíctus amóre, própriam sui córporis hóstiam in odórem suavitátis tibi óbtulit vivam. Per Dñm.

Postcommunio.

Sancta nos, quǽsumus Dómine, sacraménti cœléstis participátio et ab hóstium cállido tueátur incúrsu, et sancto Floriáno intercedénte, nobis remédia salútis cónferat sempitérna. Per Dóminum.

Si hoc festum transferri contingat extra tempus pasch., Missa erit In virtúte. de Comm. unius Mart. extra temp. pasch. cum Orat. ut supra et Evangel. Si quis venit. ex Missa. Státuit. de Com. unius Mart. Pont. 1. loco.

Die 8. Maji.

S. Stanislai Ep. Mart. P. R. P.

Duplex 1. classis cum Octava.

Introitus. Ps. 63.



Rotexísti me Deus a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam, cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit: præsta, quǽsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 5.

Fratres: Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem: sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Allelúja, allelúja.

℣. Surréxit pastor bonus, qui pósuit ánimam suam pro óvibus suis,

et pro grege suo mori dignátus est. Allelúja. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 10. c.

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius est: et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient: et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Credo. Et dicitur per Octavam.

Offertorium. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et intercedénte beáto Stanisláo, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio. Joann. 10. Ego sum pastor bonus, allelúja: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ, allelúja, allelúja.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedénte beáto Stanisláo, Mártyre tuo atque Pontífice, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dñm.

Si hoc Festum celebrari contigerit extra temp. Paschale, Introitus Missæ erit Státuit ei Dóminus. de Communi unius Mart. Pont. 1. loco, et Graduale Invéni David. ibidem. Reliqua omnia dicuntur ut supra, omissis Allelúja ad Offertorium et Communionem.

℥ Alicubi in Festo S. Stanislai dicitur Missa Protexísti. de Comuni Mart. tempore Pasch., ut in Missali Romano, cum Orationibus ut supra.

Die 13. Maji.

S. Servatii Ep. Conf. P. R. P.

In Diœcesi Gnesnensi, Leopoliensi, Premisliensi, Calissiensi, Lublinensi, aliis. Duplex.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo sanctum dedísti Servátium prædicatórem: concéde, quǽsumus; ut nos tanti Pontíficis intercessióne, et tuæ pietátis defensióne, ab ómnibus ubíque liberémur advérsis, et tranquílla prosperitáte, in tua júgiter laude lætémur. Per Dóminum.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 15.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit: mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et

fiet vobis. In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis, et efficiámini mei discípuli. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gaúdium meum in vobis sit, et gaúdium vestrum impleátur.

Credo. propter Octav. S. Stanislai.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Duplex.

In Archidiœcesi Leopoliensi ex decreto S. R. C. 24. Septembris 1857 concessa est hæc Missa.

Missa. **Dedit mihi.** ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die 2. loco.

Aliis locis.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die 1. loco.

Die 18. Maji.

S. Erici Regis et Mart. P. R. S.

Duplex.

(In Diœcesi Augustoviensi et Vilnensi duplex 1. classis cum Octava.)

Introitus. Ps. 63.

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja.

Ps. ibid. **Exaúdi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui beáto Eríco, Regi et Mártyri tuo, victóriæ palmam et cœléstis regni glóriam contulísti: fac nos, quæsumus, ejus méritis et intercessióne cuncta nobis adversántia víncere, et corónam glóriæ in cœlis felíciter obtinére. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 5.

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 88. **Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja.**

℣. Ps. 20. **Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 15.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit: mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis. In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferá-

tis, et efficiámini mei discípuli. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gaúdium meum in vobis sit, et gaúdium vestrum impleátur.

Offertorium. Ps. 88. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta.

Munéribus nostris, quǽsumus Dómine, precibúsque suscéptis, et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Communio. Ps. 63. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Postcommunio.

Da, quǽsumus Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

℟ Si transferatur extra tempus paschale, dicitur Missa, ut in Festo Translationis, die 24. Januarii, cum Oratione ut supra.

Die 23. Maji.
(Alicubi die 21. Februarii.)

S. Andreæ Bobolæ Martyris, Societatis Jesu.

Semiduplex.

Missa ut die 21. Febr. fol. 9*.



Die 24. Maji.

Beatæ Mariæ Virginis
Titulo
Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Ultimo Sabbato mensis Maji.

Purissimi Cordis B. M. Virg.

Duplex majus.

Missa votiva de S. Maria, Salve sancta parens. Et dicitur Credo, et Præf. de B. M. V. Et te in Festivitáte.

In aliqu. locis ex indulto dicitur Missa. Omnis glória. ut inter Festa pro aliqu. locis Dom. III. post Pent.

Dominica III. post Pentecosten.
(alicubi die 1. Junii.)

B. Jacobi de Strepa Ep. Conf.
P. R. P.

Leopoli Duplex 1. classis, et in Ecclesia Cathedrali etiam cum Octava.
Alibi Duplex majus, vel Duplex.

Introitus. Isai. 61.



Píritus Dómini super me, eo quod únxerit Dóminus me: ad añuntiándum mansuétis misit me. Ps. 131. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in beáto Jacóbo, Confessóre tuo atque Pontífice, apostólicum evangelizándi spíritum mirabíliter renovásti: præsta quǽsumus; ut ipso intercedénte, fide ac móribus tibi júgiter adhæreámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Phil. 1.

Grátias ago Deo meo in omni memória vestri, semper in

cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaúdio deprecatiónem fáciens, super comunicatióne vestra in Evangélio Christi, a prima die usque nunc. Confídens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis: eo quod hábeam vos in corde, et in vínculis meis, et in defensióne, et confirmatióne Evangélii, sócios gaúdii mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia, et in omni sensu: ut probétis potióra, ut sitis sincéri, et sine offénsa in diem Christi repléti fructu justítiæ per Jesum Christum in glóriam et laudem Dei.

Graduale. Eccl. 44. Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

℣. Hic est Sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius est: et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient: et fiet unum ovíle, et unus pastor.

In Ecclesia Cathed. Leopol. Credo per Octavam.

Offertorium. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi, ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Secreta.

Tua quǽsumus Dómine múnera illas in nobis puríssimi amóris flamas éxcitent, quibus beátus Jacóbus éadem offeréndo tantópere flagrábat. Per Dóminum.

Communio. Matth. 10. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta.

Postcommunio.

Perseveret in córdibus nostris, piíssime Deus, percépti grátia Sacraménti: ut ea roboráti, beáti Jacóbi exémplo, et hostes víncere, et incorruptíbilem glóriæ corónam ássequi valeámus. Per Dóminum.

Die 3. Junii.

S. Erasmi Episc. Mart. P. R. P.

Duplex.

Extra tempus Paschale. Missa. Sacerdótes. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco. Temp. Pasch. Missa. Protexísti. de Comm. unius Mart. tempore Paschali. Orationes vero ut infra.

Oratio.

Deus, cujus virtúte beátus Erásmus, Martyr et Póntifex, multa tormentórum génera superávit: fac nos, quǽsumus, ejus intercessióne, univérsas insídias inimicórum nostrórum visibílium, et invisibílium cum gaúdio superáre, et in Christo bonis opéribus abundáre. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera tibi Dómine dicáta sanctífica: et intercedénte beáto Erásmo, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus Dómine Deus noster; ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Erásmo, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus effectum. Per Dóminum nostrum.

Die 12. Junii.

In Archidiœcesibus Gnesnensi et Posnaniensi die 15. Junii sedes propria.

S. Æschili Episc. Mart. P. R. S.

Duplex.

(In Diœcesi Augustoviensi, Minscensi, Samogitiensi, Vilnensi, duplex 2. cl. cum Octava.)

Missa. Sacerdótes. de Com̃. unius Mart. Pont. 2. loco, præter Orationem et Evangelium.

Oratio.

Deus, qui beátum Æschílum Pontíficem tuum, pro fídei dilatatióne martýrium subíre voluísti: præsta quǽsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur effectum. Per Dóminum.

Et fit Com̃em. Ss. Mm. Basilidis etc. ut in Missali sub hac die, alicubi in Missa privata tantum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 10. c.

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Die 16. Junii.

S. Bennonis Ep. Conf. P. R. P.

Duplex.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Bennónis Pontíficis confessióne gloriósa circúmdas, et prótegis: da nobis et ejus imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum.

Die 17. Junii.

B. Jolentæ Ord. S. Claræ, Viduæ.

Duplex. (Cracoviæ.)

Missa. **Cognóvi.** de Com̃. nec Virg. nec Mart. præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátam Joléntam ab honóribus divitiísque misericórditer abstraxísti, et húmilem Fílii tui crucem et carnis mortificatiónem elígere fecísti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut terréna ómnia despiciámus, ac cœléstia sincéro corde quærámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Die 19. Junii.

S. Bonifacii Ep. Mart. P. R. P.

Semiduplex.

Missa. **Sacerdótes.** de Communi unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 20. Junii.

S. Alexandri Martyris.

Duplex.

(In Diœcesi Camenecensi — Podoliæ.)

Missa. **Lætábitur.** de Com̃. unius Mart. non Pont. 2. loco.

Die 27. Junii.

S. Ladislai Regis, Conf. P. R. P.

Duplex, alicubi duplex majus.

Missa ut in Missali pro Festo S. Ludovici Conf. die 25. Augusti, cum Oratione ut infra.

Oratio.

Deus, qui beátum Regem Ladisláum Confessórem tuum divérsis decorásti miráculis: præsta quæsumus; ut ejus suffragántibus méritis, ab ómnibus semper muniámur advérsis, et gaúdiis perfruámur ætérnis. Per Dóminum.

Die 29. Junii.

Ss. Apostol. Petri et Pauli

fit Com̃emoratio omnium Ss. Apostolorum Orationibus ut infra.

In Archidiœcesibus Gnesnensi, Posnaniensi et Leopoliensi.

Oratio.

Exaúdi nos, Deus salutáris noster: et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis: Qui vivis et regnas.

Secreta.

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam celebrántes, quæsumus; ut eámdem, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Quæsumus omnípotens Deus: ut fidéles tui venerándas assídue celebrántes sanctórum Apostolórum tuórum passiónes, et cópiam invéniant perpétuæ devotiónis, et salútis ætérnæ suffrágia majóra conquírant. Per Dóminum.

Aliis locis.

Oratio.

Da quæsumus, omnípotens Deus, ut beatórum Apostolórum, quam commemorámus, veneránda solémnitas et devotiónem nobis aúgeat, et salútem. Per Dóminum.

Secreta.

Apostólici reveréntia cúlminis offeréntes tibi sacra mystéria, Dómine quæsumus: ut beatórum Apostolórum tuórum suffrágiis, quorum com̃emoratiónem fácimus, plebs tua semper et sua vota deprómat, et desideráta percípiat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Sanctórum Apostolórum tuórum, quæsumus Dómine, supplicatióne placátus, et véniam nobis tríbue, et remédia sempitérna concéde. Per Dñm.

Alicubi.

Oratio.

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Secreta.

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerántes, quæsumus; ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus; ut intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Aliæ Orationes.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua Apostolórum tuórum comemoratióne lætíficas: præsta quæsumus; ut quorum gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera, Dómine, quæ pro Apostolórum tuórum commemoratióne deférimus, propítius súscipe: et mala ómnia, quæ merémur, avérte. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus Dómine salutáribus repléti mystériis; ut, quorum commemoratiónem celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Dominica post Octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

B. Joannis de Dukla Conf.

P. R. P.

Duplex 1. classis cum Octava.

Missa. **Justus ut palma.** de Communi Conf. non Pont. 2. loco cum Oratione propria.

Oratio.

Deus, qui beátum Joáñem Confessórem tuum exímiæ humilitátis et patiéntiæ donis decorásti: concéde propítius; ut ejúsdem imitántes exémpla, consequámur et prǽmia. Per Dóminum.

Et dicitur **Credo** per Octavam.

Die 3. Julii.

S. Æmilianæ Mart. P. D. S.

Duplex.

(In Diœcesi Samogitiensi.)

Missa. **Me exspectavérunt.** de Com̃. Martyris non Virginis.

Die 5. Julii.

Ss. Cyrilli et **Methodii** Pontificum et Confessorum.

Missa ut in Missali eadem die.

Eadem Die.

S. Michaëlis de Sanctis Conf.

Duplex.

(In Archidiœcesi Mohiloviensi.)

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.


Die 7. Julii.

S. Pulcheriæ Imper. Virg.

Duplex.

(In Diœcesi Tiraspolensi.)

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Dominica II. Julii.



Die 9. Julii.

(Alicubi die 11. Julii.)

Ss. Patronor. Regni Sueciæ.

Duplex.

Introitus.



Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Sanctórum ómnium, de quorum solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Infirmitátem nostram, quæsumus Dómine, propítius réspice: et mala ómnia, quæ pro peccátis nostris juste merémur, sanctórum tuórum hujus Regni Patronórum, intercessióne cleménter avérte. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 3.

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et æstimáta est afflíctio éxitus illórum; et quod a nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale. Ps. 33. Timéte Dóminum omnes Sancti ejus: quóniam nihil deest timéntibus eum.
℣. Inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono.

Allelúja, allelúja.
℣. Matth. 11. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos, allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 5.

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti paúperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt, et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti estis, cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos mentiéntes, propter me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis. Credo.

Offertorium. Sap. 3. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et

pro cunctórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dñm.

Comunio. Matth. 5. Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt: beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur: beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum.

Postcommunio.

Da, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur offício: ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Die 13. Julii.

S. Margaritæ Virg. Mart. P. R. P.

Duplex.

Missa. Me exspectavérunt. de Com. Virg. et Mart. 2. loco, cum sequentibus Orationibus.

Oratio.

Deus, qui beátam Margarítam Vírginem per martýrii palmam tui regni fecísti consórtem: concéde nobis quǽsumus; ut per ejus exémpla ad te perveníre mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Hæc víctima, quǽsumus Dómine, pro beátæ Margarítæ Vírginis obláta martýrio, et méntium nobis sanctitátem, et córporum obtíneat sanitátem. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Hujus, Dómine, sacraménti perceptióne, et beátæ Margarítæ Vírginis et Mártyris intercessióne, et tu in nobis manére dignáre, et nos in te vicíssim manére concéde: Qui vivis et regnas.

Die 15. Julii.

Divisionis Ss. Apostolorum.

Duplex majus.

Introitus. Ps. 138.

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Ps. ibid. Dómine probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam distribútam per orbem terrárum, sanctórum Apostolórum prædicatióne fundásti: concéde propítius; ut quorum hodiérna die sub una celebritáte recólimus insígnia, eórum in cunctis necessitátibus nostris experiámur suffrágia. Per Dóminum nostrum.

Pro Comem. S. Davidis, Abbatis, P. R. S.

Oratio.

Intercéssio nos, quǽsumus Dómine, beáti Davídis Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 2. d.

Fratres: Jam non estis hóspites, et ádvenæ: sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei: superædificáti super fundaméntum Apostolórum, et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu: in quo omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino: in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu sancto.

Graduale. Ps. 44. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui Dómine.

℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja.

℣. Joañ. 15. Ego vos elégi de mundo, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 9.

IN illo témpore: Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infírmos. Et ait ad illos: Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúmque domum intravéritis, ibi manéte, et inde ne exeátis. Et quicúmque non recéperint vos: exeúntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per castélla, evangelizántes et curántes ubíque. Credo.

Offertorium. Ps. 18. In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta.

GLóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam in eórum divisióne recenséntes, quæsumus; ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Pro S. Davide Abbate.

Secreta.

SAcris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus David Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de Apostolis. Te Dómine supplíciter.

Coñunio. Matth. 19. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

Postcommunio.

PErcéptis Dómine sacraméntis, supplíciter exorámus: ut intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus commemoratióne, nobis profíciant ad médelam. Per Dóminum.

Pro S. Davide Abbate.

Postcommunio.

PRótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus David Abbas, pro nobis intercedéndo, ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

Die 16. vel 17. Julii.

Ss. Andreæ et **Benedicti** Eremitarum Mart. PP. R. P.

Alicubi Duplex vel Semiduplex, alias Simplex.

Introitus. Eccli. 44.



SApiéntiam sanctórum narrent pópuli: et laudes eórum núntiet Ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Andréæ et Benedícti natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 6.

Fratres: Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ a dextris, et a sinístris, per glóriam, et ignobilitátem, per infámiam, et bonam famam, ut seductóres, et veráces; sicut qui ignóti, et cógniti: quasi moriéntes, et ecce vívimus: ut castigáti, et non mortificáti: quasi tristes, semper autem gaudéntes: sicut egéntes, multos autem locupletántes: tamquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes.

Graduale. Ps. 123. Anima nostra sicut passer, erépta est de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus: adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum et terram.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 76. Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei, et delecténtur in lætítia. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræ motus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur, tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári, quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in faúcibus eórum, allelúja.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Luc. 21. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Andréa et Benedícto: ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 18. Julii.

B. Simonis de Lipnica Conf.

P. R. P.

Duplex.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont. 2. loco, præter Orat.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Simónem Confessórem tuum evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti: concéde propítius; ut ejus salutáris doctrínæ pábulo nutríti, quæ tibi sunt plácita exsequéntes, per sémitas justítiæ ad cœléstem pátriam felíciter perveníre valeámus. Per Dóminum.

Comem. Ss. Symphorosæ et filiorum Mm. ut in Missali sub hac die.

Die 20. Julii.

B. Ceslai Conf. P. R. P.

Duplex.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, præter Orat. et Evang.

Oratio.

Deus, qui beátum Cesláum virgíneo morum candóre præditum, et salútis animárum zelo succénsum in divérsis natiónum pópulis, óperum sanctitáte et fídei propagatióne mirábilem effecísti: præsta quæsumus; ut ejus intercessióne simus semper in fide stábiles, et ad te, qui solus es ætérnæ salútis auctor ac largítor, misericórdiæ tuæ múnere perveníre valeámus. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Eadem Die.

Pro Archidiœcesi Mohiloviensi.

S. Eliæ Prophetæ.

Duplex.

Introitus. 3. Reg. 19.



Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, dixit Elías ad Dóminum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israël: altária tua destruxérunt: prophétas tuos occidérunt gládio: derelíctus sum ego solus, et quærunt ánimam meam, ut aúferant eam.

Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus: eódem interveniénte, ad cœléstia sublevémur, et sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 48.

Surréxit Elías prophéta, quasi ignis, et verbum ipsíus, quasi fácula, ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua, pauci facti sunt; non enim póterant sustinére præcépta Dómini. Verbo Dómini contínuit cœlum, et dejécit de cœlo ignem ter. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis. Et quis potest simíliter sic gloriári tibi? Qui sustulísti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui dejecísti reges ad perníciem, et confregísti fácile poténtiam ipsórum, et gloriósos de lecto suo. Qui audis in Sina judícium, et in Horeb judícia defensiónis. Qui ungis reges ad pœniténtiam, et prophétas facis successóres post te. Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini, conciliáre cor patris ad fílium, et restitúere tribus Jacob.

Graduale. 4. Reg. 2. Factum est, cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías, et Eliséus de Gálgalis.
℣. Cumque incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, et equi ígnei, divisérunt utrúmque: et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum.

Allelúja, allelúja.
℣. 1. Machab. 2. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 17.

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol: vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Móyses et Elías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus, dixit ad Jesum: Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ipsum audíte. Et audiéntes discípuli, cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde. Et accéssit Jesus, et tétigit eos, dixítque eis: Súrgite, et nolíte timére. Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus, dicens: Némini dixéritis visiónem, donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat.

Offertorium. Jac. 5. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et oratióne orávit, ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex: et rursum orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Secreta.

Offérimus tibi, Dómine, hóstiam laudis in honórem sancti Elíæ Prophétæ tui: et sicut tu holocaústo suo adfuísti, ita sacrifícium nostrum suscípere dignéris; ut per illud ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam. Per Dóminum.

Communio. Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Elíam prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus et horríbilis, et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.

Postcommunio.

Deus, qui per sanctum Angelum tuum beáto Elíæ Prophétæ tuo cibum et potum tribuísti: ipso interveniénte concéde; ut quæ de cœlésti mensa percépimus, sincéris méntibus illibáta servémus. Per Dóminum nostrum.

Die 24. Julii.

S. Christinæ Virg. Mart. P. R. P.

Alicubi duplex.

Missa. Me exspectavérunt. de Com. Virg. Mart. 2. loco.

DOMINICA

quæ incidit in diem 24. Julii, vel proxime sequitur.

S. Cunegundis Virg. P. R. P.

Duplex 1. classis cum Octava.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.

Oratio.

Deus, qui beátam Cunegúndem dulcédinis tuæ benedictiónibus prævenísti, ac Vírginem étiam in conjúgio conservásti, præsta quæsumus; ut ipsa intercedénte per vitæ puritátem tibi júgiter adhærére, et per ejus vestígia gradiéntes, ad te perveníre felíciter mereámur. Per Dóminum.

Et fit com. Dom. et leg. ejus Evang. in fine. Et dic. Credo. per Octav.

Die 28. Julii.

S. Botvidi Mart. P. R. S.

Duplex.

Introitus. Ps. 63.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Ps. ib. Exaúdi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Córdibus nostris, quæsumus Dómine, veræ fídei splendor illúceat: et beáti Botvídi Mártyris tui salutáris intercéssio ab instántibus perículis nos deféndat. Per Dñm.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2. Tim. 2. et 3.

Caríssime: Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam. ℣. Tota die miserétur, et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 8. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris: sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum

fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Communio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster; ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Botvído Mártyre tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum.

Die 29. Julii.

S. Olavi Regis, Mart. P. R. S.

Duplex.

(In Diœcesi Samogit. duplex 2. classis cum Octava.)

Introitus. Ps. 20.

IN virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Ps. ibid. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui es Regum coróna, et Mártyrum victória: tríbue nobis, quæsumus, beáti Olávi, Regis et Mártyris tui, pia apud te experíri patrocínia; ut per tuam, quam in ejus passióne glorificámus, magnificéntiam, corónam vitæ diligéntibus te percipiámus repromíssam. Per Dóminum.

Commem. Ss. Felicis et Soc. Mm. (in Samogit. in Missa privata tantum) ut in Missali sub hac die.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 10. b.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit: sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant, et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja.
℣. Ps. 20. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 16. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Ps. 8. Glória, et honóre coronásti eum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

Munéribus nostris, quǽsumus Dómine, precibúsque suscéptis, et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Commemoratio Ss. Martyrum.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum: et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Da, quǽsumus Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur offício, ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Commemoratio Ss. Martyrum.

Die 31. Julii.

S. Helenæ Viduæ et Mart. P. R. S.

Duplex.

Introitus. Ps. 118.

ME exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua Dómine intelléxi: omnis consummatiónis vidi finem, latum mandátum tuum nimis.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Largíre nobis, quǽsumus clementíssime Deus, intercessióne beátæ Hélenæ Mártyris tuæ, véniam nostrórum peccatórum: et quos ejus concédis solémniis gloriári, da ejus précibus gloriósis cœ́litus adjuvári. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prov. 31. b.

Mulíerem fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam, et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit, quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit

ínopi, et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananǽo. Fortitúdo, et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.
Allelúja, allelúja.
℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 12.

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, quæréntes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quæréntes te. At ipse respóndens dicénti sibi, ait: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et exténdens manum in discípulos suos, dixit: Ecce mater mea et fratres mei. Quicúmque enim fécerit voluntátem Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, et soror, et mater est.

Offertorium. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sǽculum sǽculi, allelúja.

Secreta.

Súscipe Dómine múnera, quæ in beátæ Hélenæ Mártyris tuæ solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum nostrum.

Comūnio. Ps. 118. Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis formidávit cor meum: lætábor ego super elóquia tua, quasi qui invénit spólia multa.

Postcommunio.

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et intercedénte beáta Hélena Mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

Die 2. Augusti.
Commemoratio
S. Catharinæ Vastanensis
Virginis, P. R. S.

Missa, si dicenda est, ut in ejus Festo, die 23. Martii, supra fol. 15*.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beátæ Catharínæ Vírginis præcláris décoras méritis, et gloriósis lætíficas miráculis: concéde nobis fámulis tuis; ut ejus exémplis in mélius reformémur, et ab ómnibus advérsis ejus patrocínio protegámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta et Postcomūnio ex Missa Dilexísti. de Comm. Virg. 1. loco.

Die 9. Augusti.

S. Emigdii Episc. et Mart.

Duplex.

(Aliquando alicubi ex indulto.)

Missa. Comóta est. ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 11. Augusti.

(Alicubi alia die.)

S. Philumenæ Virg. et Mart.

Duplex.

Pro Diœcesi Leopoliensi et Luceoriensi. (In Diœcesi Triaspolensi Compatr. diœcesis. duplex majus.)

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. Mart. 1. loco, cum Oratione. Deus qui inter cétera. ibid.

Eadem Die.

(Pro Diœcesi Samogitiensi.)

S. Marini Martyris, P. D. S.

Duplex majus.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Martyris non Pont. 1. loco, Evang. vero. Si quis vult post me veníre. ex Missa. Sacerdótes. de Communi unius Mart. Pont. 2. loco.

Dominica I.
post Festum Assumpt. B. M. V.

S. Hyacinthi Conf. P. R. P.

Duplex 1. classis cum Oct.

(Pro Diœcesi Gnesnensi et Posnaniensi.)

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, et dicitur Credo, etiam per Octavam, et fit Comem. Dominicæ tantum, (nisi sit aliqua dies octava) cum Evang. Dominicæ in fine.

In aliqu. diœcesibus Missa dic. ut infra.

Introitus. Ps. 36.



S justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Adésto Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Hyacínthi Confessóris tui solemnitáte deférimus: ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Et fit Comem. Dominicæ tantum: nisi sit dies octava S. Laurentii, aut Assumptionis B. M. V. quia tunc erit Oratio 2. de die octava, et Oratio 3. de Dominica.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 4. b.

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem, quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti: quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Credo. Et dicitur per Octavam.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Præsta nobis, quǽsumus omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente purífìcet. Per Dóminum.

Commemoratio Dominicæ.

Comͫunio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Quǽsumus omnípotens Deus: ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Hyacíntho Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Commemoratio et ultimum Evangelium Dominicæ.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confess. P. R. P.

Duplex.

Missa. Os justi. de Comm. Abbatum, præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui es gloriósus in glória Sanctórum, qui cunctis ad eórum patrocínia confugiéntibus suæ petitiónis salutárem præstas effèctum: concéde plebi tuæ: ut intercedénte beáto Rocho Confessóre tuo, quæ in ejus commemoratióne se devótam éxhibet, a languóre epidémiæ, quam in suo córpore pro tui nóminis glória passus est, sit líbera, et tuo nómini semper sit devóta. Per Dóminum.

Et fit Comͫemoratio duarum Octavarum, et infra Octavam Assumpt. B. M. V. dicitur Credo.

Die 27. Augusti.

Translationis **S. Casimiri** Conf. P. R. P. et M. D. L.

Duplex.

(In diœcesibus Augustoviensi, Minscensi, Mohiloviensi et Vilnensi duplex 2. cl. et celebratur Dominica I. post Octavam Assumptionis B. M. V.)

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui beátum Casimírum de mundi et carnis victória triumphántem, a terréno ad cœléste

regnum transtulísti: da quǽsumus; ut qui ejus hódie memóriam translatiónis ágimus, ejúsdem semper in adversitátibus experiámur suffrágia. Per Dóminum.

Dominica II.
post Octavam Assumpt. B. M. V.
alicubi Dominica I. mensis Septembris.
S. Joachim Patris B. M. V.
Protect. R. P. et M. D. Lith.
Duplex 1. cl. cum Octava.

Introitus. Eccli. 44.

LAudémus virum gloriósum in generatióne sua, quia benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Ps. 111. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui præ ómnibus Sanctis tuis beátum Jóachim Genitrícis Fílii tui Patrem esse voluísti: concéde, quǽsumus; ut cujus festa venerámur, ejus quoque perpétuo patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Commem. Dominicæ occurrentis.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 44.

Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sǽculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prǽditi, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum. Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes: pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in laúdibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum.

Graduale. Ps. 111. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja.

℣. O Jóachim, sancte conjux Annæ, Pater almæ Vírginis, hic fámulis confer salútis opem. Allelúja.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit

Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam, et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis: Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan, Mathan autem génuit Jacob, Jacob autem génuit Joseph, virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Credo. Et dicitur per Octavam.

Offertorium. Eccli. 44. Dedit illi Dóminus glóriam, et exaltávit semen ejus usque ad términos terræ.

Secreta.

Súscipe, clementíssime Deus, sacrifícium in honórem sancti Patriárchæ Jóachim, Patris Maríæ Vírginis, majestáti tuæ oblátum, ut ipso cum cónjuge sua, et beatíssima prole intercedénte, perféctam cónsequi mereámur remissiónem peccatórum, et glóriam sempitérnam. Per Dóminum.

Commemoratio Dominicæ.

Communio. Eccli. 45. Factum est illi testaméntum ætérnum, et sémini ejus sicut dies cœli.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut per hæc Sacraménta, quæ súmpsimus, intercedéntibus méritis et précibus beáti Jóachim, Patris Genitrícis dilécti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, tuæ grátiæ in præsénti, et ætérnæ glóriæ in futúro partícipes esse mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Commemoratio et ultimum Evangelium Dominicæ.

Die 29. Augusti.

S. Sabinæ Martyris.

Alicubi duplex.

Missa. Me exspectavérunt. de Com̃. Mart. non Virg., cum Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius: ut, qui beátæ Sabínæ Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Secreta.

Hóstias tibi Dómine, beátæ Sabínæ Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Divíni múneris largitáte satiáti, quæsumus Dómine Deus noster: ut intercedénte beáta Sabína Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum nostrum.

Die 30. Augusti.

Ss. Felicis et Adaucti MM.

PP. R. P.

Duplex majus.

(In diœcesibus Augustoviensi, Minscensi, Mohiloviensi, Samogitiensi et Vilnensi.)

Missa ut in Missali Romano sub hac die.



Dominica I. Septembris.

Sacr. Reliquiarum Eccles. Varmiensis et Sambiensis.

Duplex.

Missa eadem quæ supra die 20. Februarii fol. 7*. et fit Commem., et legitur ultimum Evang. Dominicæ occurrentis. Graduale et Offertorium dicuntur ut infra.

Graduale. Ps. 149. **Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis.**

℣. Ps. ibid. **Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in Ecclésia sanctórum.**

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 67. **Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia, allelúja.**

Offertorium. Ps. 67. **Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus. Allelúja.**

Die 1. Septembris.

Pro Diœcesi Kielcenso-Cracoviensi.
(In Archidiœc. Gnesnensi et Posnaniensi die 3. Septembris.)

S. Bronislavæ Virginis, Ord. Præmonstr.

Duplex.

In Archidiœcesibus Gnesnensi et Posnaniensi. duplex majus.

Missa. **Dilexísti.** de Comuni Virg. 1. loco præter Orationes sequ.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui in húmili tuæ crucis sequéla ascensiónes ad te disposuísti: concéde propítius; ut exémplo beátæ Bronislávæ, cujus venerándam celebrámus festivitátem, post præséntis vitæ ærúmnas, glóriæ tuæ partícipes esse mereámur: Qui vivis et regnas.

Secreta.

Vírginis tuæ Bronislávæ précibus, Dómine Jesu Christe plebis tuæ dona sanctífica: ut quæ tibi tuo grata sunt institúto, gratióra fiant patrocínio supplicántis: Qui vivis et regnas.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus Dómine Jesu Christe, ut cujus memóriam sacraménti participatióne recólimus, virtútes quoque proficiéndo sectémur: Qui vivis et regnas.

Die 4. Septembris.

S. Rosaliæ Panormitanæ

Virginis. Duplex.

Missa. **Dilexísti.** de Comuni Virg. 1. loco, præter Orationem.

Oratio.

Exaúdi nos, Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Rosáliæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu, et ejus intercessióne ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Eadem Die.

S. Rosæ Viterbiensis Virg.

Duplex.

In Archidiœcesi Mohiloviensi.

Missa. **Dilexísti.** de Comuni Virg. 1. loco, præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui beátam Rosam sanctárum tuárum Vírginum collégio aggregáre dignátus es: tríbue nobis, quæsumus: ut ejus précibus et méritis a culpis ómnibus expiémur, et tuæ majestátis consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

DOMINICA
infra Octavam Nativitatis B. M. V.
Ss. Nominis Mariæ.

Duplex majus.
(In Archidiœcesi Leopoliensi, dupl. 2. cl.)
Missa ut in Missali post festum Nativitatis B. M. V.

Die 10. Septembris.

Pro Eccl. Cath. Calissiensi.

S. Dalmatii Martyris, P. R. P.

Duplex.

Introitus. Ps. 20.

IN virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei. Ps. ibid. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut, qui beáti Dalmátii Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis B. M. V.
Oratio.

Fámulis tuis, quæsumus Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2. Tim. 2. et 3.

Caríssime: Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 16. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Credo. propter Octavam.

Offertorium. Ps. 8. Glória, et honóre coronásti eum: et constituísti

eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

Munéribus nostris, quǽsumus Dómine, precibúsque suscéptis: et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum nostrum.

Pro Octava Nativitatis B. M. V.

Secreta.

Unigéniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas: ut qui natus de Vírgine, matris integritátem non mínuit, sed sacrávit, in Nativitátis ejus solémniis nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam, Jesus Christus Dóminus noster: Qui tecum vivit.

Præf. de Beata. Et te in Nativitáte.

Comũnio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Da, quǽsumus Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne sanctórum temporáli gratulámur offício, ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis B. M. V.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta: præsta quǽsumus: ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant, et ætérnæ. Per Dóminum.

Die 18. Septembris.

S. Crescentii Mart. P. D. S.

Duplex.

(In Diœcesi Samogitiensi.)

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont. 1. loco, Evang. Si quis vult post me veníre. ex Missa. Sacerdótes. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Dominica proxima post Festum S. Matthæi Ap. et Ev.

(Alicubi die 25. Septembris.)

B. Ladislai de Gielniow Conf.

P. R. P. Duplex 1. cl. cum Octava.

(Leopolii sine Octava.)

Missa. Justus ut palma. de Com. Conf. non Pont. 2. loco, cum Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Ladisláum religiósa perfectióne voluísti ómnibus prælucére: concéde propítius; ut ejus exémplo in virtútibus júgiter proficiámus. Per Dñm.

Die 25. Septembris.

Pro Archidiœc. Gnesn.; pro diœc. autem Posnaniensi die prima libera post festum S. Matthæi: — alicubi die 1. Octobris.

Sacrarum Reliquiarum Eccl. Upsalensis.

Duplex.

Introitus. Ps. 33.

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. Ps. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Propitiáre, quǽsumus Dómine, fámulis tuis per mérita gloriósæ Vírginis Maríæ, et beatórum Mártyrum Lauréntii, Eríci, et ómnium Sanctórum tuórum, quorum Relíquiæ in hac continéntur ecclésia; ut eórum pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Si celebretur in Dominica fit Commemoratio ejusdem.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 44.

HI viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona; hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum, et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Graduale. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Ps. ibid. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in Ecclésia sanctórum.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 67. Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei, et delecténtur in lætítia. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6. c.

IN illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis; qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti paúperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Credo.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta.

Implorámus Dómine cleméntiam tuam, ut Sanctórum tuórum, quorum relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum.

Comunio. Ps. 32. Gaudéte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Postcommunio.

Multíplica super nos, quæsumus Dómine, per hæc sancta, quæ súmpsimus, misericórdiam tuam: ut sicut in tuórum solemnitáte Sanctórum, quorum relíquias cólimus, pia devotióne lætámur, ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum.

Eadem Die.

Ss. Thyrsi et Palmatii Mart.

PP. R. P. Duplex.

(In Diœcesi Calissiensi.)

Missa. Sapiéntiam. de Com. plur. Mart. 2. loco.

Die 26. Septembris.

S. Josaphat Episc. et Mart.

P. R. P. et M. D. Lith.

Duplex, alicubi duplex majus.)

Missa ut in Missali die 14. Nov.

Die 27. Septembris.

Translat. **S. Stanislai** Ep. Mart. P. R. P. Duplex.

Introitus. Eccli. 45.

STátuit ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto Dómine David, et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit: præsta quǽsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 5.

Fratres: Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem: sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Allelúja, allelúja. ℣. Joañ. 10. c. Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas; et cognóscunt me meæ. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius est: et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient: et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et intercedénte beáto Stanisláo, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio. Joann. 10. Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas: et cognóscunt me meæ.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedénte beáto Stanisláo, Mártyre tuo atque Pontífice, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dñm.

Die 28. Septembris.

S. Wenceslai Mart. P. R. P.

Duplex alicubi, duplex majus.

Introitus. Ps. 63.


Ætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde. Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam, cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáti Wenceslái nobilitátem in meliórem mutásti dignitátem, et eum per martýrii palmam ad cœléstem perduxísti glóriam: ejus précibus nos, quǽsumus, ab omni adversitáte líbera, et ætérnæ beatitúdinis concéde pérfrui glória. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. 1. Petri 4. c.

Caríssimi: Comunicántes Christi passiónibus gaudéte: ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut maledicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut christiánus, non erubéscat: gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius, et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri commendent ánimas suas in benefáctis.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam. ℣. Tota die miserétur, et cómodat: et semen ejus in benedictióne erit. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 8. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris: sed habébit lumen vitæ ætérnæ, allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 16. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum nostrum.

Communio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut cujus exséquimur cul-

tum, intercedénte beáto Wencesláo Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Die 29. Septembris.

S. Michaëlis Archangeli, Patr. Principalis Regni Galiciæ et Lodomiriæ.

Duplex 1. classis cum Octava.

Missa ut in Missali Romano sub hac die.

DOMINICA,

quæ incidit in Kalend. Octobr. vel proxime sequitur, celebratur Festum **Ss. Rosarii B. M. V.**

Duplex majus.

(In Archidiœcesi Mohiloviensi dupl. 2. cl. cum Octava.)

Missa ut in Missali Romano initio Mensis Octobris.

Die 2. Octobris.

Ss. Angelorum Custodum.

Duplex, alicubi duplex majus.

(In Archidiœc. Mohiloviensi et in Diœc. Minscensi et Vilnensi duplex 2. cl. cum Octava.)

Missa ut in Missali Romano die 2. Octobris.

Die 5. Octobris.

S. Martiniani Mart. P. D. S.

Duplex.

Pro Diœcesi Samogitiensi.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont. 1. loco. Evang. Si quis vult post me veníre. ex Missa Sacerdótes. de Comm. Mart. Pont. 2. loco.

Die 6. Octobris.

Translationis

S. Æschili Ep. Mart. P. R. S.

Duplex.

Introitus. Dan. 3.

Sacerdótes Dei benedícite Dóminum: sancti, et húmiles corde laudáte Deum. Ps. ib. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte, et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Æschílum Pontíficem tuum, pro fídei dilatatióne martýrium subíre voluísti: præsta quǽsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 1.

Fratres: Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra: ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis; ita et per Christum abúndat consolátio nostra. Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur toleràntiam earúmdem passiónum, quas et nos pátimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: sciéntes quod sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum.
℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Allelúja, allelúja.
℣. Hic est sacérdos quem coronávit Dóminus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius est: et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient: et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Æschílo Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Communio. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Æschílo Mártyre tuo atque Pontífice, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dñm.

Die 7. Octobris.

S. Birgittæ Viduæ, P. R. S.

Duplex 2. classis cum Octava.
(Alicubi duplex.)

Introitus. Ps. 118.

COgnóvi Dómine, quia ǽquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me: confíge timóre tuo carnes meas, a mandátis tuis tímui.
Ps. ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Deus noster, qui beátæ Birgíttæ per Fílium tuum unigénitum secréta cœléstia reveládsti: ipsíus pia intercessióne da nobis fámulis tuis, in revelatióne sempitérnæ glóriæ tuæ gaudére lætántes. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Comem. S. Marci Papæ et Conf. et Ss. Sergii et Soc. Mm. ut in Missali sub hac die, in Missa privata tantum. Secreta pro S. Marco Pp. sumitur ex Missa Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

ꝗ Alicubi Epistola Víduas honóra. de eodem Comm. 2. loco.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prov. 31. b.

Mulíerem fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam, et linum, et operáta est con-

sílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit, quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo, et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 11. d.

IN illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Offertorium. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sǽculum sǽculi.

Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio. Ibid. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus quǽsumus semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Dominica II. Octobris.

(Alicubi die 13. Martii vel alia die.)

S. Vincentii Kadlubek Episc. et Conf. P. R. P.

Duplex, alicubi duplex majus.

Missa ut supra die 13. Mart. fol. 14* cum Commemoratione Dominicæ et ejus Evangelio in fine.

Eadem Dominica II. Octobris.

Maternitatis B. M. V.

Duplex majus.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Die 10. Octobris.

Gratiarum actio

pro victoria de Turcis ad Chocim anno 1621 reportata.

Duplex majus.

Introitus. Tob. 13.



Benedícta sit sancta Trínitas, atque indivísa únitas: confitébimur ei, quia fecit nobíscum misericórdiam suam. Ps. 8. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in summis Regni nostri perículis, antíqua bráchii tui mirácula renovásti: súscipe gratiárum actiónes exsultántium populórum: et quibus tanti gaúdii causam præstitísti, perpétuæ fructum concéde lætítiæ. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 13. d.

Fratres: Gaudéte, perfécti estóte, exhortámini, idem sápite, pacem habéte, et Deus pacis et dilectiónis erit vobíscum. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis. Amen.

Graduale. Dan. 3. Benedíctus es, Dómine, qui intuéris abýssos, et sedes super Chérubim. ℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli, et laudábilis in sǽcula.

Allelúja, allelúja. ℣. Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum, et laudábilis in sǽcula. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prǽlia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum, et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur, tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et prǽsides propter nomen meum. Contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis et amícis: et morte afficient ex vobis. Et éritis ódio ómnibus propter nomen meum. Et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. Credo.

Offertorium. Tob. 12. Benedíctus sit Deus Pater, unigenitúsque Dei Fílius, sanctus quoque Spíritus: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Secreta.

Odórem, Dómine, sacrifícii hujus cum gratiárum actiónibus súscipe, et præsta: ut quos exaudíre, et incólumes serváre dignátus es, ab omni in pósterum adversitáte custódias, et in tuo servítio, et amóre concréscant. Per Dñm.

Præfatio de Ss. Trinitate. Qui cum unigénito Fílio.

Communio. Tob. 13. Benedícimus Deum cœli, et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Postcommunio.

Deus, qui néminem in te sperántem, nímium afflígi permíttis, sed pium précibus præstas audítum: pro postulatiónibus nostris, votísque suscéptis grátias ágimus, te piíssime deprecántes: ut per hæc quæ súmpsimus, a cunctis éripi mereámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

In aliquibus diœcesibus dicitur Missa de Trinitate et sub una conclusione Oratio Deus cujus misericórdiæ non est númerus. uti habetur post Missam votivam de Ss. Trinitate.

Die 11. Octobris.

Ss. Gereonis et Sociorum

Martyrum, PP. R. P.

Duplex.

In Archidiœcesi Varsaviensi.

Introitus. Ps. 33.


Lamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos, et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Ps. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui hunc diem beatórum Mártyrum tuórum Gereónis, Sociorúmque ejus passióne consecrásti: præsta, quǽsumus; ut eórum suffrágia apud te sentiámus in cœlis, quorum hic solémnia pio amóre venerámur in terris. Per Dñm.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 7. c.

In diébus illis: Respóndit unus de senióribus, et dixit mihi: Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi: tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus: et qui sedet in throno, habitábit super illos. Non esúrient, neque sítient ámplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos: et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum, et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum.

Graduale. Ps. 78. Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 67. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6. c.

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni

Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti paúperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti, qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Offertorium. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in faúcibus eórum, allelúja.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum: et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Comunio. Ps. 78. Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ: secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios morte punitórum.

Postcommunio.

Deus, qui nos et cœléstibus páscere sacraméntis, et sanctórum Mártyrum tuórum Gereónis, Sociorúmque ejus non désinis fovére suffrágiis: præsta quǽsumus; ut quod illis ad glóriam contulísti, ad nostræ prosit fragilitátis auxílium. Per Dóminum.

Eadem die 11. alicubi die 12. Octobr.

S. Ludovici Bertrandi Conf.

Duplex, alicubi duplex majus.

Pro Archidiœcesi Mohiloviensi, Varsaviensi, et aliis.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, præter Orat.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum, per córporis mortificatiónem, et fídei prætcónium, sanctórum glóriæ coæquásti: præsta; ut quod fide profitémur, pietátis opéribus júgiter compleámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Dominica III. Octobris.

(Leopoli die 30. Octobris.)

Puritatis B. Mariæ Virg.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Die 15. vel 17. Octobris.

S. Hedwigis Viduæ, P. R. P.

Duplex majus, vel duplex.

Introitus.


Audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Hedwígis: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, grátiæ dator et glóriæ, tuæ nobis propítius sinum pietátis áperi, et præsta; ut qui manéntem civitátem hic non habémus, ad futúram quam quǽrimus, beátæ Hedwígis interveniénte suffrágio perducámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prov. 31. b.

Mulíerem fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam, et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam doméstícis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit, quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo, et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.
℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja.
℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.
℣. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.
℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur

Allelúja, allelúja.
℣. Ib. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.
℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 13. f.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quæréntí bonas margarítas. Invénta au-

tem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti: quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consumatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova, et vétera.

Offertorium. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sǽculum sǽculi.

Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum, quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Postcommunio.

Sumpta, quǽsumus omnípotens Deus, hóstia salutáris ab advérsis nos ómnibus tueátur incúrsibus: et post hujus labóres exsílii, beátæ Hedwígis interveniéntibus méritis, ducat ad réquiem opuléntam. Per Dóminum.

℟ In aliquibus locis dicitur Missa Cognóvi. de Comm. nec Virg. nec Mart. cum Orat. propria, uti habetur in Missali sub die 17. Octobr.

Die 17. Octobris.

S. Brunonis Ep. Mart. P. R. P.

Duplex.

In Diœcesi Luceoriensi et Podoliæ.

Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont. 1. loco, cum Orat. sequ.

Oratio.

Misericordíssime Deus, pro cujus fídei propagatióne, beátus Bruno Epíscopus et Martyr in his terris sánguinem liberáliter effúdit: miserére animárum pópuli tui, eásque a culpis ac pœnis líberas in sanctórum tuórum númerum misericordíssime ínferas. Per Dóminum nostrum.

Dominica IV. Octobris.

S. Joannis Cantii Conf. P. R. P.

Duplex 1. classis cum Octava.

Missa ut in Missali die 20. Octobr. Et fit commem. Dominicæ occurr. et legitur ejus Evangel. in fine. Et dicitur Credo per Octavam.

Die 20. Octobris.

Translationis

S. Adalberti Ep. Mart. P. R. P.

Duplex.

Introitus. Eccli. 45.

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Tuam nobis indulgéntiam, quǽsumus Dómine, beátus Adalbértus, Epíscopus et Martyr, implóret: ut et delícta nobis cleménter ignóscas, et benefícia desideráta concédas. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræ̈os. Hebr. 5.

Fratres: Omnis Póntifex ex hominibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem: sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Graduale. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan̄. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius est: et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient: et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Sacrifícium exhíbitum, quǽsumus Dómine, benígnus assúme: ut quod nómini tuo in solemnitáte beáti Adalbérti, Mártyris tui atque Pontíficis, deférimus, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Communio. Joann. 10. Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.

Postcommunio.

Refécti, Dómine, munéribus sacris, súpplices te deprecámur: ut indulgéntiam tuam nobis intercéssio beáti Adalbérti, Mártyris tui atque Pontíficis, semper implóret. Per Dóminum.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et Soc. Virg. et Mart. PP. R. P.

Duplex.

Introitus. Ps. 118.

ME exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis. Ps. ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, quǽsumus Dómine Deus noster: sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Ursulæ et Sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári; ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro Comem. S. Hilarionis Abbatis.

Oratio.

Intercéssio nos, quǽsumus Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 7. e.

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quǽrere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quǽrere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta córpore et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.
Allelúja, allelúja.
℣. Ibid. Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non suffíciat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núpti-

as, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 44. Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

Inténde, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Ursulæ et Sociárum ejus, festivitáte propósita; ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Pro Comem. S. Hilarionis Abbatis.

Secreta.

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hilárion Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 118. Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine: intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martýribus tuis; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Pro Comem. S. Hilarionis Abbatis.

Postcommunio.

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne Sacraménti beátus Hilárion Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dñm.

Die 23. Octobris.

S. Joannis a Capistrano Conf. P. R. P. Duplex.

Missa. Justus ut palma. de Com. Conf. non Pont. 2. loco, cum Orat. propria.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Joánnis méritis et doctrínis mirabíliter sublimásti, et per eum de pérfidis tyránnis in virtúte sanctíssimi Nóminis Jesu fidéles tuos triumpháre fecísti: præsta quæsumus; ut de inimícis nostris ejus intercessióne prævaléntes in terris, præmiári cum ipso mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Eadem Die.

Alicubi Festum **Ss. Redemptoris.**

Duplex majus.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 23. Octobris.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Duplex majus.

Missa. Benedícite. ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Dominica II. vel III. Novembris.

Patrocinii B. M. V.

Duplex majus.

Missa. Salve sancta parens. ut in Missis votivis B. Mariæ Virginis a Pentecoste usque ad Adventum, cum commem. Dominicæ occurr. Et dicitur Credo, et Præfatio de S. Maria. Et te in Festivitáte beátæ Maríæ. Et in fine Missæ legitur Evangelium Dominicæ.

Die 12. Novembris.

Ss. Quinque Fratrum Polonorum Mart. PP. R. P.

Duplex.

Introitus. Ps. 33. MUltæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. Ps. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Sanctórum nos, quǽsumus Dómine, Mártyrum tuórum, Benedícti, Joáñis, Matthǽi, Isáaci, atque Christiáni gloriósa hodiérna die trophǽa lætíficent: quátenus eórum interventióne ad illam perveniámus hæreditátem, in qua iídem felíces Angelórum cœtibus aggregáti, tuæ semper majestátis perfruúntur ineffábili claritáte. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44. b.

HI viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet ecclésia.

Graduale. Ps. 132. Ecce, quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum. ℣. Sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aaron. Allelúja, allelúja. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vincit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12. a.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum est, quod non revelétur, neque abscónditum, quod nón sciátur. Quóniam, quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius, quid fáciant. Osténdam autem vobis, quem timeátis: timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis, hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: omnis, quicúmque confessus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium. Ps. 5. Gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, quóniam tu Dómine benedíces justo: Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, coronásti nos.

Secreta.

Hóstias tibi Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum dicátas méritis benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Communio. Sap. 3. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocaústa accépit eos.

Postcommunio.

Súmpsimus Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum, Benedícti, Joáñis, Matthǽi, Isáaci, atque Christiáni, solémnia celebrántes, Sacraménta cœléstia: præsta, quǽsumus; ut, quod temporáliter gérimus, ætérnis gaúdiis consequámur. Per Dóminum nostrum.

Die 13. Novembris,
si incidit in Dominicam, alias Dominica proxime sequenti.

In Festo **S. Stanislai Kostkæ** Conf. P. R. P.

Duplex 1. classis cum Octava.
Pro Diœc. Gnesnensi et Posnaniensi.

Missa. Consummátus in brevi. ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die. Et fit Commem. Dominicæ et legitur ejusdem Evang. in fine.

℥ In Archidiœcesi Mohiloviensi; item in Diœc. Augustoviensi, Minscensi, Plocensi, Sandomiriensi, Vilnensi, et aliis dicitur Missa Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, cum Orat. propriis ut inter festa pro aliqu. locis die 13. Novembr.

Die 15. Novembris.

S. Leopoldi, Marchionis Austriæ, Conf. Duplex.

Pro Archidiœcesi Leopoliensi, et Diœc. Premisliensi et Tarnoviensi.

Introitus. Ps. 36.

S justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctum Leopóldum ex principátu et curis sǽculi hujus immaculátum ad regnum cœléste traduxísti: concéde propítius; tua cleméntia ita nos per hæc temporália dírigi, ut ætérnæ vitæ consórtes éffici mereámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi

regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário; tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis, quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Réspice, quas offérimus, hóstias, omnípotens Deus: et præsta; ut qui passiónis Domínicæ mystéria celebrámus, imitémur quod ágimus. Per eúmdem Dóminum.

Comunio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Leopóldi Confessóris tui fidem cóngrua devotióne sectémur: qui pro ejúsdem fídei dilatatióne, de terréno regno ad cœléstis regni glóriam méruit perveníre. Per Dóminum.

Die 17. Novembris.

S. Salomeæ Virg. P. R. P.

Duplex.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. 1. loco, præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui in beáta Saloméa terréni regni contémptum cum virginitátis candóre in coñúbio sociásti: concéde nobis quæsumus; ut ejus exémplo tibi casto, et húmili corde serviéntes, immarcescíbilem corónam glóriæ in cœlis cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Die 19. Novembris.

S. Elisabeth, Reginæ Hungariæ, Viduæ, P. R. P. Duplex.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes, sub honóre beátæ Elísabeth: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Tuórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra: et beátæ Elísabeth précibus gloriósis, fac nos próspera mundi despícere, et cœlésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit commem. de S. Pontiano, Papa et Mart.

Oratio.

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus, ut quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Pontiáni, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prov. 31. b.

Mulíerem fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam, et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam doméstícis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit, quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo, et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.
℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja.
℣. ib. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 13. f.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quæréenti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum

cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consumatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 44. Fíliæ regum in honóre tuo: ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto circúmdata varietáte.

Secreta.

Accépta tibi sit Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Pro S. Pontiano, Papa Mart.
Secreta.

Hóstias tibi Dómine, beáti Pontiáni, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme, et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Communio. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus quǽsumus semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Pro S. Pontiano, Papa Mart.
Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus Dómine Deus noster; ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Pontiáno, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus effectum. Per Dóminum.

ADPROBATIO.


Uum festa propria Archidiœcesibus Nostris Gnesnensi et Posnaniensi a S. Sede diversis temporibus concessa atque in variis breviarii et missalis editionibus in Proprio Regni Poloniæ contenta, nonnullis erroribus scatere viderentur, Nos eadem revisioni et correctioni S. R. C. nuper subjicere curavimus. Exemplar hujusmodi officiorum ab eadem S. C. revisum et correctum Illmis D. Fr. Pustet, typographus et bibliopola Ratisbonensis, in lucem edere constituit, Nosque hanc illius editionem, utpote legitime recognitam, pro Archidiœcesibus Nostris præsentium tenore adprobamus.

Romæ die 4. Augusti 1880.

✠ **Miecislaus Cardinalis Ledóchowski**
Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 15. Martii 1889.

G. Erlenborn, Vicarius in Spirit. Generalis.

Index alphabeticus.



Ratisbonæ 1889. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

MISSÆ PROPRIÆ
SANCTORUM
PRO REGNIS PORTUGALLIÆ,
ALGARBIÆ ET BRASILIÆ.

Die 4. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Mart.

Missa. **Loquébar.** de Communi Virg. et Mart. 1. loco.

Die 23. Decembris.

Sancti Servuli Confessoris.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Missa. **Os justi.** de Communi Conf. non Pont.

Evangelium. **Homo quidam erat dives.** ex Feria V. post Domin. II. Quadragesimæ.

Die 16. Januarii.

Ss. Berardi et **Sociorum** Mart. Maroch.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Introitus. Ps. 33.

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum, unum ex his non conterétur.

Ps. **Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui sanctórum Mártyrum tuórum Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti, atque Othónis glorióso certámine Ordinis Minórum inítia consecrásti: concéde nobis fámulis tuis; ut quorum lætámur triúmphis, eórum virtútes imitémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 4.

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo; sed ut fílios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 78. **Víndica Dómine sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Posuérunt morticína servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cœli: carnes Sanctórum tuórum béstiis terræ.**

Allelúja, allelúja.
℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúja.

Post Septuages. omissis Allelúja, et Versu sequ., dicitur

Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrimis, in gaúdio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.


Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos: et ad præsides, et ad reges ducémini propter me in testimónium illis, et géntibus. Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre, quómodo, aut quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium: et insúrgent fílii in paréntes, et morte eos affícient: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Non dicitur Credo in Patriarchatu Olisipon.

Offertorium. Sap. 3. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace. Allelúja.

Secreta.

PRo pretiósa, Dómine, tuórum morte Sanctórum sacrifícium istud offérimus: quo opem tuam nostris tempóribus cleménter impéndas, et grátiam nobis veræ devotiónis exhíbeas. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio.

Cœléstia, Dómine, dona, quæ súmpsimus, vitam nobis tríbuant sempitérnam, quam cum beatórum Mártyrum tuórum Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti, atque Othónis gloriósis méritis implorámus. Per Dóminum.

Die 20. Januarii.
S. Sebastiani Martyris.
Pro Archidiœc. Patriarchali et Elborensi.

Introitus.


Audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Sebastiáni Mártyris: de cujus passióne gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Orationes, et reliqua dicuntur ex Missa. Lætábitur. pro Martyre non Pontifice. In Ecclesia propria dicitur Credo, et per Octavam.

Die 21. Januarii.
In Vigilia **S. Vincentii** Mart.
Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Missa de S. Agnete, prout in Missali, in qua fit Commem. Vigiliæ.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et intercessióne beáti Vincéntii Mártyris tui, cujus

prævenímus festivitátem, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

Secreta.

Munéribus nostris, quǽsumus Dómine, precibúsque suscéptis, et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Da, quǽsumus, Dómine, Deus noster: ut sicut beáti Vincéntii Mártyris tui commemoratióne temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dñm.

In fine legitur Evang. Si quis vult. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Ubi vero dicenda est Missa de Vigilia, sumenda est Missa de Vigilia S. Laurentii, mutato nomine, sumptaque Secreta de S. Romano, ibidem.

Die 22. Januarii.
Sancti Vincentii Martyris.
Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Introitus. Ps. 63.


Ætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Mártyris tui Vincéntii intercessióne liberémur. Per Dñm.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 11.

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos: álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem: álii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam.

℣. Tota die miserétur, et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúja, allelúja.

℣. Joann. 8. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris: sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúja.

Post Septuages., omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória, et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens

in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. Credo.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus, quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

Quǽsumus, omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Mártyre tuo Vincéntio, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dñm.

Infra Octavam dicitur Oratio ii. Deus qui salútis. iii. Ecclésiæ, vel pro Papa. In die Octava Missa ut in Festo.

Die 28. Januarii.

S. Gundisalvi Confessoris.

Missa. Justus ut palma. ut in Festo S. Pauli primi Eremitæ, die 15. Jan. præter seq.

Oratio.

Deus, qui beáti Gundisálvi Confessóris tui mentem sancti nóminis tui amóre mirabíliter inflammásti: concéde quǽsumus; ut illíus vestígiis inhæréntes, semper te cogitémus; quæque tibi grata sunt, inflammáto stúdio faciámus. Per Dóminum.

Et fit Comem. S. Agnetis secundo. ut in Missali.

Graduale. Ps. 20. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te: et tribuísti ei longitúdinem diérum in sǽculum sǽculi. Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 63. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Allelúja.

Post Septuages., omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 111. Beátus vir. ut in Festo S. Pauli, die 15. Januarii.

Offertorium. Justus ut palma florébit sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Die 11. Februarii.

S. Ildefonsi Episc. et Conf.

Missa de Communi Doctorum. sine Credo. Orationes ex Missa. Sacerdótes. de Comuni Conf. Pont.

Die 13. Februarii.

Sancti Anastasii Martyris.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Missa. In virtúte. de Communi. Orationes ut supra in Missa S. Vincentii, mutato nomine.

Evangelium vero. Si quis venit. de Communi unius Mart. Pont. 1. loco.

Die 15. Februarii.

Translationis **Sancti Antonii.**

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Missa ut infra in ejus Festo, die 13. Junii. fol. 13. In Orat. mutatur verbum Solémnitas in Translátio, et non dicitur Credo.

Die 18. Februarii.

S. Theotonii Confessoris.

Introitus. Ps. 121. et 131.

INtroíbimus in tabernáculum ejus: adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus. Stantes erant pedes nostri in átriis tuis Jerúsalem. Ps. Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum: in civitáte Dei nostri. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáti Theotónii salutáribus mónitis et exémplis canónicam disciplínam reparásti: concéde propítius; ut ejus exémplo et intercessióne arctiórem christiánæ perfectiónis viam ingréssi, facílius vitam ætérnam consequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 45.

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ.

Graduale. Ps. 118. Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum: et non confundébar. ℣. Dómine, salvum fac regem, et exaúdi nos in die, qua invocavérimus te.

Tractus. Ps. 121. Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Quóniam vidébo cœlos tuos: lunam et stellas, quæ tu fundásti. ℣. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

Tractus omittitur ante Septuag., et temp. Pasch., et additur, vel suppletur ut in Communi Abbatum.



Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium. Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi.

Secreta.

Sanctæ Crucis, Dómine, mystéria recoléntes, concéde, ut sacrifícium incruéntum débita veneratióne offerámus: et interveniénte sancto Theotónio Confessóre tuo, salutáris fructus consequámur efféctum. Per Dóminum.

Communio. Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum: et nolíte conformári huic sǽculo, sed reformámini.

Postcommunio.

Per sancta, Dómine, quæ súmpsimus, sanctus Theotónius intercédat, ne huic sǽculo conformémur; sed reformáti, ad perfectiónem semper aspirémus. Per Dóminum nostrum.

Die 23. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis, die 26. Februarii.

Feria VI. post Cineres.

Ss. Quinque Vulnerum D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis, Feria VI. post Dominicam III. Quadragesimæ.

Die 13. Martii.

Sanctæ Sanciæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Communi Virg.

Oratio.

Deus, qui beátam Sánciam Vírginem tuam, multíplici grátiæ tuæ dote locupletátam, a terrénis ad cœléstes Agni núptias evocásti: da, ut ejus auxílio et imitatióne puris tibi méntibus juncti, promíssa mundis corde prǽmia consequámur. Per Dóminum.

Die 22. Martii.

S. Emigdii Episc. et Mart.

Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont., præter

Oratio.

Deus, qui beátum Emígdium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, idolórum victória et miraculórum glória decorásti: concéde propítius; ut, eo interveniénte, malórum spiríituum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

Feria II. post Dominicam in Albis.

Gaudiorum B. Mariæ Virg.

Missa. Salve sancta Parens. ut in Votiva post Pascha, cum Glória. Credo. Præfatio. Et te in Gaúdiis.

Die 16. Aprilis.

S. Engratiæ Virg. et Mart.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Missa. Loquébar. de Communi Virg. et Mart. cum Octava, si celebretur post Pascha.

Infra Octavam. Oratio ii. Concéde. iii. Ecclésiæ. vel pro Papa.

Dominica IV. Aprilis.

Fugæ B. M. V. ad Ægyptum.

Introitus. Matth. 2.

Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum, allelúja, allel. Ps. 54. Ecce elongávi fúgiens: et mansi in solitúdine. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Protéctor in te sperántium, Deus, qui Unigénitum tuum, Redemptórem nostrum, ex Heródis gládio fuga in Ægýptum erípere voluísti: concéde nobis fámulis tuis, beatíssima semper Vírgine, ejus matre María intercedénte; ut ab ómnibus mentis et córporis perículis liberáti, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isai. 19. c.

In diébus illis clamábunt ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis salvatórem et propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cog-

nóscent Ægýptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis, et in munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent. Et percútiet Dóminus Ægýptum plaga, et sanábit eam, et reverténtur ad Dóminum, et placábitur eis, et sanábit eos Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 90. Angelis suis Deus mandávit de te: ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. In mánibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum.

Allelúja, allelúja.

℣. Matth. 2. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum. Allelúja.

Post Septuages., omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 90. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur. ℣. Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, et refúgium meum: Deus meus sperábo in eum. ℣. Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, et a verbo áspero.

Temp. Pasch. Allelúja, allelúja.

℣. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum et matrem ejus, et fuge in Ægýptum. Allelúja. ℣. Et esto ibi, usque dum dicam tibi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 3.

IN illo témpore: Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi: futúrum est enim, ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum. Qui consúrgens accépit púerum, et matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur, quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi fílium meum. Credo.

Offertorium. Isaiæ 19. Cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscent Ægýptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis et in munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent, allelúja.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus, supplíciter deprecántes: ut, qui cum beatíssima matre Vírgine María in Ægýptum exsul deférri voluísti; éxsules nos, eádem beáta Vírgine intercedénte, ad cœléstem pátriam benígnus perdúcas. Qui vivis et regnas.

Præfatio B. Mariæ Virg. Et te in Festivitáte.

Communio. Matth. 2. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur, quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi fílium meum, allelúja.

Postcommunio.

Largíre sénsibus nostris, omnípotens Deus: ut per temporálem Fílii tui fugam, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedísse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dóminum.

Dominica I. Maji.
Maternitatis B. Mariæ Virg.

Introitus. Ps. 112.



QUis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, et humília réspicit in cœlo, et in terra? Allelúja, allelúja.

Ps. 45. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Intercédat pro nobis, Dómine Jesu Christe, tua sanctíssima Génitrix María: et grátiam tuam, a qua peccándo excídimus, nobis sua intercessióne concíliet: et ejus maternitátem venerántes in terris, ejus super omnes choros Angelórum exaltatióne pérfrui mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas.

Et fit Commem. Dominicæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 24. c.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúja, allelúja.
℣. Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Allelúja. ℣. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini. Allelúja.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Isai. 11. Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. ℣. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Allelúja, allelúja.
℣. Isai. 7. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2. f.

In illo témpore: Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et non inveniéntes regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Credo.

Offertorium. Matth. 1. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Allelúja.

Secreta.

Omnípotens et miséricors Deus, qui beatíssimam Vírginem Maríam unigéniti Fílii tui Matrem elegísti: præsta quǽsumus ejus précibus et méritis; ut inter eléctos tuos numerémur. Per eúmdem Dñm.

Præf. de B. M. Et te in festivitáte.

Communio. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. Allelúja.

Postcommunio.

Beatíssima Mater, de qua fons est ortus misericórdiæ, sanet ánimam ómnium fidélium ab infirmitáte peccáti, per virtútem benedícti fructus ventris sui: Qui sedens ad déxteram Patris vivit, et regnat in sǽcula sæculórum. Amen.

Extra tempus Paschale omittitur Allelúja, in Introitu, Offertorio et Communione.

Die 2. Maji.

B. Maphaldæ Infantis Lusitaniæ, Reginæ Castellæ, Virg.

Missa. Dilexísti. de Comuni Virg.

Oratio.

Deus, qui beátam Regínam Maphâldam cadúca mundi pura mente despícere, et cœléstia sectári docuísti: da nobis fámulis tuis; ut terréna despiciéntes, cœléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

Die 5. Maji.

Conversionis **S. Augustini** Episc., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus. Ps. 65. et 102.

Veníte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ miséricors et miserátor Dóminus: longánimis et multum miséricors, allelúja, allelúja.

Ps. 144. Suávis Dóminus univérsis: et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem beáti Augustíni, Confessóris tui atque Pontíficis, mirábili Conversióne decorásti: præsta quǽsumus; ut sicut Ecclésiam tuam, propúlsis erróribus, prótegit; ita corda nostra précibus suis contra malígnos spíritus, tua grátia irrigánte, defendat. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 13.

Fratres: Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus, non in comessatiónibus et ebrietátibus, non in cubílibus et impudicítiis, non in contentióne et æmulatióne: sed induímini Dóminum Jesum Christum.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 115. Dirupísti víncula mea: tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo. Allelúja.

℣. Ps. 117. Confitébor tibi, quóniam exaudísti me: et factus es mihi in salútem. Allelúja.

Si celebretur post Temp. Pasch. dic. Graduale. Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo. ℣. In generatiónem, et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Allelúja, allelúja.

℣. Ex Offic. Aug. Vulneráveras tu, Dómine, cor meum caritáte tua, et gestábam verba tua in viscéribus, quasi sagíttas acútas, et exémpla servórum tuórum, quos de mórtuis vivos féceras tamquam carbónes vastatóres.

Post Septuages., omissis Allelúja, et sequ. Versu dicitur Tractus. Beátus vir. de Communi Doct.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 19.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum

séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Credo.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur, allelúja.

Secreta.

Sancti Augustíni, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua Conversiónis ejus solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 11. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos, allelúja.

Postcommunio.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Augustínum ab errórum ténebris ad lucem evangélicæ veritátis adduxísti: da nobis quæsumus; ut qui ejus hódie Conversiónem cólimus, eódem precánte, dona tuæ grátiæ sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Die 11. Maji.

S. Joannis Damasceni Conf.

Introitus. Ps. 72.



TEnuísti manum déxteram meam: et in voluntáte tua deduxísti me, et cum glória suscepísti me, allelúja, allelúja.

Ps. Quam bonus Israël Deus his qui recto sunt corde!

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui, restitúta beáto Joánni Confessóri tuo mirabíliter déxtera, Imáginum sacrárum cultum in Ecclésia conservásti: ejus méritis et précibus indúlge; ut quorum Imágines cólimus in terris, eórum aspéctu dignémur in cœlis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 10.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam. Hæc pópulum justum, et semen sine queréla, liberávit a natiónibus, quæ illum deprimébant. Intrávit in ánimam servi Dei, et stetit contra reges horréndos in porténtis et signis. Et réddidit justis mercédem labórum suórum.

Allelúja, allelúja.

℣. Dóminus salvávit manum tuam tibi: quia prælia Dómini tu præliáris. Allelúja. ℣. Benedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et dígitos meos ad bellum. Allelúja.

Si festum celebretur post Pent. Graduale. Deus, qui præcínxit me virtúte: et pósuit immaculátam viam meam. ℣. Qui docet manus meas ad prælium: et posuísti, ut arcum æreum, bráchia mea: et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, et déxtera tua suscépit me.

Allelúja, allelúja.

℣. Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos: confríngam illos, nec póterunt stare: cadent subtus pedes meos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6.

In illo témpore: Factum est et in álio sábbato, ut intráret Jesus in synagógam, et docéret. Et erat ibi homo, et manus ejus dextra erat árida. Observábant autem scribæ et pharisæi, si in sábbato curáret: ut invenírent unde accusárent eum. Ipse vero sciébat cogitatiónes eórum: et ait hómini, qui habébat manum áridam: Surge, et sta in médium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Jesus: Intérrogo vos, si licet sábbatis bene fácere, an male; ánimam salvam fácere, an pérdere? Et circumspéctis ómnibus dixit hómini: Exténde manum tuam. Et exténdit: et restitúta est manus ejus. Ipsi autem repléti sunt insipiéntia, et colloquebántur ad ínvicem, quidnam fácerent Jesu.

Offertorium. Lignum habet spem, si præcísum fúerit, rursum viréscit, et rami ejus púllulant, allelúja.

Secreta.

Ut, quæ tibi Dómine offérimus, dona tuo sint digna conspéctu, beáti Joánnis et Sanctórum, quos ejus ópera expósitos in templis cólimus, pia suffragátio conspíret. Per Dóminum.

Communio. Bráchia peccatórum conteréntur, confírmat autem justos Dóminus, allelúja.

Postcommunio.

Sumpta nos, quæsumus Dómine, dona cœléstibus armis tueántur: et beáti Joánnis patrocínia circúmdent Sanctórum unánimi suffrágio cumuláta, quorum Imágines evícit in Ecclésia venerándas. Per Dóminum nostrum.

Die 12. Maji.

S. Joannæ Lusitanæ Virg.

Missa. Dilexísti. de Comuni Virg.

Oratio.

Deus, qui inter regáles delícias et mundi illécebras beátam Joánnam Vírginem tuam virtúte constántiæ roborásti: quæsumus; ut ejus intercessióne fidéles tui terréna despíciant, et ad cœléstia semper aspírent. Per Dóminum.

Die 13. Maji.

Dedicationis

B. Mariæ Virg. ad Martyres.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Introitus. Ps. 44.

Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis, adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia, et exsultatióne, allelúja, allelúja.

Ps. 95. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus: in ómnibus pópulis mirabília ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátam Maríam semper Vírginem, per passiónem tuam speciáli título Regínæ Mártyrum ab Ecclésia decorári tribuísti: concéde quæsumus; ut ejus muníti præsídiis cum hoste malígno fórtiter dimicántes

in terris, étiam a te felíciter coronári mereámur in cœlis: Qui vivis.

Léctio libri Regum. 3. Reg. 9.

Factum est cum perfecísset Sálomon ædifícium domus Dómini, appáruit ei Dóminus secúndo, sicut appárúerat ei in Gábaon. Dixítque Dóminus ad eum: Exaudívi oratiónem tuam, et deprecatiónem tuam, quam deprecátus es coram me. Sanctificávi domum hanc quam ædificásti, ut pónerem nomen meum ibi in sempitérnum, et erunt óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus. Tu quoque si ambuláveris coram me in simplicitáte cordis, et in æquitáte, et féceris ómnia quæ præcépi tibi, et legítima mea, et judícia mea serváveris; ponam thronum regni tui super Israël in sempitérnum, sicut locútus sum David patri tuo dicens: Non auferétur vir de génere tuo de sólio Israël.

Allelúja, allelúja.

℣. Num. 17. Virga Jesse flóruit, Virgo Deum et hóminem génuit, pacem Deus réddidit in se reconcílians ima summis. Allelúja.

℣. Apoc. 6. Vidi sub altáre Dei ánimas interfectórum propter nomen sanctum suum et propter testimónium quod habébant. Allelúja.

Si celebretur post Tempus Paschale dicitur

Graduale. ℣. Eccli. 24. Gyrum cœli circuívi sola, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti.

℣. ibid. Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram.

Allelúja, allelúja.

℣. Apoc. 6. Vidi sub altáre Dei ánimas interfectórum propter nomen sanctum suum, et propter testimónium quod habébant. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 19.

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium. Recordáre, Virgo mater, dum stéteris in conspéctu Dei, ut loquáris bona pro pópulo tuo, cum in tribulatióne ad te supplíciter clamáverit, et intercédas, ut avértat Dóminus indignatiónem suam ab eo, allelúja.

Secreta.

Accipe, quæsumus Dómine, múnera in hac festivitáte beátæ Maríæ semper Vírginis tibi dignánter obláta, et ejúsdem suffragántibus méritis ad salútis nostræ juvámen profícere concéde. Per Dñm.

Præfatio. Et te in festivitáte.

Communio. Regína mundi, digníssima María, Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace, et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum Salvatórem ómnium, allelúja.

Postcommunio.

Pretiósi Córporis et Sánguinis tui, Dómine, sacraménto roboráti quæsumus: ut sanctíssimæ Genitrícis tuæ mérita præclára suscípiens, nulla nos umquam labe a te separári permíttas: Qui vivis.

Die 14. Maji.

B. Ægydii Confessoris.

Pro Patriarchatu et diœcesi Visensi.

Missa. Os justi. de Comuni Conf. non Pont., præter Orat. seq.

Oratio.

Misericórdiam tuam, Deus, súpplices implorámus: ut sicut, ea præveniénte, beátum Ægýdium in viam justítiæ et sanctitátis redíre fecísti; ita nos e servitúte ac morte peccáti in perféctam tránsferas libertátem et vitam. Per Dóminum.

Die 22. Maji.

B. Ritæ de Cassia Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart.

Feria VI. post Oct. Corp. Christi.

Sanctissimi Cordis Jesu.

Missa. Egredímini. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 12. Junii.

Vigilia **S. Antonii** Confessoris.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Fit de S. Joanne a S. Facundo, ut in Missali hac die, cum Comem. Vigiliæ.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et intercessióne beáti Antónii Confessóris tui, cujus prævenímus festivitátem, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

Oratio iii. de Ss. Basilide, Cyrino, etc. Mart. ut in Missali. Secreta, Postcommunio et in fine ultim. Evang. ex Missa. Justus ut palma. de Communi.

Ubi cantatur Missa Vigil. ii. Orat. erit Concéde. iii. Ecclésiæ. vel pro Papa, et Missa. Justus ut palma. de Communi Conf. non Pont.

Die 13. Junii.

Sancti Antonii Confessoris.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Missa. In médio. ut in Festo S. Thomæ Aquinatis, die 7. Martii, præter seq.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui solémnitas votíva lætíficet: ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gaúdiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

Dic. Credo. per totam Oct., etiam in festis infra eam occurrentibus.

Secreta.

Præsens oblátio fiat, Dómine, pópulo tuo salutáris: pro quo dignátus es Patri tuo te vivéntem hóstiam immoláre: Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

Postcommunio.

Divínis, Dómine, munéribus satiáti, quǽsumus: ut beáti Antónii Confessóris tui méritis, et intercessióne, salutáris sacrifícii sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Infra Octav. dicitur eadem Missa. Oratio ii. Concéde. iii. Ecclésiæ. vel pro Papa.

In die Octava, Missa ut in Festo.

Die 17. Junii.

B. Teresiæ Reginæ, Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart.

Oratio.

Deus, qui ad Ecclésiam tuam novis semper virtútum exémplis imbuéndam, beátam Terésiam, mundáno principátu despécto, ad humilitátis tuæ sectánda vestígia toto corde transíre fecísti: concéde supplícibus tuis; ut terrénis ómnibus ipsíus imitatióne contémptis, in sola crucis tuæ sequéla gloriári perpétuo mereántur: Qui vivis.

Dominica ultima Junii.

Puritatis B. Mariæ Virg.

Introitus.

BEáta es, Virgo María, quæ ómnium portásti Creatórem: genuísti, qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. Ps. 44. Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi: afferéntur in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum Regis. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens ætérne Deus: ut puríssimæ Vírginis Maríæ integérrimam virginitátem festíva celebritáte venerántes, ejus intercessióne puritátem mentis et córporis consequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Coñem. Dominicæ occurr.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cant. 2. c.

EN diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra: tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ: osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale. Cant. 2. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias.
℣. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

Allelúja, allelúja. ℣. Cant. 6. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1. c.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus, et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Credo.

Offertorium. Post partum, Virgo, invioláta permansísti: Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Secreta.

Deus, qui de virgináli beátæ Maríæ útero unigénitum Fílium tuum carnem suscípere voluísti: præsta quæsumus; ut contra dæmonum insídias puríssimæ Vírginis assídua protectióne muniámur. Per eúmdem Dóminum.

Secreta Dominicæ occurr.

Præfatio de B. M. Et te in Festivitáte puríssimæ Vírginis Maríæ.

Comūnio. Benedícta et venerábilis es, Virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, puríssimæ Vírginis Maríæ patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Alia Postcomūnio de Dom. occurr.

In fine legitur Evang. Dominicæ.

Die 4. Julii.

S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ, Viduæ.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre beátæ Elísabeth Regínæ, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 118. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Clementíssime Deus, qui beátam Elísabeth Regínam inter céteras egrégias dotes béllici furóris sedándi prærogatíva decorásti: da nobis ejus intercessióne, post mortális vitæ, quam supplíciter pétimus, pacem, ad ætérna gaúdia perveníre. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 26.

Grátia super grátiam, múlier sancta et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus. Lucérna splendens super candelábrum sanctum, et spécies faciéi super ætátem stábilem. Colúmnæ aúreæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris. Fundaménta ætérna super petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

Graduale. Ps. 44. Concupívit Rex decórem tuum: quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Allelúja, allelúja.

℣. Aspice, quæ sólio résides Regína supérno, nos quondam hic pópulos, Elisabélla, tuos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndū Matthǽum. Matth. 13. f.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro, quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quæréntí bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni género píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. In-

tellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Et dicitur Credo, dum durat Octava Apost. tantum.

Offertorium. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo.

Secreta.

Deus, qui in honórem beátæ Elísabeth Regínæ has tibi solémnes hóstias offérri voluísti: da nobis; ut ejus vestígia secúti, et oratióne adjúti, tibi, cui servíre regnáre est, toto corde serviámus in terra, ac tecum regnémus in cœlo. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis, dum durat Octava Apost.

Communio. Astitit Regína a déxteris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Postcommunio.

Regáli ac sacro convívio, Dómine Jesu Christe, in quo tu es ipse verus cibus et potus, nos quǽsumus dignos effíciat, et cáritas tua imménsa, et beátæ Elísabeth Regínæ intercéssio gloriósa: Qui vivis et regnas.

Die 7. Julii.

S. Pulcheriæ Imperat., Virg.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis, Dominica II. Julii, cum Commem. Octavæ S. Elisabeth.

Die 8. Julii.

S. Laurentii a Brundusio Conf.

Pro sola civitate Olisiponensi.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis, die 7. Julii.

Die 15. Julii.

Bb. Quadraginta Martyrum **Ignatii de Azevedo** et **Sociorum** Societatis Jesu.

Missa. Intret. de Comuni plurim. Mart. 1. loco, præter Orat. seq.

Oratio.

Omnípotens ætérne Deus, qui nos in beáto Ignátio et Sóciis ejus, quadragínta Mártyrum palmas sub una tríbuis solemnitáte venerári: concéde propítius; ut quorum in cœlis glóriam læti suspícimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum.

Secreta.

Súscipe, Dómine, acceptíssimum Unigéniti tui sacrifícium: ac beáto Ignátio et Sóciis ejus intercedéntibus, præsta; ut quod illos roborávit ad pugnam, nos effíciat in tuo servítio atque amóre fervéntes. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Fidem in nobis, Dómine, quam de miseréntis grátiæ tuæ múnere suscépimus, aúgeant hæc sancta mystéria: nosque ad eam contra spirituália nequítiæ colluctántes profiténdam, beatórum Ignátii et Sociórum ejus exémpla confírment. Per Dóminum.

Die 20. Julii.

S. Martialis Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. Et fit Commem. S. Margaritæ Virg. et Mart. ex Missa. Me exspectavérunt. de Communi Virg. et Mart.



Dominica III. Julii.

S. Angeli Custodis Regni Lusitani.

Introitus. Ps. 90.



Ngelis suis Deus mandávit de te: ut custódiant te in ómnibus viis tuis: in mánibus portábunt te: ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Ps. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui ineffábili providéntia unicuíque regno singulárem Angelum ad custódiam deputásti: concéde quæsumus; ut Angeli Regni nostri Custódis précibus et patrocíniis ab ómnibus semper eruámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Domin. occurr.

Léctio libri Regum. 4. Reg. 19.

IN diébus illis: Misit Isaías fílius Amos ad Ezechíam dicens: Hæc dicit Dóminus de Rege Assyriórum: Non ingrediétur urbem hanc, nec mittet in eam sagíttam, nec occupábit eam clýpeus, nec circúmdabit eam munítio. Per viam, qua venit, revertétur: et civitátem hanc non ingrediétur, dicit Dóminus. Protegámque urbem hanc, et salvábo eam propter me, et propter David servum meum. Factum est ígitur in nocte illa, venit Angelus Dómini, et percússit in castris Assyriórum centum octogínta quinque míllia. Cumque dilúculo surrexísset, vidit ómnia córpora mortuórum: et recédens ábiit, et revérsus est Sennácherib rex Assyriórum.

Graduale. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: et erípiet eos. ℣. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et de ómnibus tribulatiónibus eórum liberábit eos.

Allelúja, allelúja.

℣. Adoráte Dóminum omnes Angeli ejus: quóniam custódiet Dóminus ánimas servórum suórum, et de manu peccatóris liberábit eos. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 2.

IN illo témpore: Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futúrum est enim, ut Heródes quærat Púerum ad perdéndum eum. Qui consúrgens, accépit Púerum et Matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum: et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam, dicéntem: Ex Ægýpto vocávi Fílium meum. Credo.

Offertorium. Afférte Dómino omnes Angeli ejus, afférte Dómino glóriam et honórem: adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Secreta.

Súscipe, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, hæc múnera, quæ tibi supplicántes offérimus: ut Angelo nostro suffragánte Custóde, a cunctis muniámur advérsis. Per Dóminum.

Commemoratio Dominicæ.

Communio. Pluit Dóminus de cœlo manna ad manducándum, panem cœli dedit eis: panem Angelórum manducávit homo, allelúja.

Postcommunio.

Prosint nobis, Dómine, ad salútem córporis et ánimæ sacra-

ménta, quæ súmpsimus: ut angélica opituláante Custódia, a cunctis perículis liberáti, cœléstium donórum mereámur esse partícipes. Per Dñm.

Commemoratio Dominicæ, cujus Evangelium legitur in fine.

Die 6. Augusti.

Ss. Salvatoris Titularis Ecclesiæ Patroni Lisbonensis.

Missa ut in Missali, in Transfig. Domini sub hac die.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Missa. Os justi. de Comuni Conf. non Pont. Oratio ut in Missali pro aliquibus locis.

Dominica post Octavam Assumpt.

Ss. Cordis B. Mariæ Virg.

Missa Vot. a Pentecoste usque ad Adventum. Credo. Præfatio. Et te in festivitáte.

Die 4. Septembris.

S. Rosæ Viterbiensis Virg.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 16. Septembris.

Translationis **S. Vincentii** Mart.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Introitus. Ps. 63.

LÆtábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde.

Ps. Exáudi Deus, oratiónem meam, cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui gloriósi Mártyris tui Vincéntii corpus ad nos transférri voluísti: præsta, quǽsumus; ut ejus précibus in ætérnam beatitúdinem transferámur. Per Dóminum.

In Missis privilegiatis Commem. Ss. Mart. Euphemiæ, etc. ut in Missali, hac die.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 1. b.

Caríssimi: Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. Nemo cum tentátur, dicat, quóniam a Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum est: ipse autem néminem tentat. Unusquísque vero tentátur a concupiscéntia sua abstráctus, et illéctus. Deínde concupiscéntia cum concéperit, parit peccátum: peccátum vero cum consummátum fúerit, génerat mortem. Nolíte ítaque erráre, fratres mei dilectíssimi. Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ ejus.

Graduale. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit,

multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam; et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Dicitur Credo.

Offertorium. Glória, et honóre coronásti eum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

Oblátis, quǽsumus Dómine, placáre munéribus, et intercedénte beáto Vincéntio Mártyre tuo, a cunctis nos defénde perículis. Per Dñm.

Communio. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Tui, Dómine, perceptióne sacraménti: et a nostris mundémur occúltis, et ab hóstium liberémur insídiis. Per Dóminum.

Die 17. Septembris.

S. Petri de Arbues Martyris.

Missa. In virtúte. de Communi unius Mart. non Pont., cum Evangelio. Nihil est opértum. ex Missa. Lætábitur.

Oratio.

Præsta quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro ejúsdem fídei defensióne martýrii palmam méruit obtinére. Per Dóminum.

Die 1. Octobris.

Ss. Verissimi, Maximæ et **Juliæ** Martyrum.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Missa. Intret. de Communi plur. Mart. 1. loco, præter seq.

Oratio.

Deus, qui nos ad sanctórum Mártyrum tuórum Veríssimi, Máximæ, et Júliæ solemnitátem tríbuis perveníre: concéde quǽsumus; ut quorum natalítia celebrámus, eórum étiam accendámur exémplis. Per Dóminum.

Graduale. Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja.

℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúja.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta nobis, quǽsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Veríssimo, Máxima, et Júlia: ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dñm.

Dominica II. Octobris.

Patrocinii S. Joseph Sponsi B. Mariæ Virg.

Introitus. Ps. 30.

ESto mihi in protectórem, et in domum refúgii, ut salvum me fácias: quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu: et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Ps. 30. Quóniam tu es protéctor meus: in manus tuas comméndo spíritum meum. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Prótege, Dómine, pópulum tuum, et beáti Joseph Genitrícis tuæ Sponsi patrocínio confidéntem perpétua defensióne consérva: Qui vivis et regnas.

Et fit Commem. Dominicæ occurrentis.

Léctio libri Génesis.
Gen. 39.

Fuit Dóminus cum Joseph, et erat vir in cunctis próspere agens: habitavítque in domo dómini sui, qui óptime nóverat Dóminum esse cum eo, et ómnia, quæ géreret, ab eo dírigi in manu illíus. Invenítque Joseph grátiam coram dómino suo, et ministrábat ei, a quo præpósitus ómnibus gubernábat créditam sibi domum, et univérsa quæ ei trádita fúerant: benedixítque Dóminus dómui Ægýptii propter Joseph; et multiplicávit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substántiam.

Graduale. Protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo?
℣. Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum: si exsúrgat advérsum me prælium, in hoc ego sperábo.

Allelúja, allelúja.
℣. Quóniam tu es protéctor meus: in manus tuas comméndo spíritum meum. Allelúja.

Post Septuag. Tractus. Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis velut ovem Joseph.
℣. Víneam de Ægýpto transtulísti: ejecísti gentes, et plantásti eam.
℣. Ut quid vindémiant eam omnes, qui prætergrediúntur viam? Exterminávit eam aper de silva: et singuláris ferus depástus est eam.
℣. Réspice de cœlo, et vide, et vísita víneam istam: et pérfice eam.

Temp. Paschali. Allelúja, allelúja.
℣. Quóniam tu es protéctor meus: in manus tuas comméndo spíritum meum. Allelúja. ℣. In médio umbræ mortis non timébo mala: quóniam tu mecum es. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Lucæ 2.

Cum factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt Paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant super prudéntia et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad illos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

Dicitur Credo.

Offertorium. Deus fecit me quasi patrem Regis, et univérsæ domus ejus, ac príncipem in omni terra Ægýpti.

Secreta.

Hóstiam, Dómine, quam offérimus, placatiónis et laudis beáti Joseph Patróni nostri gloriósa mérita tibi reddant accéptam: cujus obséquium unigénitus Fílius tuus cleménter suscépit impénsum: Qui tecum vivit et regnat.

Fit Commem. Dominicæ occurr.

Communio. Descéndit Jesus cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

Postcommunio.

Humilitátis nostræ múnera, omnípotens Deus, óculis tuæ majestátis obtúlimus: illíus confísi patrocínio, cui, velut Patri, unigénitus Fílius tuus ineffábili dignatióne súbdere se non recusávit: Qui tecum vivit et regnat.

Commem. Dominicæ et ejus Evangelium in fine.

Die 20. Octobris.

S. Irenæ Virginis et Martyris.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Missa. Me exspectavérunt. de Communi Virg. et Mart.

Oratio.

Deus qui cœlésti indício beátam Irénam Vírginem et Mártyrem tuam ab infámia liberásti: concéde propítius; ut ejus méritis, et précibus a peccatórum nostrórum máculis emundémur. Per Dóminum.

Evangelium. Símile erit ... decem virgínibus. de eodem Com̃. 1. loco.

Die 25. Octobris.

Ss. Crispini et **Crispiniani** Mart.

Pro Patriarchatu Lisbonensi.

Missa. Intret. de Com̃uni plurim. Mart. 1. loco, præter sequentia.

Oratio.

Adésto, Dómine, pópulo tuo, ut beatórum Mártyrum tuórum Crispíni et Crispiniáni mérita præclára suscípiens, ad impetrándam misericórdiam tuam semper eórum patrocíniis adjuvétur. Per Dñm.

Et fit Commem. Ss. Chrysanthi, etc. Mart. ut in Missali, hac die.

Graduale. Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja.

℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúja.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera propítius obláta, quæ majestáti tuæ beatórum Mártyrum tuórum Crispíni, et Crispiniáni comméndet orátio. Per Dóminum.

Postcommunio.

Puríficent nos, Dómine, sacraménta, quæ súmpsimus: et intercedéntibus beátis Martýribus tuis Crispíno, et Crispiniáno, a cunctis effíciant vítiis absolútos. Per Dóminum.

Die 29. Octobris.

Translationis **S. Elisabeth** Reginæ Portugalliæ.

Missa. Gaudeámus omnes. ut supra, die 4. Julii. fol. 15. sine Credo. Præfatio communis.

Oratio.

Deus, ómnium largítor donórum, qui hunc diem beátæ Elísabeth veneránda Translatióne illustrásti: quǽsumus; ut ejus précibus et intercessióne nos de terrénis ad consórtia tránsferas Beatórum. Per Dóminum.

Die 2. Novembris.

In Commem. **Omnium Fidelium Defunctorum.**

Tres Missæ.

Prima Missa dicitur, ut in Missali hac die.

Secunda Missa dicitur, ut in eodem Missali in Anniversario Defunctorum, cum Sequentia. Dies iræ, dies illa, etc. et Orationibus ut infra.

Oratio.

Deus indulgentiárum Dómine: da animábus famulórum famularúmque tuárum refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

Secreta.

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris pro animábus famulórum famularúmque tuárum, pro quibus tibi offérimus sacrifícium laudis: ut eas Sanctórum tuórum consórtio sociáre dignéris. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quǽsumus Dómine: ut ánimæ famulórum famularúmque tuárum, his purgátæ sacrifíciis, indulgéntiam páriter et réquiem cápiant sempitérnam. Per Dñm.

Ad tertiam Missam.

Omnia prout in Missali, in Missis quotidianis Defunct., cum Seq. Dies iræ, etc. et Orationibus ut infra.

Oratio.

Deus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor, quǽsumus cleméntiam tuam: ut ánimas famulórum famularúmque tuárum, quæ ex hoc sǽculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas. Per Dóminum.

Secreta.

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ: et animábus ómnium Fidélium Defunctórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc Sacraménta salútis nostræ cunctórum remissiónem tríbue peccatórum. Per Dñm.

Postcommunio.

Præsta, quǽsumus omnípotens et miséricors Deus: ut ánimæ famulórum famularúmque tuárum, pro quibus hoc Sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem Sacraménti a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem. Per Dóminum.


Die 16. Novembris.

B. Gundisalvi de Lagos Conf.

Missa. Os justi. de Comuni Conf. non Pont.

Oratio.

Deus virtútum, qui beátum Gundisálvum Confessórem tuum ánimi demissióne, morum candóre, ac singulári caritáte mirábilem effecísti: concéde quǽsumus; ut ejus exémpla imitántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.



COLLECTA

PRO

REGNIS PORTUGALLIÆ, ALGARBIÆ & BRASILIÆ.

ET fámulos tuos Papam nostrum N. Antístitem nostrum N. Regem nostrum N. Regínam et Príncipem cum prole Régia, pópulo sibi commísso, et exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi: pacem et salútem nostris concéde tempóribus, et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam: paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne. Per Dóminum, sive Per eúmdem, vel Qui vivis. Quando Oratio concludit. Qui tecum vivit, dicendum est Per eúmdem.

Quando dicitur Oratio, A cunctis.

ET fámulos tuos Papam nostrum N. Antístitem nostrum N. Regem nostrum N. Regínam et Príncipem cum Prole Régia, pópulo sibi commísso, et exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi: paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

Quando dicitur Oratio. Ecclésiæ.

ET fámulos tuos Papam nostrum N. Antístitem nostrum N. Regem nostrum N. Regínam et Príncipem cum prole Régia, pópulo sibi commísso, et exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi: pacem et salútem nostris concéde tempóribus: paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

Quando cantatur Missa pro Pace.

ET fámulos tuos Papam nostrum N. Antístitem nostrum N. Regem nostrum N. Regínam et Príncipem cum prole Régia, pópulo sibi commísso, et exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi, et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam: paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

℟ In Patriarchatu mutatur Antístitem in Patriárcham.

Imprimi permittitur.

Ratisbonæ, die 25. Sept. 1885.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Gener.

Index Alphabeticus.

Ratisbonæ 1885. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apostolicæ Typographi.

Die 1. Martii.

B. Joannis de Britto Martyris.

Introitus. Ps. 63.


Ætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui ad fidem cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem Mártyrem tuum invícta constántia roborásti: ipsíus méritis et intercessióne concéde; ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

Et fit comm. Feriæ, si venerit in Quadrag.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2. Tim. 2. et 3.

Caríssime: Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam.

℣. Tota die miserétur, et cómmodat; et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúja, allelúja.

℣. Joann. 8. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris: sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Mártyris tui Joánnis suffragántibus méritis concéde; ut passióni et morti unigéniti Fílii tui configuráti, resurrectiónis quoque, et glóriæ consórtes éffici mereámur: Qui tecum vivit et regnat.

Communio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur; et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

Redemptiónis humánæ pígnore sacro per hæc mystéria reфécti, te, Dómine, súpplices exorámus: ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáto Joánne Mártyre tuo intercedénte, véniam consequámur et pacem. Per Dóminum nostrum.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 7. Martii 1890.

G. Erlenborn, Vicarius in Spirit. Generalis.

Ratisbonæ 1890. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Die 11. Februarii.

B. Joannis de Britto Martyris.

Missa. Lætábitur. *de Communi, praeter Orationes sequentes.*

Oratio.

Deus, qui ad fidem Cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem Mártyrem tuum invícta constántia roborásti: ipsíus méritis et intercessióne concéde; ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

Si venerit in Quadragesima, fit commemoratio Feriae, cum Evang. ejusdem in fine.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera dignánter obláta, et beáti Mártyris tui Joánnis suffragántibus méritis concéde; ut Passióni et morti Unigéniti Fílii tui configuráti, resurrectiónis quoque et glóriæ consórtes éffici mereámur. Qui tecum.

Postcommunio.

Redemptiónis humánæ pígnore sacro per hæc mystéria reſécti, te, Dómine, súpplices exorámus, ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáto Joánne Mártyre tuo intercedénte, véniam consequámur et pacem. Per eúmdem Dóminum.

Die 3. Aprilis.

S. Benedicti a S. Philadelpho Confessoris.

Missa. Justus ut palma. *de Communi Conf. non Pont.*

Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum Confessórem tuum cœléstibus donis locupletásti, eúmque in Ecclésia tua signis et virtútibus clarére fecísti: præsta quǽsumus; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

In Quadragesima fit Commemoratio Feriae cum ejusdem Evangelio in fine.

Die 15. Julii.

Bb. Ignatii de Azevedo et Sociorum Martyrum Brasiliensium.

Introitus. *Ps. 78.*



Ntret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est.

Ps. ibid. Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

℥ *Pro Diœcesi S. Salvatoris.*

Omnípotens ætérne Deus, qui nos in beáto Ignátio et Sóciis ejus * (ad prædicándam Brasíliæ géntibus Cathólicam fidem missis) * quadragínta Mártyrum palmas sub una tribuísti solemnitáte venerári; concéde propítius, ut quorum in cœlis glóriam læti suspícimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum.

℥ *In aliis locis ubi concessa fuerit haec ipsa Missa, omittenda est parenthesis in Oratione supra.*

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 3.

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et æstimáta est

afflíctio éxitus illórum: et quod a nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocaústi hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale. Exodi 15. Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja.

℣. *Eccli. 44.* Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatiónem, et generatiónem. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrimis, in gaúdio metent.

℣. Eúntes ibant, et flebant, mitténtes sémina sua.

℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 21. b.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta.

Súscipe, Dómine, acceptíssimum Unigéniti tui sacrifícium, ac beáto Ignátio et Sóciis ejus intercedéntibus præsta; ut quod illos roborávit ad pugnam, nos effíciat in tuo servítio atque amóre fervéntes. Per eúmdem Dóminum.

Communio. Sap. 3. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocaústa accépit eos.

Postcommunio.

Fidem in nobis, Dómine, quam de miseréntis grátiæ tuæ múnere suscépimus, aúgeant hæc sancta

mystéria: nosque ad eam contra spirituália nequítiæ colluctántes profiténdam, beatórum Ignátii et Sociórum ejus exémpla confírment. Per Dóminum.

Dominica IV. Octobris.

B. Mariæ Virg. de Pietate.

Introitus.

PLangámus omnes cum Dómino diem mœstíssimum recoléntes, quo compássa est Mater ejus ex dolóre Passiónis suæ, pro qua amáre flebant Sancti, et plorábant omnes fílii Dei.

Ps. 136. Super flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus: dum recordarémur tui Sion.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, cujus acerbíssimæ Passiónis gládius piíssimæ Matris tuæ ánimam sic penetrávit, quod eam plusquam Mártyrem fecit: tríbue quǽsumus; ita nos dolórum ejus in terris memóriam ágere, ut ad contemplánda illíus gaúdia in cœlis mereámur perveníre. Qui vivis.

Et fit Com. Dominicæ.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.

Thren. 1.

Facta est quasi vídua Dómina géntium: plorans plorávit in nocte, et lácrymæ ejus in maxíllis ejus: non est qui consolétur eam ex ómnibus caris ejus. Omnes persecutóres ejus apprehendérunt eam inter angústias: et ipsa oppréssa est amaritúdine. Egréssus est a fília Sion omnis decor ejus. Depósita est veheménter, non habens consolatórem. Manum suam misit hostis ad ómnia desiderabília ejus. Ipsa autem gemens convérsa est retrórsum.

Graduale. Thren. 3. Vidi Fílium meum in cruce quasi leprósum, et non erat ei aspéctus, neque decor, qui factus est in derísum omni pópulo cánticum eórum tota die.

℣. Atténdite univérsi pópuli, et vidéte dolórem meum.

Allelúja, allelúja.

℣. Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, et defécit spíritus meus. Allelúja.

Post Septuag. omisso Allelúja, *et* ℣. *sequenti dicitur Tractus ex Missali in Festo Dolorum post xiii. Mart.*

Temp. Pasch. omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Laborávi clamans; raucæ factæ sunt fauces meæ, et defécit spíritus meus. Allelúja.

Thren. 1. ℣. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte si est dolor sicut dolor meus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. *Joann. 19.*

IN illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus Matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit Matri suæ: Múlier, ecce Fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Póstea sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, ob-

tulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite, trádidit spíritum.

Credo.

Offertorium. Captivórum liberátor tráditur, Angelórum glória illúditur, Deus deórum flagellátur: spéculum sine mácula, et candor lucis ætérnæ conspúitur: ómnium vivéntium vita occíditur, et cœlórum Regína unigénito Fílio suo viduátur.

Secreta.

Deus, cui in crucis ara Dóminus noster Jesus Christus se ipsum pro nobis hóstiam immolávit, et piíssimam Matrem suam juxta crucem stantem, dilécto discípulo suo commendávit: concéde nobis; ita utriúsque dolóres devóta mente recólere, ut gaudiórum quoque mereámur esse partícipes. Per eúmdem Dóminum.


Praéfatio de B. Maria. Et te in Compassióne.

Communio. Vide Dómine afflictiónem meam, quóniam inundavérunt aquæ tribulatiónum super caput meum: magna est velut mare contrítio mea.

Postcommunio.

Præsta quǽsumus, Dómine Jesu Christe: ut qui amantíssimas mœstíssimæ Matris tuæ angústias de tua horríbili morte meditámur, ejus quoque solátii de triumphánti Resurrectióne, et ætérna glória tua perfruámur. Qui vivis et regnas cum Deo.

In fine Missæ Evang. Dominicæ.



MISSÆ PROPRIÆ
DIŒCESIS BELEMEN DE PARA.

Die 4. Decembris.
S. Barbaræ Virg. et Mart.
Missa ut in Appendice Missarum eadem die.

Die 18. Decembris.
Exspectatio Partus B. M. V.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 23. Decembris.
S. Servuli Confessoris.
Missa. Os justi. de Comuni Conf. non Pont. Evang. Homo quidam. ex Feria V. post Dom. II. Quadrag.

Die 15. Januarii.
S. Mauri Abbatis.
Missa. Os justi. de Com. Abbat.

Die 16. Januarii.
Ss. Berardi et **Soc.** Mart. Maroch.
Missa ut in Propr. Portugall. eadem die.

Die 23. Januarii.
Desponsatio B. M. V. cum S. Joseph.
Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 28. Januarii.
B. Gundisalvi Confessoris.
Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Die 3. Februarii.
S. Ildephonsi Episc. et Conf.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 23. Januarii cum Oratione propria. Et fit comm. S. Blasii Ep. et Mart. ex Missa Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 6. Februarii.
S. Dorotheæ Virg. et Mart.
Missa. Me exspectavérunt. de Com. Virg. et Mart. 2. loco.

Die 9. Februarii.
S. Apolloniæ Virg. et Mart.
Missa. Loquébar. de Comm. Virg. et Mart. 1. loco.

Die 11. Februarii.
B. Joannis de Britto Mart.
Missa. Lætábitur. ut in Com. unius Mart. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui ad fidem cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem Mártyrem tuum invícta constántia roborásti: ipsíus méritis et intercessióne concéde; ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Mártyris tui Joánnis suffragántibus méritis concéde; ut passióni et morti unigéniti Fílii tui configuráti, resurrectiónis quoque, et glóriæ consórtes éffici mereámur: Qui tecum vivit.

Postcommunio.

Redemptiónis humánæ pígnore sacro per hæc mystéria refécti, te, Dómine, súpplices exorámus: ut qui peccatórum nostrórum

póndere prémimur, beáto Joánne Mártyre tuo intercedénte, véniam consequámur et pacem. Per Dñm.

Die 14. Februarii.

Ss. XXVI Mart. Japonens.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 5. Febr. Et fit commem. S. Valentini Martyr. ut in Missali hac die.

Die 18. Februarii.

S. Theotonii Confessoris.

Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Die 26. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona Pœnit.

Missa. Cognóvi. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Feria III. post Dom. Septuag.

Orationis D. N. Jesu Chr.

in monte Olivarum.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria III. post Dom. Sexages.

In Comem. **Passionis D. N. J. C.**

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Cineres.

Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag.

Sacr. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag.

Sacr. Sindonis D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag.

Sacr. Quinque Vulnerum D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag.

Pretios. Sanguinis D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Die 13. Martii.

B. Sanciæ Virginis.

Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 18. Martii.

S. Gabrielis Archangeli.

Missa. Benedícite. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 24. Martii.

Institutio **Ss. Corporis Christi.**

Missa. Cibávit. votiva de Ss. Eucharistiæ Sacramento, cum Glória, Sequéntia Lauda Sion (ut in Solemnitate Ss. Corp. Chr.), Credo et Præfatio de Nativitate Dñi.

Et fit com̃. Feriæ in Quadrag.

Die 26. Martii.

S. Boni Latronis Conf.

Missa ut in Appendice Missarum, omissis Allelúja et loco Allelúja et vers. sequ. dic. sequ.

Graduale. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

℣. Propter quod et Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Tractus. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi: quia per crucem tuam redemísti mundum. ℣. Tuam crucem adorámus Dómine, tuam gloriósam recólimus passiónem: miserére nostri, qui passus es pro

nobis. ℣. O crux benedícta, quæ sola fuísti digna portáre Regem cœlórum, et Dóminum.

Die 3. Aprilis.

S. Benedicti a S. Philadelpho Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pont. 2. loco præter Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum Confessórem tuum cœléstibus donis locupletásti, eúmque in Ecclésia tua signis et virtútibus clarére fecísti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Die 27. Aprilis.

S. Thuribii de Mogrovejo Episc. et Confessoris.

Missa. Státuit. de Com̃. Conf. Pont. Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, beáti Thuríbii Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi; ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dñm.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 50.

Ecce Conféssor magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio, et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis: et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens. Circa illum coróna fratrum, et quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua.

Feria II. post Dom. in Albis.

Gaudiorum B. M. V.

Ut in Propr. Portug. eadem feria.

Dom. IV. Aprilis.

Fugæ B. M. V. ad Ægyptum.

Ut in Propr. Portug. ead. Domin.

Dom. I. Maji.

Maternitatis B. M. V.

Missa ut in Propr. Portug. ead. Dom.

Die 2. Maji.

B. Maphaldæ Virg.

Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 5. Maji.

Conversio **S. Augustini** Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 12. Maji.

S. Joannæ Lusitanæ Virg.

Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 14. Maji.

B. Ægidii Confessoris.

Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 15. Maji.

S. Joannis Damasceni Conf.

Missa ut in Proprio Portugalliæ die 11. Maji.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Missa. Protexísti. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die 1. loco.

Die 22. Maji.

B. Ritæ de Cassia Viduæ.

Introitus. Ps. 117.



Períte mihi portas justítiæ, ingréssus in eas confitébor Dómino: lápidem, quem reprobavérunt, hic factus est in caput ánguli. Ps. Confitémini Dómino quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátæ Ritæ tantam grátiam conférre dignátus es, ut quæ te in dilectióne inimicórum suórum imitáta est, in corde et fronte caritátis et passiónis tuæ signa portáret: da nobis, quæsumus; ejus intercessióne et méritis inimícos nostros dilígere, et tuæ passiónis dolóres spina compunctiónis júgiter contemplári: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles. Símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum: en ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit: imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra: tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Ps. 45. Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

Temp. Pasch. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44. Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram. Allelúja. ℣. Ps. 20. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 13. f.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consum̃atióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Offertorium. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.**

Secreta.

Corda nostra, quǽsumus Dómine, beátæ Ritæ méritis, supérni dolóris spina confíge: ut a peccátis ómnibus tua grátia liberáti, sacrificáre tibi hóstiam laudis pura mente valeámus. Per Dóminum.

Communio. Ps. 20. **Prævenisti eam, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.**

Postcommunio.

Cœléstibus, Dómine, pasti delíciis, súpplices te rogámus; ut intercedénte beáta Rita, caritátis et passiónis tuæ in méntibus nostris signa ferámus, et perpétuæ pacis fructu júgiter perfruámur. Per Dñm.

Die 23. Maji.

S. Ivonis Confessoris.

Missa. **Justus ut palma.** de Com̃. Conf. non Pont. 2. loco cum Evang. **Sint lumbi.** ex Missa **Os justi.**

Oratio.

Deus, qui beátum Ivónem, Confessórem tuum, piis opéribus, signis et virtútibus in Ecclésia tua clarére fecísti: præsta quǽsumus; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Die 24. Maji.

B. Mariæ Virg. sub tit. **Auxilium Christianorum.**

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 30. Maji.

S. Felicis Pap. et Mart.

Temp. Pasch. Missa. **Protexísti.** de Comm. unius Mart. Pont. Extra temp. Paschale Missa. **Státuit.** de Comm. unius Mart. Pont. 1. loco.

Feria VI. post Oct. Corp. Chr.

Ss. Cordis Jesu.

Missa. **Egredímini.** ut inter festa pro aliqu. locis eadem feria.

Die 1. Junii.

S. Benedicti Josephi Labre Conf.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis die 16. Aprilis.

Die 2. Junii.

B. Mariæ Annæ a Jesu de Paredes Virginis.

Missa ut in Append. Miss. ead. die.

Die 13. Junii.
S. Antonii de Padua Conf.
Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die. Graduale tamen sumitur ex Missa de Com̃. Doct.

Die 17. Junii.
B. Teresiæ Reginæ Viduæ.
Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 20. Junii.
Octava **S. Antonii** Conf.
Missa ut in die festo.

Dominica I. Junii.
Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Diœcesis.
Missa. Terríbilis. ut in Communi Dedic. Eccl.

Dominica II. Junii.
Octava
Annivers. Dedic. OO. Eccl. Diœc.
Missa ut in festo.

Dominica ultima Junii.
Puritatis B. M. V.
Missa ut in Propr. Port. ead. Dom.

Die 4. Julii.
S. Elisabeth Reginæ Portug. Vid.
Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 7. Julii.
S. Pulcheriæ Imper. Virg.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis Dom. II. Julii cum commem. Octavæ S. Elisabeth.

Die 11. Julii.
Octava **S. Elisabeth.**
Missa ut in die festi.

Die 15. Julii.
Bb. Quadraginta Martyrum Ignatii de Azevedo et **Soc.** Soc. Jes.
Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens ætérne Deus, qui nos in beáto Ignátio et Sóciis ejus ad prædicándam Brasíliæ géntibus cathólicam fidem missis, quadragínta Mártyrum palmas sub una tríbuis solemnitáte venerári: concéde propítius; ut quorum in cœlis glóriam læti suspícimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum.

Die 26. Julii.
S. Joannis Bapt. de Rossi Conf.
Missa ut inter festa pro aliqu. locis die 23. Maji.

Dominica III. Julii.
S. Angeli Custodis Imperii Brasiliæ.
Missa ut in Proprio Portugalliæ ead. Dominica præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui ineffábili providéntia unicuíque regno singulárem Angelum ad custódiam deputásti: concéde quǽsumus; ut Angeli Impérii nostri Custódis précibus et patrocíniis ab ómnibus semper eruámur advérsis. Per Dóminum.

Dominica ultima Julii.
S. Annæ Matris B. M. V. Patronæ Civit. et Diœc. post S. Sebast.
Missa ut in Missali die 26. Julii. Et dicitur Credo per totam Octav.

Dominica I. Augusti.
Octava **S. Annæ Matris B. M. V.**
Missa ut in die festi.

Die 9. Augusti.
S. Emygdii Episc. et Mart.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 26. Augusti.

S. Claræ a Cruce de Montefalco Virginis.

Missa ut in Appendice Missarum die 18. Augusti.

Die 30. Augusti.

S. Rosæ de S. Maria Virg. Limanæ.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes, sub honóre beátæ Rosæ Vírginis: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Bonórum ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam cœléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis, et patiéntiæ decóre, Indis floréscere voluísti: da nobis fámulis tuis; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit com̃. in Missis privatis Ss. Felicis et Adaucti Mart. ut in Missali hac die.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. Cor. 10. et 11.

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est: sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ: sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale. Ps. 44. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur. ℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei, sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 50. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ: et quasi flos rosárum in diébus vernis. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo: quod mínimum quidem est ómnibus semínibus: cum autem créverit, majus est ómnibus oléribus, et fit arbor, ita ut vólucres cœli véniant, et hábitent in ramis ejus. Aliam parábolam locútus est eis. Símile est regnum cœlórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. Hæc ómnia locútus est Jesus in parábolis ad turbas: et sine parábolis non loquebátur eis: ut implerétur quod dictum erat per Prophétam dicéntem: Apériam in parábolis os meum, eructábo abscóndita a constitutióne mundi.

Offertorium. Eccli. 39. Obaudíte me, divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte: quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.

Secreta.

Accéptæ sint tibi, Dómine, laudis hóstiæ, quas humíliter immolámus, beátæ Rosæ Vírginis fragrántia perfúsas: ut illi cónferant ad honórem; et nobis propitiatóriæ reddántur ad salútem. Per Dñm.

Communio. Eccli. 39. Floréte flores quasi lílium, et collaudáte cánticum: et benedícite Dóminum in opéribus suis.

Postcommunio.

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ, beátæ Rosæ Vírginis suavitátem redoléntes: ut cœléstibus dápibus temporáliter recreáti, ætérni convívii dulcédine perfruámur. Per Dóminum.

Quando celebratur de beata Rosa ex voto, vel devotione per annum, Officium tempore Paschali fit ut supra, addito Allelúja, post Introitum, Offertorium, et Coñunionem et loco Gradualis dicitur

Allelúja, allelúja.

℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ: et quasi flos rosárum in diébus vernis. Allelúja.

℣. Matth. 28. Surréxit Christus, et occúrrens muliéribus, ait: Avéte. Tunc accessérunt, et tenuérunt pedes ejus. Allelúja.

Tempore Ascensionis, post secundum Allelúja.

℣. Eph. 4. Ascéndens Christus in altum, captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Allelúja.

Extra tempus Paschale.

Introitus. Ps. 44.



Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem, proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Ps. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Cetera ut supra, nisi quod infra Septuag. dicitur

Graduale. Ps. 44. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur.

℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei, sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Et omissis Allelúja, et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.

℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi.

℣. Afferéntur in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum regis.

Cetera ut in die.

Dom. post Oct. Assumpt. B. M. V.

Ss. Cordis B. M. V.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis Domin. III. post Pentec.

Dominica I. Sept.

B. M. V. vulgo de Penha.

Missa. Salve sancta parens. ut in Missis votivis B. M. V. a Pentec. usque ad Adventum cum coñem. Domin. Et dicitur Credo et Præf. de B. Maria. Et te in Festivitáte. In fine legitur Evang. Dom. occurr.

Die 4. Septembris.

S. Rosæ Viterbiensis Virg.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 6. Septembris.

Octava **S. Rosæ Limanæ** Virg.

Missa ut in festo.

Die 7. Septembris.

S. Petri Claver Confessoris.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 9. Sept.

Die 11. Septembris.

Bb. Caroli Spinolæ et **Soc.** Mart. Soc. Jesu.

Missa ut in festo Ss. Mauritii et Soc. Mart. die 22. huj., præter Orationes sequ.

Oratio.

Annue, quǽsumus omnípotens Deus: ut beatórum Mártyrum tuórum Cároli et Sociórum ejus, nos lætíficet festíva solémnitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Oct., ac Ss. Proti et Hyacinthi Mm. ut in Missali.

Secreta.

Réspice, quǽsumus Dómine, múnera, quæ in beatórum Mártyrum tuórum Cároli et Sociórum ejus commemoratióne deférimus: et præsta; ut, quorum honóre sunt grata, eórum nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti sacraméntis et gaúdiis: súpplices te rogámus, Dómine; ut quorum gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum.

Die 25. Septembris.

S. Petri de Arbues Mart.

Missa ut in Proprio Portugalliæ die 17. Sept.

Dominica II. Octobris.

Prodigiorum B. M. V.

Missa. Salve sancta parens. ut in Missa votiva B. M. V. a Pentec. usque ad Adventum cum commem. Dominicæ occurr. Dicitur Credo et Præf. B. Mariæ. Et te in Festivitáte. In fine legitur ultimum Evangelium Dominicæ.

Die 10. Octobris.

S. Francisci Borgiæ Conf.

Missa ut in Missali eadem die.

Die 17. Octobris.

B. Margaritæ M. Alacoque Virg.

Missa ut in Appendice Missarum eadem die.

Die 19. Octobris.

S. Petri de Alcantara Conf. Patroni præcipui totius Imperii Brasiliæ.

Missa ut in Missali eadem die.

Dicitur Credo per totam Octav.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Soc.** Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. et Mart. cum Orationibus ut in Missali hac die.

Die 22. Octobris.

B. Gundisalvi de Lagos Conf.

Missa ut in Proprio Portugalliæ die 16. Nov.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Missa ut inter festa pro aliqu. loc. eadem die.

Die 25. Octobris.

Ss. Crispini et **Crispiniani** Mart.

Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Die 26. Octobris.

Octava **S. Petri de Alcantara** Conf.

Missa ut in die festi.

Die 29. Octobris.

Translatio **S. Elisabeth** Reginæ et Viduæ.

Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Communio. Eccli. 39. Floréte flores quasi lílium, et collaudáte cánticum: et benedícite Dóminum in opéribus suis.

Postcommunio.

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ, beátæ Rosæ Vírginis suavitátem redoléntes: ut cœléstibus dápibus temporáliter recreáti, ætérni convívii dulcédine perfruámur. Per Dóminum.

Quando celebratur de beata Rosa ex voto, vel devotione per annum, Officium tempore Paschali fit ut supra, addito Allelúja, post Introitum, Offertorium, et Comunionem et loco Gradualis dicitur

Allelúja, allelúja.

℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ: et quasi flos rosárum in diébus vernis. Allelúja.

℣. Matth. 28. Surréxit Christus, et occúrrens muliéribus, ait: Avéte. Tunc accessérunt, et tenuérunt pedes ejus. Allelúja.

Tempore Ascensionis, post secundum Allelúja.

℣. Eph. 4. Ascéndens Christus in altum, captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Allelúja.

Extra tempus Paschale.

Introitus. Ps. 44.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem, proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Ps. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Cetera ut supra, nisi quod infra Septuag. dicitur

Graduale. Ps. 44. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur.

℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei, sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Et omissis Allelúja, et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.

℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi.

℣. Afferéntur in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum regis.

Cetera ut in die.

Dom. post Oct. Assumpt. B. M. V.

Ss. Cordis B. M. V.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis Domin. III. post Pentec.

Dominica I. Sept.

B. M. V. vulgo de Penha.

Missa. Salve sancta parens. ut in Missis votivis B. M. V. a Pentec. usque ad Adventum cum comem. Domin. Et dicitur Credo et Præf. de B. Maria. Et te in Festivitáte. In fine legitur Evang. Dom. occurr.

Die 4. Septembris.

S. Rosæ Viterbiensis Virg.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 6. Septembris.

Octava **S. Rosæ Limanæ** Virg.

Missa ut in festo.

Die 7. Septembris.

S. Petri Claver Confessoris.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 9. Sept.

Die 11. Septembris.

Bb. Caroli Spinolæ et **Soc.** Mart. Soc. Jesu.

Missa ut in festo Ss. Mauritii et Soc. Mart. die 22. huj., præter Orationes sequ.

Oratio.

Annue, quæsumus omnípotens Deus: ut beatórum Mártyrum tuórum Cároli et Sociórum ejus, nos lætíficet festíva solémnitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Oct., ac Ss. Proti et Hyacinthi Mm. ut in Missali.

Secreta.

Réspice, quæsumus Dómine, múnera, quæ in beatórum Mártyrum tuórum Cároli et Sociórum ejus commemoratióne deférimus: et præsta; ut, quorum honóre sunt grata, eórum nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti sacraméntis et gaúdiis: súpplices te rogámus, Dómine; ut quorum gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum.

Die 25. Septembris.

S. Petri de Arbues Mart.

Missa ut in Proprio Portugalliæ die 17. Sept.

Dominica II. Octobris.

Prodigiorum B. M. V.

Missa. Salve sancta parens. ut in Missa votiva B. M. V. a Pentec. usque ad Adventum cum commem. Dominicæ occurr. Dicitur Credo et Præf. B. Mariæ. Et te in Festivitáte. In fine legitur ultimum Evangelium Dominicæ.

Die 10. Octobris.

S. Francisci Borgiæ Conf.

Missa ut in Missali eadem die.

Die 17. Octobris.

B. Margaritæ M. Alacoque Virg.

Missa ut in Appendice Missarum eadem die.

Die 19. Octobris.

S. Petri de Alcantara Conf. Patroni præcipui totius Imperii Brasiliæ.

Missa ut in Missali eadem die.

Dicitur Credo per totam Octav.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Soc.** Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. et Mart. cum Orationibus ut in Missali hac die.

Die 22. Octobris.

B. Gundisalvi de Lagos Conf.

Missa ut in Proprio Portugalliæ die 16. Nov.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Missa ut inter festa pro aliqu. loc. eadem die.

Die 25. Octobris.

Ss. Crispini et **Crispiniani** Mart.

Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Die 26. Octobris.

Octava **S. Petri de Alcantara** Conf.

Missa ut in die festi.

Die 29. Octobris.

Translatio **S. Elisabeth** Reginæ et Viduæ.

Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Die 30. Octobris.

In commemoratione

Ss. quorum Corpora vel Reliquiæ

in Eccles. Diœces. asservantur.

Missa. **Multæ tribulatiónes.** ut inter festa pro aliqu. locis Dominica IV. Octobris.

Die 2. Novembris.

In Commemoratione

Omnium Fidelium Defunctorum.

Omnia ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Die 5. Novembris.

B. Martini de Porrez Conf.

Missa. **Os justi.** de Comm. Conf. non Pont. 1. loco.

Oratio.

Deus humílium celsitúdo, qui beátum Martínum Confessórem tuum ad cœléstia regna transíre fecísti: ejus méritis et intercessióne concéde; nos ejus humilitátem ita imitári in terris, ut cum ipso exaltári mereámur in cœlis. Per Dñm.

Evangelium. **Confíteor tibi, Pater.** ut in Missali, die 15. Januarii.

Dominica post Oct. Oo. Sanctorum.

Patrocinii B. M. V.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis Dom. II. Novembr.

Die 13. Novembris.

S. Stanislai Kostkæ Confess.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Index alphabeticus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 5. Junii 1888.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

Ratisbonæ 1888. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

MISSÆ PROPRIÆ
DIŒCESIS FUNCHALENSIS.

Die 27. vel 28. Januarii.

S. Leandri Episc. Conf. et C. R.

Missa. Státuit. de Communi Confessoris Pontificis.

Oratio.

Sempitérne Deus, qui hunc diem beáti Leándri Confessóris atque Pontíficis tui glória collustrásti: præsta nobis quæsumus; ut cujus celebritáte gaudémus, ejus patrocínio tuæ pietátis múnera consequámur. Per Dóminum.

Die 1. Maji.

S. Jacobi Minoris Apost. et Patroni Diœcesis.

Introitus. Ps. 63.



Rotexísti me Deus a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja.

Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui nos ánnua beáti Jacóbi Apóstoli tui solemnitáte lætíficas: præsta quæsumus; ut cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 1. c.

Caríssimi: Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ ejus. Scitis, fratres mei dilectíssimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum: tardus autem ad loquéndum, et tardus ad iram. Ira enim viri, justítiam Dei non operátur. Propter quod abjiciéntes omnem immundítiam, et abundántiam malítiæ, in mansuetúdine suscípite ínsitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 88. Confitebúntur cœli mirabília tua Dómine: étenim veritátem tuam in Ecclésia Sanctórum. Allelúja.

℣. Joann. 15. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ præcípio vobis. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 15. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos: quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo,

nota feci vobis. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Credo, et per totam Octavam.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus quæ in Líbano est multiplicábitur, allelúja.

Secreta.

Múnera, Dómine, quæ pro Apóstoli tui Jacóbi solemnitáte deférimus, propítius súscipe: et mala ómnia, quæ merémur, avérte. Per Dóminum nostrum.

Præf. de Apostolis et dicitur per Octavam etiam in Festis, nisi propriam habeant.

Communio. Joann. 15. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis; et fructus vester máneat, allelúja, allelúja.

Postcommunio.

Quǽsumus Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut cujus solémnia celebrámus, ejus oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

℟ Extra tempus paschale Missa ut supra sine Allelúja; sed Introit. et Grad. tantum sumuntur ex votiva de Ss. Apostolis Petro et Paulo.

Die 13. Maji.

S. Philippi Apostoli.

Missa ut in Missali Romano die 1. huj.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Philíppi Apóstoli tui méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius; ut qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera, Dómine, obláta sanctífica: et intercedénte beáto Philíppo Apóstolo tuo, nos per hæc a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Postcommunio.

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus, ut quos tuis réficis Sacraméntis, intercedénte beáto Philíppo Apóstolo tuo, tibi étiam plácitis móribus dignánter tríbuas deservíre. Per Dóminum.

Extra temp. pasch. Missa ex Missali Romano die 1. hujus sine Allelúja cum supradictis Orat., sed Epistola, Graduale et Offertorium sumuntur ex Missa votiva de Ss. Apost. Petro et Paulo.

Die 21. Maji.

S. Mancii Episc. Mart.

Missa. Protexísti. de Communi unius Martyris temp. pasch.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beáto Máncio, discípulo Unigéniti tui, Mártyri insígni tormentórum toleràntiam tribuísti: quǽsumus, ut sicut ejus passiónem venerámur; ita glóriæ ipsíus mereámur esse partícipes. Per eúmdem Dóminum.

Evang. Designávit. ut in festo S. Marci Evang. die 25. April. Et non dicitur Credo. Secreta et Postcom̃. ex eadem Missa Protexísti. de Com̃. 1. loco.

℟ Extra temp. pasch. Missa. Státuit. de Communi unius Martyris cum Orationibus et Evang. ut supra.

Die 16. Julii.

Triumphi S. Crucis.

Introitus. Matth. 25.

VEníte benedícti Patris mei, percípite regnum, quod vobis parátum est ab orígine mundi, allelúja, allelúja.

Ps. 97. Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per Crucem tuam pópulo in te credénti Triúmphum contra inimícos concédere voluísti: quǽsumus; ut tua pietáte adorántibus Crucem, victóriam semper tríbuas et honórem: Qui vivis et regnas cum Deo.

éctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 6. d.

Fratres: Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Graduale. Ps. 117. Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea.

℣. ibid. Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini exaltávit me, déxtera Dómini fecit virtútem.

Allelúja, allelúja.

℣. O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes Sancti, amícti stolis albis, sequúntur Agnum quocúmque íerit. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prǽlia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et prǽsides propter nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 117. Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini exaltávit me, déxtera Dómini fecit virtútem: non móriar, sed vivam: et narrábo ópera Dómini.

Secreta.

Sacrifícium, Dómine, quod tibi immolámus, placátus inténde, ut ab omni nos éruat bellórum nequítia; et per vexíllum Sanctæ Crucis Fílii tui ad conteréndas adver-

sariórum insídias, nos in tuæ protectiónis securitáte constítuat. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Tob. 12. Benedícimus Deum cœli, et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei, quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Postcommunio.

Exaúdi nos, Deus salutáris noster: et per Triúmphum Sanctæ Crucis a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Die 19. Augusti.

S. Ludovici Tolosani Episc. Conf.

Introitus. Eccli. 45.



Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 131. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum atque Pontíficem, cœléste regnum terréno præpónere docuísti, ac puritáte illibáta et exímia in paúperes caritáte mirábilem effícere dignátus es: concéde nobis fámulis tuis, imitári quem cólimus; ut ejúsdem virtútes æmulántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 4.

Justus, si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est non diutúrna, neque añórum número computáta: cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa, plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja.

℣. Rosa vernans caritátis, lílium virginitátis, stella fulgens Ludovícus, vas Sanctitátis, ora pro nobis Dóminum. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 24. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Et dicitur Credo. propter Oct.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo

unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Sacrifícia, Dómine, quæ in honórem sancti Ludovíci, Confessóris tui atque Pontíficis, tuæ offérimus majestáti, nobis sint ad salútem efficácia, et tuæ plácita pietáti. Per Dóminum.

Communio. Sap. 7. Venit in me spíritus sapiéntiæ: et præpósui illam regnis et sédibus; et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus.

Postcommunio.

Imménsam cleméntiam tuam, omnípotens Deus, supplíciter exorámus: ut, intercedénte beáto Ludovíco Confessóre tuo atque Pontífice per hæc sancta, quæ súmpsimus, cuncta nobis adversántia, te adjuvánte, vincámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Die 28. Augusti.

S. Augustini Episcopi Confessoris et Ecclesiæ Doctoris.

Introitus. Eccli. 15.

IN médio Ecclésiæ apéruit os ejus, et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus, stolam glóriæ índuit eum.

Ps. 91. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui abditióra sapiéntiæ tuæ arcána beáto Patri Augustíno revelándo, et divínæ caritátis flammas in ejus corde excitándo, miráculum colúmnæ nubis et ignis in Ecclésia tua renovásti: concéde; ut ejus ductu mundi vórtices felíciter transeámus, et ad ætérnam promissiónis pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 50.

Ecce conféssor magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est duplex ædificátio, et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem: qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis: et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis. In ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum. In accipiéndo autem partes de manu sacerdótum, et ipse stans juxta aram. Et circa illum coróna fratrum: quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aáron in glória sua.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.
℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.
Allelúja, allelúja.
℣. Augustíne, lux Doctórum, firmaméntum Ecclésiæ, málleus hæreticórum, summum vas sciéntiæ, pro tuis fíliis roga Deum quǽsumus.

Sequentia.

De profúndis tenebrárum
Lumen mundi exit clarum
Et scintíllat hódie.

Olim quidem vas erróris
Augustínus vas honóris
Datus est Ecclésiæ.

Verbo Dei dum obédit,
Credit errans, et accédit
Ad baptísmi grátiam.

Quam in primis tuebátur,
Verbis, scriptis exsecrátur,
Erróris falláciam.

Firmans fidem, formans mores,
Legis sacræ perversóres
Verbi necat gládio.

Obmutéscit Fortunátus;
Cedunt Manes, et Donátus
Tantæ lucis rádio.

Mundus marcens et inánis,
Et doctrínis tumens vanis
Per pestem hærética m.

Multum cœpit fructum ferre,
Dum in fines orbis terræ
Fidem sparsit únicam.

Clericális vitæ formam
Conquadrávit, juxta normam
Cœtus Apostólici.

Sui quippe nil habébant
Tamquam suum, sed vivébant
In commúni Clérici.

Sic multórum pro salúte
Diu vivens in virtúte;
Tandem bona senectúte
Dormívit cum Pátribus.

In extrémis nil legávit,
Qui nil suum æstimávit;
Immo totum reputávit
Commúne cum Frátribus.

Salve, gemma Confessórum,
Lumen Christi, vox cœlórum,
Tuba vitæ, lux Doctórum,
Præsul beatíssime.

Qui te Patrem venerántur,
Te ductóre consequántur
Vitam, in qua gloriántur
Beatórum ánimæ. Amen.
Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 5. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cœlum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum: qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

Dicitur Credo, ac per Oct. etiam in Festis.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta.

Omnípotens sempitérne Deus, qui præcláro sapiéntiæ lúmine beáti Augustíni mentem illustrásti, et sancti amóris jáculo ejúsdem cor transverberásti: da nobis fámulis tuis; ut illíus doctrínæ, et caritátis partícipes éffici mereámur. Per Dóminum.

Præfatio propria.

Per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: Quia vas electiónis tuæ, et lux Doctórum, mellífluus Augustínus, toto terrárum orbe rádio miræ claritátis refúlsit: et Ecclésiam sanctam Fídei Orthodóxæ, vere Augustínus illustrávit: destrúxit hǽreses: erróres répulit: hæreticósque prostrávit: ac status fidélium univérsæ christiánæ vitæ Augustínus móribus decorávit: Cléricos dócuit, láicos mónuit, dévios in viam veritátis redúxit. Cunctórumque conditiónibus salúbriter providéndo, tuam in hoc mari navículam, Augustínus próvide gubernávit. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cœli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Fove Dómine famíliam tuam munéribus sacris, quam cœlésti libámine recreásti: et ut solémnia sancti Augustíni devóte concélebret, infúnde lumen supérnæ cognitiónis, et flammam ætérnæ caritátis. Per Dóminum.

℈ Infra Oct. in festis occurrentibus fit Commem. Oct. et dicitur Credo, ac Præfatio ut supra, nisi propriam habeant.

Dominica ultima Septembris.

B. M. V. Gratiarum vel de Divina Gratia.

Missa. Vultum tuum. ut in festo Ss. Nominis ejusdem B. M. V. in Missali Romano, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti: concéde; ut, quam Grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Præfatio B. M. V. Et te in festivitáte.

Die 9. Decembris.

S. Leocadiæ Virg. et Mart.

Missa. Me exspectavérunt. de Communi cum Evangelio ex Missa. Loquébar. et sequ. Orat. propria.

Oratio.

Beátæ Leocádiæ Vírginis et Mártyris tuæ, quæsumus Dómine, précibus et méritis adjuvémur: ut quæ pro tui nóminis confessióne cárceres et mortem pértulit, suo nos patrocínio ab ætérno cárcere deféndat. Per Dóminum.

℟ Omnes aliæ Missæ hujus Diœcesis propriæ, aut in Appendice pro aliquibus locis, aut in Appendice regni Portugalliæ inveniuntur.

Index alphabeticus.

Imprimi permittitur.

Funchaliæ, die 3. Augusti 1885.

✠ **Emmanuel** Episcopus Funchalen.

Ratisbonæ. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apostolicæ Typographi.



MISSÆ PROPRIÆ DIŒCESIS MARIANENSIS.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episc. et Mart.

Missa. Gaudeámus. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 16. Februarii.

B. Sebastiani ab Apparicio Conf.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Confess. non Pont. 2. loco, præter Orationes sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Sebastiánum, Confessórem tuum in simplicitáte cordis ambuláre fecísti, ac cœléstibus donis cumulásti: concéde propítius; ut ejus intercessióne, et puris méntibus tibi servíre et grátiæ tuæ múnera cónsequi valeámus. Per Dóminum.

Si venerit in Quadragesima fit commemor. Feriæ, cum ejusdem Evangelio in fine.

Secreta.

Hæc quæ tibi, Dómine, offérimus dona, beáto Sebastiáno interveniénte, et Majestáti tuæ accépta, et humilitáti nostræ salutária reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Da nobis, miséricors Deus: ut sacra mensa refécti; quem de divíno hoc aliménto beátus Sebastiánus fructum percépit, nos étiam percípere mereámur. Per Dóminum nostrum.

Die 1. Martii.

B. Joannis de Britto Mart.

Missa. Lætábitur. ut in Comm. unius Mart. non Pont. præter Orat. sequentes.

Oratio.

Deus, qui ad fidem cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem Mártyrem tuum in-

víicta constántia roborásti: ipsíus méritis et intercessióne concéde; ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

Si venerit in Quadrag. fit comm. Feriæ, cum ejusdem Evang. in fine.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Mártyris tui Joánnis suffragántibus méritis concéde; ut passióni et morti unigéniti Fílii tui configuráti resurrectiónis quoque, et glóriæ consórtes éffici mereámur: Qui tecum.

Postcommunio.

Redemptiónis humánæ pígnore sacro per hæc mystéria reféсti, te, Dómine, súpplices exorámus: ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáto Joánne Mártyre tuo intercedénte, véniam consequámur et pacem. Per Dñm.

Die 23. Martii.

S. Thuribii de Mogrovejo

Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter sequ.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, beáti Thuríbii Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi: ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dóminum nostrum.

In Quadrag. fit commem. Feriæ, cum ejusdem Evangelio in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 50.

Ecce Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio, et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis: et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ,. et quasi thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens. Circa illum coróna fratrum, et quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua.

Die 3. Aprilis.

S. Benedicti a S. Philadelpho

Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pont. 2. loco præter

Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum Confessórem tuum cæléstibus donis locupletásti, eúmque in Ecclésia tua signis et virtútibus clarére fecísti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

In Quadrag. fit commem. Feriæ, cum ejusdem Evangelio in fine.

Die 2. Junii.

B. Mariæ Annæ a Jesu de Paredes Virginis.

Missa ut in Append. Miss. ead. die.

Die 15. Julii.

Bb. Quadraginta Martyrum Ignatii de Azevedo et **Socior.** S. J.

Missa. Intret in conspéctu. de Communi plur. Mart. 1. loco.

Oratio.

Omnípotens ætérne Deus, qui nos in beáto Ignátio et Sóciis ejus quadragínta Mártyrum palmas sub una tríbuis solemnitáte venerári: concéde propítius; ut quorum in cœlis glóriam læti suspícimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Súscipe, Dómine, acceptíssimum Unigéniti tui sacrifícium, ac beáto Ignátio et Sóciis ejus intercedéntibus, præsta; ut quod illos roborávit ad pugnam, nos effíciat in tuo servítio atque amóre fervéntes. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Fidem in nobis, Dómine, quam de miseréntis grátiæ tuæ múnere suscépimus: aúgeant hæc sancta mystéria, nosque ad eam contra spirituália nequítiæ colluctántes profiténdam beatórum Ignátii et Sociórum ejus exémpla confírment. Per Dóminum.

Die 24. Julii.

S. Francisci Solani Conf.

Missa ut in Appendice Missarum eadem die.

Die 14. Augusti.

S. Emygdii Episc. et Mart.

Missa ut in Appendice Missarum eadem die.

Die 7. Septembris.

S. Petri Claver Confessoris.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui miserabília mancípia ad agnitiónem tui nóminis vocatúrus, beátum Petrum Confessórem tuum mira in eis juvándis sui abnegatióne et exímia caritáte roborásti: ejus nobis intercessióne concéde; ut non quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi quæréntes, próximos ópere et veritáte dilígere valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Secreta.

Caritátis víctima, quam immolántes offérimus, sit nobis, Dómine, te miseránte, propitiábilis: et beáti Petri précibus et méritis, ad obtinéndum patiéntiæ et caritátis augméntum, éfficax et salutáris. Per Dóminum.

Postcommunio.

Crescat in nobis, Dómine, pietátis tuæ efféctus salutáris: ut cœlésti pábulo refécti, ad ætérnæ salútis portum, te misericórditer protegénte, et beáto Petro intercedénte, felíciter perveníre valeámus. Per Dóminum.

Die 3. Octobris.

B. Joannis Massias Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem, grátiæ tuæ ubertáte prævéntum, in húmili vitæ génere morum candóre floréscere voluísti: da nobis quǽsumus; ita ejus vestígia pérsequi, ut ad te puris méntibus perveníre mereámur. Per Dñm.

Secreta.

Laudis tibi Dómine, hóstias offérimus in honórem beáti Joánnis Confessóris, qui pro salúte fidélium majestáti tuæ pœniténtiæ víctimam seípsum júgiter immolávit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Concéde nos, omnípotens Deus, cœlésti pane reféctos, beáto Joánne Confessóre intercedénte, júgiter in tuo amóre profícere: cui tribuísti morum candórem, et perféctam caritátem. Per Dóminum.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Soc.** Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. et Mart. cum Orationibus ut in Missali hac die et Epistola Fratres: De virgínibus. ut in Missa. Vultum tuum. de Communi Virginis tant. 2. loco.

Die 25. Octobris.

B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virginis.

Missa ut in Appendice Missarum die 17. Octobris.

Die 5. Novembris.

B. Martini de Porrez Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco.

Oratio.

Deus humílium celsitúdo, qui beátum Martínum Confessórem tuum ad cœléstia regna transíre fecísti: ejus méritis et intercessióne concéde; nos ejus humilitátem ita imitári in terris, ut cum ipso exaltári mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Evangelium. Confíteor tibi, Pater. ut in Missali, die 15. Januarii.

Index alphabeticus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 17. Januarii 1889.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

Ratisbonæ 1889. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM DIŒCESIS OLINDENSIS.

Die 4. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. 1. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Intercéssio, quǽsumus Dómine, beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ, ab omni nos adversitáte prótegat: ut per ejus intervéntum, gloriosíssimum sacrosáncti Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi sacraméntum, ante diem éxitus nostri, per veram pœniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Et fit commemoratio Feriæ.

Die 8. Decembris.

Im̃aculatæ Concept. B. M. V.

Patronæ princip. Imperii Brasil.

Omnia ut in Missali eadem die.

Die 18. Decembris.

Exspectat. Partus B. M. V.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 23. Decembris.

S. Servuli Confessoris.

Introitus. Ps. 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. Noli æmulári in malignántibus, neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Sérvuli Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia, et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.
℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.
℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 16. e.

IN illo témpore: Dixit Jesus pharisæis: Homo quidam erat dives, qui induebátur púrpura, et bysso: et epulabátur quotídie spléndide. Et erat quidam mendícus, nómine Lázarus, qui jacébat ad jánuam ejus, ulcéribus plenus, cúpiens saturári de micis, quæ cadébant de mensa dívitis, et nemo illi dabat: sed et canes veniébant, et lingébant úlcera ejus. Factum est autem ut morerétur mendícus, et portarétur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mórtuus est autem et dives, et sepúltus est in inférno. Elevans autem óculos suos, cum esset in torméntis, vidit Abraham a longe, et Lázarum in sinu ejus: et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserére mei, et mitte Lázarum ut intíngat extrémum dígiti sui in aquam ut refrígeret linguam meam, quia crúcior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordáre quia recepísti bona in vita tua, et Lázarus simíliter mala: nunc autem hic consolátur, tu vero cruciáris. Et in his ómnibus inter nos, et vos chaos magnum firmátum est: ut hi, qui volunt hinc transíre ad vos, non possint, neque inde huc transmeáre. Et ait: Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei. Hábeo enim quinque fratres, ut testétur illis, ne et ipsi véniant in hunc locum tormentórum. Et ait illi Abraham: Habent Móysen, et prophétas: aúdiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham: sed si quis ex mórtuis íerit ad eos, pœniténtiam agent. Ait autem illi: Si Móysen, et prophétas non aúdiunt, neque si quis ex mórtuis resurréxerit, credent.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Reflécti cibo potúque cœlésti, Deus noster te súpplices exorámus: ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 15. Januarii.

S. Mauri Abbatis.

Missa. Os justi. de Communi Abb.

Die 16. Januarii.

Ss. Berardi et Soc. Mart.

(Marochiensium.)

Introitus. Ps. 33.

MUltæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. Ps. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctórum Mártyrum tuórum Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti, atque Othónis glorióso certámine Ordinis Minórum inítia consecrásti: concéde nobis fámulis tuis; ut quorum lætámur triúmphis, eórum virtútes imitémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Coríhthios. 1. Cor. 4.

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 78. Víndica, Dómine, sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est.
℣. Posuérunt morticína servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cœli: carnes Sanctórum tuórum béstiis terræ.

Allelúja, allelúja.
℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos: et ad prǽsides, et ad reges ducémini propter me, in testimónium illis, et géntibus. Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem

frater fratrem in mortem, et pater fílium: et insúrgent fílii in paréntes, et morte eos affícient: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Offertorium. Sap. 3. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace. Allelúja.

Secreta.

Pro pretiósa, Dómine, tuórum morte Sanctórum sacrifícium istud offérimus: quo opem tuam nostris tempóribus cleménter impéndas, et grátiam nobis veræ devotiónis exhíbeas. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio.

Cœléstia, Dómine, dona, quæ súmpsimus, vitam nobis tríbuant sempitérnam: quam cum beatórum Mártyrum tuórum Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti, atque Othónis gloriósis méritis implorámus. Per Dóminum.

Die 23. Januarii.

Desponsationis B. M. V. cum **S. Joseph.**

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 28. Januarii.

B. Gundisalvi Confessoris.

Introitus. Ps. 91.



Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri.

Ps. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáti Gundisálvi Confessóris tui mentem sancti nóminis tui amóre mirabíliter inflammásti: concéde, quǽsumus; ut illíus vestígiis inhæréntes, semper te cogitémus, quæque tibi grata sunt, inflammáto stúdio faciámus. Per Dóminum nostrum.

Et fit comm. S. Agnetis Secundo.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas: da, quǽsumus; ut, quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 3.

Fratres: Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus: configurátus morti ejus: si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis: non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim: sequor autem, si quo modo comprehéndam in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

Graduale. Ps. 20. **Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.**

℣. **Vitam pétiit a te: et tribuísti ei longitúdinem diérum in sǽculum sǽculi.**

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 63. **Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Allelúja.**

Post Septuagesimam, omissis **Allelúja,** et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 111. **Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.**

℣. **Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.**

℣. **Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.**



Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 11.

IN illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suávé est, et onus meum leve.

Offertorium. **Justus ut palma florébit, sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.**

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Pro S. Agnete. Secreta.

Super has, quǽsumus Dómine, hóstias benedíctio copiósa descéndat: quæ et sanctificatiónem nobis cleménter operétur, et de Mártyrum nos solemnitáte lætíficet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 19. **Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.**

Postcommunio.

Refécti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Pro S. Agnete. Postcom̃unio.

Súmpsimus, Dómine, celebritátis ãñuæ votíva sacraménta: præsta quǽsumus; ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant, et ætérnæ. Per Dóminum.

Die 3. Februarii.

S. Ildefonsi Episcopi et Confessoris.

Missa. **In médio.** de Communi Doct. (sine **Credo**) præter sequ. Orationes.

Oratio.

Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem beátum Ildefónsum Confessórem tuum atque Pontíficem, misso de thesaúris cœléstibus múnere decorásti: concéde

propítius; ut per ejus preces et mérita, múnera capiámus ætérna. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. S. Blasii Episc. Mart.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Blásii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Secreta.

Sancti Ildefónsi Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Blasio. Secreta.

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Blásio Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, præsta: ut beáti Ildefónsi Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dñm.

Pro S. Blasio. Postcom̃unio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Blásio Mártyre tuo atque Pontífice, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dñm.

Die 9. Februarii.

S. Apolloniæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Com̃uni Virg. et Mart. 1. loco.

Die 11. Februarii.

B. Joannis de Britto Mart.

Missa. Lætábitur. de Communi unius Mart. præter sequ. Orationes.

Oratio.

Deus, qui ad fidem cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem Mártyrem tuum invícta constántia roborásti: ipsíus méritis et intercessióne concéde; ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

Et fit comm. Feriæ si venerit in Quadragesima.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera dignánter obláta: et, beáti Mártyris tui Joánnis suffragántibus méritis concéde: ut passióni et morti Unigéniti Fílii tui configuráti, resurrectiónis quoque et glóriæ consórtes éffici mereámur. Qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio.

Redemptiónis humánæ pígnore sacro per hæc mystéria refécti te Dómine, súpplices exorámus: ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáto Joánne Mártyre tuo intercedénte, véniam consequámur et pacem. Per Dóminum nostrum.

Die 13. Februarii.

S. Cyrilli Episcopi Alexandrini Conf. et Eccl. Doct.

Missa ut in Missali die 9. Febr.

Die 14. Februarii.

Ss. Viginti sex Martyrum Japonensium.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 5. Februarii. Et fit comm. S. Valentini, ut in Missali hac die.

Die 16. Februarii.

Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Conf.

Missa ut in Missali die 11. Febr.

Die 18. Februarii.

S. Theotonii Confessoris.

Introitus. Ps. 121. et 131.

Introíbimus in tabernáculum ejus: adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus. Stantes erant pedes nostri, in átriis tuis Jerúsalem. Ps. Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum: in civitáte Dei nostri. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáti Theotónii salutáribus mónitis et exémplis, canónicam disciplínam reparásti: concéde propítius; ut, ejus exémplo et intercessióne, arctiórem christiánæ perfectiónis viam ingréssi, facílius vitam ætérnam consequámur. Per Dóminum.

Si venerit in Quadrag. fit comm. Feriæ, et postea S. Simeonis Episc. et Mart.

Oratio.

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Simeónis Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 45.

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta et legem vitæ et disciplínæ.

Graduale. Ps. 118. Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu Regum: et non confundébar. ℣. Dómine, salvum fac Regem: et exaúdi nos in die, qua invocavérimus te.

Allelúja, allelúja. ℣. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

Post Septuag. omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 121. Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Quóniam vidébo cœlos tuos: lunam et stellas, quæ tu fundásti. ℣. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.



Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 19. d.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium. Mihi autem absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi.

Secreta.

Sanctæ Crucis, Dómine, mystéria recoléntes, concéde, ut sacrifícium incruéntum débita veneratióne offerámus: et interveniénte sancto Theotónio Confessóre tuo, salutáris fructus consequámur efféctum. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Simeone. Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, beáti Simeónis Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum nostrum.

Communio. Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum: et nolíte conformári huic sǽculo, sed reformámini.

Postcommunio.

Per Sancta, Dómine, quæ súmpsimus, sanctus Theotónius intercédat, ne huic sǽculo conformémur; sed reformáti, ad perfectiónem semper aspirémus. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Simeone. Postcomunio.

Reféctí participatióne múneris sacri, quǽsumus Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Simeóne Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 25. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona.

Missa. Cognóvi. ut inter Festa pro aliquibus locis die 26. Februarii.

Feria III. post Domin. Septuag.

Orationis D. N. Jesu Christi.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Feria III. post Domin. Sexages.

In Commemoratione

Ss. Passionis D. N. Jesu Chr.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Feria VI. post Cineres.

Ss. Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Feria VI. post Domin. I. Quadrag.

Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. Chr.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Feria VI. post Domin. II. Quadrag.

Ss. Sindonis D. N. Jesu Chr.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag.

Sacror. Quinque Vulnerum D. N. J. Chr.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Feria VI. post Domin. IV. Quadrag.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu Chr.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Die 13. Martii.

B. Sanciæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comuni Virg. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátam Sánciam, Vírginem tuam, multíplici grátiæ tuæ dote locupletátam, a terrénis ad cœléstes Agni núptias evocásti: da, ut ejus auxílio et imitatióne puris tibi méntibus juncti, promíssa mundis corde præmia consequámur. Per Dóminum.

Die 18. Martii.

S. Gabrielis Archangeli.

Missa. Benedícite. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 20. Martii.

S. Cyrilli Episc. Hierosolymitani Conf. et Eccl. Doct.

Missa ut in Missali die 18. Martii.

Die 24. Martii.

Institutio Ss. Corporis Christi.

Missa votiva de Ss. Eucharistiæ Sacramento. Cibávit eos, cum Glória, Sequentia. Lauda Sion (ut in solemnitate Ss. Corporis Christi.) Credo, et Præfatio de Nativitate.

Et fit commemoratio Feriæ in Quadrag.

Die 26. Martii.

S. Boni Latronis Confessoris.

Introitus. Gal. 6.

Nos autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita et resurréctio nostra: per quem salváti, et liberáti sumus.

Ps. 66. Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens et misericors Deus, qui justíficas ímpios, te súpplices exorámus: ut nos benígno intúitu, quo Unigénitus tuus beátum traxit latrónem, ad dignam pœniténtiam próvoces; et illam, quam ei promísit, tríbuas nobis glóriam sempitérnam. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commem. Feriæ.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isai. 59.

Ecce non est abbreviáta manus Dómini, ut salváre néqueat, neque aggraváta est auris ejus, ut non exaúdiat. Sed iniquitátes vestræ divisérunt inter vos, et Deum vestrum: et peccáta vestra abscondérunt fáciem ejus a vobis, ne exaudíret. Manus enim vestræ pollútæ sunt sánguine, et dígiti vestri iniquitáte: lábia vestra locúta sunt mendácium, et lingua vestra iniquitátem fatur. Non est, qui ínvocet justítiam, neque est, qui júdicet vere: sed confídunt in níhilo, et loquúntur vanitátes: concepérunt labórem, et peperérunt iniquitátem.

Graduale. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.
℣. Propter quod et Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Tractus. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi: quia per crucem tuam redemísti mundum.
℣. Tuam crucem adorámus Dómine, tuam gloriósam recólimus passiónem: miserére nostri, qui passus es pro nobis.
℣. O crux benedícta, quæ sola fuísti digna portáre Regem cœlórum, et Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 23.

IN illo témpore: Unus de his, qui pendébant, latrónibus blasphemábat Jesum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetípsum, et nos. Respóndens autem alter increpábat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eádem damnatióne es. Et nos quidem juste, nam digna factis recípimus: hic vero nihil mali gessit. Et dicébat ad Jesum: Dómine, meménto mei, cum véneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hódie mecum eris in paradíso.

Offertorium. Ps. 117. Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini exaltávit me: déxtera Dómini fecit virtútem: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta.

Hæc oblátio, Dómine, quæsumus, ab ómnibus nos purget offénsis: quæ in ara crucis étiam totíus mundi tulit offénsam. Per Dñm.

Et fit commem. Feriæ.

Præfatio de Cruce.

Communio. Per signum crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

Postcommunio.

Adésto nobis, Dómine Deus noster: et quos sanctæ crucis lætári facis honóre, ejus quoque perpétuis defénde subsídiis. Per Dñm.

Et fit commem. Feriæ.

Feria II. post Domin. in Albis.

Gaudiorum B. Mariæ Virg.

Missa. Salve sancta Parens. ut in Missis votivis B. M. V. a Pascha usque ad Pentecosten. Et dicitur Credo. et Præfatio B. M. V. Et te in Gaúdiis.

Die 3. Aprilis.

S. Benedicti a S. Philadelpho

Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum Confessórem tuum cœléstibus donis locupletásti, eúmque in Ecclésia tua signis et virtútibus clarére fecísti: præsta quæsumus; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

In Quadragesima fit comm. Feriæ.

Die 27. Aprilis.

S. Thuribii de Mogrovejo

Episcopi et Confessoris.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, beáti Thuríbii Confessóris tui, atque Pontíficis contínua protectióne custódi: ut sicut illum Pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dñm.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 50.

Ecce Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis: et ingréssum domus, et átrii amplificávit. Quasi stella

matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens. Circa illum coróna fratrum: quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua.

Dominica IV. Aprilis.

Fugæ B. M. V. ad Ægyptum.

Introitus. Matth. 2.



Ngelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum, allelúja, allel. Ps. 54. Ecce elongávi fúgiens: et mansi in solitúdine.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Protéctor in te sperántium, Deus, qui Unigénitum tuum, Redemptórem nostrum, ex Heródis gládio fuga in Ægýptum erípere voluísti: concéde nobis fámulis tuis, beatíssima semper Vírgine, ejus matre María intercedénte; ut ab ómnibus mentis et córporis perículis liberáti, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isai. 19. c.

IN diébus illis clamábunt ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis salvatórem et propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscent Ægýptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis, et in munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent. Et percútiet Dóminus Ægýptum plaga, et sanábit eam, et reverténtur ad Dóminum, et placábitur eis, et sanábit eos Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 90. Angelis suis Deus mandávit de te: ut custódiant te in ómnibus viis tuis.
℣. In mánibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum.

Allelúja, allelúja.
℣. Matth. 2. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum. Allelúja.

Post Septuages., omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 90. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur. ℣. Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, et refúgium meum: Deus meus sperábo in eum. ℣. Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, et a verbo áspero.

Temp. Pasch. Allelúja, allelúja.
℣. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum et matrem ejus, et fuge in Ægýptum. Allelúja. ℣. Et esto ibi, usque dum dicam tibi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 3.

IN illo témpore: Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et

matrem ejus, et fuge in Ægýptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi: futúrum est enim, ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum. Qui consúrgens accépit púerum, et matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur, quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi fílium meum.

Credo.

Offertorium. Isaiæ 19. Cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscent Ægýptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis et in munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent, allelúja.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus, supplíciter deprecántes: ut, qui cum beatíssima matre Vírgine María in Ægýptum exsul deférri voluísti; éxsules nos, eádem beáta Vírgine intercedénte, ad cœléstem pátriam benígnus perdúcas. Qui vivis et regnas.

Præfatio B. Mariæ Virg. Et te in Festivitáte.

Communio. Matth. 2. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur, quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi fílium meum, allelúja.

Postcommunio.

Largíre sénsibus nostris, omnípotens Deus: ut per temporálem Fílii tui fugam, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedísse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dóminum.

Dominica III. post Pascha.

Patrocinii S. Joseph Confess. Sponsi B. Mariæ Virginis.

Duplex I. classis cum Octava.

Omnia ut in Missali eadem Dominica.

Dominica I. Maji.

Maternitatis B. Mariæ Virg.

Introitus. Ps. 112.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, et humília réspicit in cœlo, et in terra? Allelúja, allelúja. Ps. 45. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Intercédat pro nobis, Dómine Jesu Christe, tua sanctíssima Génitrix María: et grátiam tuam, a qua peccándo excídimus, nobis sua intercessióne concíliet: et ejus maternitátem venerántes in terris, ejus super omnes choros Angelórum exaltatióne pérfrui mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Dominicæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 24. c.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris, et honestátis: Ego Mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ, et veritátis; in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæ-

culórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúja, allelúja.

℣. Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Allelúja. ℣. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini. Allelúja.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Isai. 11. Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. ℣. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Allelúja, allelúja.

℣. Isai. 7. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2. f.

In illo témpore: Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et non inveniéntes regréssi, sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia, et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Credo.

Offertorium. Matth. 1. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Allelúja.

Secreta.

Omnípotens et miséricors Deus, qui beatíssimam Vírginem Maríam unigéniti Fílii tui Matrem elegísti: præsta, quæsumus, ejus précibus et méritis; ut inter eléctos tuos numerémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Præfatio de B. M. V. Et te in festivitáte.

Communio. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. Allelúja.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáta Vírgine Dei Genitríce María, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Extra tempus Paschale omittitur Allelúja, in Introitu, Offertorio et Communione.

Die 2. Maji.

B. Maphaldæ Reginæ Virg.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátam Regínam Mapháldam cadúca mundi pura mente despícere, et cœléstia sectári docuísti: da nobis fámulis tuis; ut terréna despiciéntes, cœléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

Die 3. Maji.

Inventio S. Crucis.

Missa ut in Missali, sine Commemoratione Ss. Martyrum. Et dicitur Credo. etiam per Octavam.

Die 5. Maji.

Conversionis S. Augustini Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Introitus. Ps. 65. et 102.

VEníte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ mísericors et miserátor Dóminus: longánimis et multum mísericors, allelúja, allelúja.

Ps. 144. Suávis Dóminus univérsis: et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem beáti Augustíni, Confessóris tui atque Pontíficis, mirábili Conversióne decorásti: præsta quæsumus; ut sicut Ecclésiam tuam, propúlsis erróribus, prótegit; ita corda nostra précibus suis contra malígnos spíritus, tua grátia irrigánte, defendat. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 13.

Fratres: Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus, non in comessatiónibus et ebrietátibus, non in cubílibus et impudicítiis, non in contentióne et æmulatióne: sed indúimini Dóminum Jesum Christum.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 115. Dirupísti víncula mea: tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo. Allelúja.

℣. Ps. 117. Confitébor tibi, quóniam exaudísti me: et factus es mihi in salútem. Allelúja.

In Missis votivis: Extra tempus Paschale.

Graduale. Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo. ℣. In generatiónem, et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Allelúja, allelúja.

℣. Ex Offic. Aug. Vulneráveras tu, Dómine, cor meum caritáte tua, et gestábam verba tua in viscéribus, quasi sagíttas acútas, et exémpla servórum tuórum, quos de mórtuis vivos féceras tamquam carbónes vastatóres.

Post Septuages., omissis Allelúja, et sequ. Versu dicitur Tractus. Beátus vir. de Communi Doct.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Credo. ratione Octavæ.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur, allelúja.

Secreta.

Sancti Augustíni, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus

Dómine, ánnua Conversiónis ejus solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 11. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos, allelúja.

Postcommunio.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Augustínum ab errórum ténebris ad lucem evangélicæ veritátis adduxísti: da nobis quæsumus; ut qui ejus hódie Conversiónem cólimus, eódem precánte, dona tuæ grátiæ sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Die 10. Maji.

Octava **Inventionis S. Crucis.**

Missa ut in Festo, cum commem. Ss. Gordiani et Epimachi Martyr., ut in Missali.

Die 12. Maji.

B. Joannæ Virginis.

Missa. **Dilexísti.** de Comm. Virg., præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, qui inter regáles delícias et mundi illécebras beátam Joánnam Vírginem tuam virtúte constántiæ roborásti: quæsumus; ut ejus intercessióne fidéles tui terréna despíciant, et ad cœléstia semper aspírent. Per Dóminum.

Die 14. Maji.

B. Ægidii Confessoris.

Missa. **Os justi.** de Communi Confessoris non Pontificis, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Misericórdiam tuam Deus súpplices implorámus: ut sicut, ea præveniénte beátum Ægídium in viam justítiæ et sanctitátis redíre fecísti; ita nos e servitúte ac morte peccáti in perféctam tránsferas libertátem et vitam. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Bonifacii Mart. ut in Missali.

Die 15. Maji.

S. Joannis Damasceni Conf.

Introitus. Ps. 72.

Tenuísti manum déxteram meam: et in voluntáte tua deduxísti me, et cum glória suscepísti me, allelúja, allelúja.

Ps. Quam bonus Israël Deus his qui recto sunt corde! ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui, restitúta beáto Joánni Confessóri tuo mirabíliter déxtera, Imáginum sacrárum cultum in Ecclésia conservásti: ejus méritis et précibus indúlge; ut quorum Imágines cólimus in terris, eórum aspéctu dignémur in cœlis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 10.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapién-

tia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam. Hæc pópulum justum, et semen sine queréla, liberávit a natiónibus, quæ illum deprimébant. Intrávit in ánimam servi Dei, et stetit contra reges horréndos in porténtis et signis. Et réddidit justis mercédem labórum suórum.


Allelúja, allelúja.

℣. Dóminus salvávit manum tuam tibi: quia prǽlia Dómini tu præliáris. Allelúja. ℣. Benedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prǽlium, et dígitos meos ad bellum. Allelúja.

Si festum celebretur post Pent. Graduale. Deus, qui præcínxit me virtúte: et pósuit immaculátam viam meam. ℣. Qui docet manus meas ad prǽlium: et posuísti, ut arcum ǽreum, bráchia mea: et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, et déxtera tua suscépit me.

Allelúja, allelúja.

℣. Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos: confríngam illos, nec póterunt stare: cadent subtus pedes meos. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6.

In illo témpore: Factum est et in álio sábbato, ut intráret Jesus in synagógam, et docéret. Et erat ibi homo, et manus ejus déxtera erat árida. Observábant autem scribæ et pharisǽi, si in sábbato curáret: ut invenírent unde accusárent eum. Ipse vero sciébat cogitatiónes eórum: et ait hómini, qui habébat manum áridam: Surge, et sta in médium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Jesus: Intérrogo vos, si licet sábbatis benefácere, an male; ánimam salvam fácere, an pérdere? Et circumspéctis ómnibus dixit hómini: Exténde manum tuam. Et exténdit: et restitúta est manus ejus. Ipsi autem repléti sunt insipiéntia, et colloquebántur ad ínvicem, quidnam fácerent Jesu.

Offertorium. Lignum habet spem, si præcísum fúerit, rursum viréscit, et rami ejus púllulant, allelúja.

Secreta.

Ut, quæ tibi Dómine offérimus, dona tuo sint digna conspéctu, beáti Joánnis et Sanctórum, quos ejus ópera expósitos in templis cólimus, pia suffragátio conspíret. Per Dóminum.

Communio. Bráchia peccatórum conteréntur, confírmat autem justos Dóminus, allelúja.

Postcommunio.

Sumpta nos, quǽsumus Dómine, dona cœléstibus armis tueántur: et beáti Joánnis patrocínia circúmdent Sanctórum unánimi suffrágio cumuláta, quorum Imágines evícit in Ecclésia venerándas. Per Dóminum nostrum.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Missa. Protexísti. ut inter festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 22. Maji.
B. Ritæ de Cassia Viduæ.

Introitus. Ps. 117.


Aperíte mihi portas justítiæ, ingréssus in eas confitébor Dómino: lápidem quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli, allelúja, allelúja.
Ps. ibid. Confitémini Dómino quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátæ Ritæ tantam grátiam conférre dignátus es, ut quæ te in dilectióne inimicórum suórum imitáta est, in corde et fronte, caritátis et Passiónis tuæ signa portáret: da nobis, quǽsumus, ejus intercessióne et méritis inimícos nostros dilígere, et tuæ Passiónis dolóres spina compunctiónis júgiter contemplári. Qui vivis et regnas.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles. Símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum: en ipse stat post paríetem nostrum respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra. Ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni.

Allelúja, allelúja.
℣. Ps. 45. Veníte et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram. Allelúja.
℣. Ps. 20. Dómine prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

Ubi celebrandum sit post Pentec.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem, proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ, præ consórtibus tuis.
℣. Veníte et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram. Allelúja, allelúja.
℣. Ps. 20. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 13. f.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit uni-

vérsa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti: quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Secreta.

Corda nostra, quǽsumus Dómine, beátæ Ritæ méritis, supérni dolóris spina confíge, ut a peccátis ómnibus tua grátia liberáti, sacrificáre tibi hóstiam laudis pura mente valeámus. Per Dñm.

Communio. Ps. 20. Prævenísti eam Dómine, in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso, allel.

Postcommunio.

Cœléstibus, Dómine, pasti delíciis, súpplices te rogámus; ut intercedénte beáta Rita, caritátis et Passiónis tuæ in méntibus nostris signa ferámus, et perpétuæ pacis fructu júgiter perfruámur. Per Dóminum nostrum.

Die 23. Maji.

S. Ivonis Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont., cum Evangelio. Sint lumbi. ex Missa. Os justi.

Oratio.

Deus, qui beátum Ivónem Confessórem tuum piis opéribus, signis, et virtútibus in Ecclésia tua clarére fecísti: præsta quǽsumus; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Die 24. Maji.

B. Mariæ Virginis Titulo

Auxilium Christianorum.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 30. Maji.

S. Felicis I. Papæ et Mart.

Temp. Pasch. Missa. Protexísti. Oratio. Infirmitátem.

Extra Temp. Pasch. Missa. Státuit. de Comm. unius Mart. 1. loco.

Feria VI.

post Octavam Ss. Corporis Christi.

Ss. Cordis Jesu.

Missa. Egredímini. ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Dominica I. Junii.

Dedicatio Omnium Ecclesiarum Diœceseos.

Missa. Terríbilis. ut in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ.

Die 1. Junii.

S. Benedicti Josephi Labre Confessoris.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 16. Aprilis.

Die 2. Junii.

B. Mariæ Annæ a Jesu de Paredes Virginis.

Missa. **Dilexísti.** de Comm. Virg. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui inter sæculi étiam illécebras beátam Maríam Annam, ut lílium inter spinas, virgináli castitáte, et jugi pœniténtia floréscere voluísti: præsta quǽsumus; ut ejus méritis et intercessióne retrahámur a vítiis, et perfectióra sectémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Ss. Marcellini et Sociorum Martyrum.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni, Petri, atque Erásmi solemnitáte lætíficas: præsta quǽsumus; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Secreta.

Ascéndant ad te, Dómine, quas in beátæ Maríæ Annæ solemnitáte offérimus preces, et hóstia hæc salutáris virgíneo fragrans odóre. Per Dóminum.

Pro Ss. Martyribus. Secreta.

Hæc hóstia, quǽsumus Dómine, quam sanctórum Mártyrum tuórum natalítia recenséntes offérimus, et víncula nostræ pravitátis absólvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœlésti alimónia refécti súpplices te, Dómine, deprecámur: ut beátæ Maríæ Annæ précibus et exémplo ab omni labe mundáti, et córpore tibi placeámus et mente. Per Dóminum.

Pro Ss. Martyribus.

Postcommunio.

Sacro múnere satiáti, súpplices te Dómine, deprecámur: ut, quod débitæ servitútis celebrámus offício, salvatiónis tuæ sentiámus augméntum. Per Dóminum.

Die 3. Junii.

S. Augustini Episc. et Conf.

Missa ut in Missali die 28. Maji.

Die 13. Junii.

S. Antonii de Padua Conf.

Introitus. Eccli. 15.



N médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum.
Ps. 91. **Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Ecclésiam tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui solémnitas votíva lætíficet; ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gaúdiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 7.

Optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ: et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne aurum in comparatióne illíus, aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam: quóniam inextinguíbile est

lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesaúrus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

Post Septuag. Tractus et Temp. Pasch. Allelúja, dicuntur ut in Communi Doct.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 5. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus: ut vídeant ópera vestra bona, et glorífìcent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cœlum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum: qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. Credo.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florébit, sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta.

Præsens oblátio fiat, Dómine, pópulo tuo salutáris pro quo dignátus es Patri tuo te vivéntem hóstiam immoláre. Qui cum eódem Deo Patre.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Divínis, Dómine, munéribus satiáti, quæsumus; ut beáti Antónii Confessóris tui méritis, et intercessióne, salutáris sacrifícii sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Infra Octav. dicitur eadem Missa. Oratio II. Concéde. III. Ecclésiæ, vel pro Papa. Et dicitur Credo.

Die 17. Junii.

B. Teresiæ Viduæ.

Missa. Cognóvi Dómine. de Communi nec Virg. nec Mart. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui ad Ecclésiam tuam novis semper virtútum ex-

émplis imbuéndam beátam Terésiam, mundáno principátu despécto, ad humilitátis tuæ sectánda vestígia toto corde transíre fecísti: concéde supplícibus tuis; ut terrénis ómnibus, ipsíus imitatióne, contémptis, in sola crucis tuæ sequéla gloriári perpétuo mereántur. Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Oct. S. Antonii.

Die 20. Junii.
Octava **S. Antonii de Padua**
Confessoris.

Missa ut in festo cum commem. S. Silverii Pap. Mart. ut in Missali.

Dominica ultima Junii.
Puritatis B. Mariæ Virg.

Introitus.

Beáta es, Virgo María, quæ ómnium portásti Creatórem: genuísti, qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo.

Ps. 44. Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum Regis.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Da quǽsumus, omnípotens ætérne Deus: ut Puríssimæ Vírginis Maríæ integérrimam Virginitátem festíva celebritáte venerántes, ejus intercessióne puritátem mentis et córporis consequámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Dominicæ, et Octav. S. Joannis Baptistæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 2.

En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera amíca mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale. Ibid. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias.
℣. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

Allelúja, allelúja.
℣. Cant. 6. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1. c.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regná-

bit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Credo.

Offertorium. Post partum Virgo invioláta permansísti, Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Secreta.

Deus, qui de virgináli beátæ Maríæ útero unigénitum Fílium tuum carnem suscípere voluísti: præsta quǽsumus: ut contra dǽmonum insídias puríssimæ Vírginis assídua protectióne muniámur. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. Maria. Et te in Festivitáte Puríssimæ Vírginis Maríæ.

Communio. Benedícta et venerábilis es, Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, puríssimæ Vírginis Maríæ patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Die 4. Julii.

S. Elisabeth Reg. Portug., Vid.

Introitus.



Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes, sub honóre beátæ Elísabeth Regínæ, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 118. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Clementíssime Deus, qui beátam Elísabeth Regínam, inter céteras egrégias dotes, béllici furóris sedándi prærogatíva decorásti: da nobis ejus intercessióne, post mortális vitæ, quam supplíciter pétimus, pacem, ad ætérna gaúdia perveníre. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 26.

Grátia super grátiam, múlier sancta et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus. Lucérna splendens super candelábrum sanctum, et spécies faciéi super ætátem stábilem. Colúmnæ aúreæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris. Fundaménta ætérna supra petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

Graduale. Ps. 44. Concupívit Rex decórem tuum: quóniam ipse est Dóminus Deus tuus.

℣. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Allelúja, allelúja.

℣. Aspice, quæ sólio résides Regína supérno, nos quondam hic pópulos, Elisabélla, tuos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 13. f.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum

illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Credo. ratione Octavæ Ss. Apostolorum.

Offertorium. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo.

Secreta.

Deus, qui in honórem beátæ Elísabeth Regínæ has tibi solémnes hóstias offérri voluísti: da nobis; ut ejus vestígia secúti, et oratióne adjúti, tibi, cui servíre regnáre est, toto corde serviámus in terra, ac tecum regnémus in cœlo. Per Dóminum.

Præfatio de Apost., ratione Oct.

Communio. Astitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Postcommunio.

Regáli ac sacro convívio, Dómine Jesu Christe, in quo tu es ipse verus cibus et potus, nos quæsumus dignos effíciat, et cáritas tua imménsa, et beátæ Elísabeth Regínæ intercéssio gloriósa: Qui vivis et regnas.

Die 7. Julii.

S. Pulcheriæ Imperat., Virginis.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis, Dominica II. Julii.

Et fit comm. Oct. S. Elisabeth.

Die 8. et 9. Julii.

Infra Octavam **S. Elisabeth.**

Dicitur Missa ut in festo, fol. 22*

II. Oratio Concéde, III. Ecclésiæ. vel pro Papa (non dicitur Credo). Præfatio Communis.

Die 11. Julii.

Octava **S. Elisabeth.**

Dicitur Missa ut in festo, fol. 22*

II. Oratio S. Pii Papæ Mart. ut in Missali (non dicitur Credo). Præfatio Communis.

Die 15. Julii.

Bb. Ignatii de Azevedo et **Soc.** Mart. Brasiliensium.

Missa. Intret. de Communi plurimorum Martyrum præter Orationes sequentes.

Oratio.

Omnípotens ætérne Deus, qui nos in beáto Ignátio et Sóciis ejus, ad prædicándam Brasíliæ Géntibus Cathólicam fidem missis, quadragínta mártyrum palmas sub una tribuísti solemnitáte venerári: concéde propítius; ut quorum in cœlis glóriam læti suspícimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum.

Secreta.

Súscipe, Dómine, acceptíssimum Unigéniti tui sacrifícium; ac

beáto Ignátio et Sóciis ejus intercedéntibus præsta; ut quod illos roborávit ad pugnam, nos effíciat in tuo servítio atque amóre ferventes. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Fidem in nobis, Dómine, quam de miseréntis grátiæ tuæ múnere suscépimus, aúgeant hæc sancta mystéria, nosque ad eam contra spirituália nequítiæ colluctántes profiténdam beatórum Ignátii et Sociórum ejus exémpla confírment. Per Dóminum.

Dominica III. Julii.

S. Angeli Custodis Imperii Brasiliensis.

Introitus. Ps. 90.

Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: in mánibus portábunt te, ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Ps. ibid. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui ineffábili providéntia unicuíque regno singulárem Angelum ad custódiam deputásti: concéde quæsumus; ut Angeli Impérii nostri Custódis précibus et patrocíniis ab ómnibus semper eruámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit commem. Domin., et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Léctio libri Regum. 4. Reg. 19.

IN diébus illis: Misit Isaías fílius Amos ad Ezechíam, dicens: Hæc dicit Dóminus de rege Assyriórum: Non ingrediétur urbem hanc, nec mittet in eam sagíttam, nec occupábit eam clýpeus, nec circúmdabit eam munítio. Per viam, qua venit, revertétur: et civitátem hanc non ingrediétur, dicit Dóminus. Protegámque urbem hanc, et salvábo eam propter me, et propter David servum meum. Factum est ígitur in nocte illa, venit Angelus Dómini, et percússit in castris Assyriórum centum octogintaquínque míllia. Cumque dilúculo surrexísset, vidit ómnia córpora mortuórum: et recédens ábiit, et revérsus est Sennácherib rex Assyriórum.

Graduale. Ps. 33. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum; et erípiet eos. ℣. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et de ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 96. Adoráte Dóminum, omnes Angeli ejus; quóniam custódiet Dóminus ánimas servórum suórum, et de manu peccatóris liberábit eos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 2.

IN illo témpore: Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futúrum est enim ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum. Qui consúrgens accépit púerum, et matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi Fílium meum. Credo.

Offertorium. Ps. 95. Afférte Dómino, omnes Angeli ejus, afférte Dómino glóriam et honórem: adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Secreta.

Súscipe, Dómine Sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, hæc múnera, quæ tibi supplicántes offérimus: ut Angelo nostro suffragánte Custóde, a cunctis muniámur advérsis. Per Dóminum.

Communio. Ps. 77. Pluit Dóminus de cœlo manna ad manducándum, et panem cœli dedit eis: panem Angelórum manducávit homo. Allelúja.

Postcommunio.

Prosint nobis Dómine ad salútem córporis et ánimæ sacraménta, quæ súmpsimus: ut angélica opitulánte custódia, a cunctis perículis liberáti, cœléstium donórum mereámur esse partícipes. Per Dóminum nostrum.

Die 26. Julii.

S. Joannis Baptistæ de Rossi

Confessoris.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis die 23. Maji.

Dominica ultima Julii.

S. Annæ Matris B. M. V.

Missa ut in Missali 26. hujus. Et dicitur Credo, ratione Dominicæ.

℟ Infra Octavam vero dicitur eadem Missa: Secunda Oratio Concéde, Tertia Ecclésiæ vel pro Papa. Non dicitur Credo, nisi in Ecclesia propria.

Dominica I. Augusti.

In Octava **S. Annæ.**

Missa ut in Festo et dicitur Credo.

Die 6. Augusti.

Transfigurationis D. N. J. C.

(Titul. Ecclesiæ Cathed.)

Missa ut in Missali, omissa Commemoratione Ss. Martyrum.

Die 9. Augusti.

S. Emygdii Episc. et Mart.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem die. Et fit comm. Oct. Transfig. D. N. J. C.

Die 13. Augusti.

In Octava

Transfigurationis Domini.

Missa ut in Festo, cum Commemoratione Octavæ S. Laurentii, et Ss. Hippolyti et Cassiani Martyrum. Et dicitur Credo. Præfatio de Nativitate.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Missa. Justus. de Communi Confessoris non Pontificis præter Orationem sequentem.

Oratio.

Pópulum tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum nostrum.

Et fit commem. Octavæ Assumptionis et S. Laurentii ut in Missali. Credo et Præfatio de Octava Assumptionis.

Dom. post Octavam Assumpt.

Purissimi Cordis B. M. V.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis Dom. III. post Pentecosten.

Die 26. Augusti.

S. Claræ a Cruce de Montefalco Virginis.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 18. Augusti.

Die 30. Augusti.

S. Rosæ Limanæ Virg.

Patronæ principalis Americæ.

Introitus.


Audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes, sub honóre beátæ Rosæ Vírginis: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Bonórum ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam cœléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis, et patiéntiæ decóre, Indis floréscere voluísti: da nobis fámulis tuis; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. Cor. 10. et 11.

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est: sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ: sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale. Ps. 44. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur. ℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei, sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 50. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ: et quasi flos rosárum in diébus vernis. Allelúja.


Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo: quod mínimum quidem est ómnibus semínibus: cum autem créverit, majus est ómnibus oléribus, et fit arbor, ita ut vólucres cœli véniant, et hábitent in ramis ejus. Aliam parábolam locútus est eis. Símile est regnum cœlórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. Hæc ómnia locútus est Jesus in parábolis ad turbas: et sine parábolis non loquebátur eis: ut implerétur quod dictum erat per Prophétam dicéntem: Apériam in parábolis os meum, eructábo abscóndita a constitutióne mundi. Credo.

Offertorium. Eccli. 39. Obaudíte me, divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte: quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.

Secreta.

Accéptæ sint tibi, Dómine, laudis hóstiæ, quas humíliter immolámus, beátæ Rosæ Vírginis fragrántia perfúsas: ut illi cónferant ad honórem; et nobis propitiatóriæ reddántur ad salútem. Per Dóminum nostrum.

Communio. Eccli. 39. Floréte flores quasi lílium, et collaudáte cánticum: et benedícite Dñm in opéribus suis.

Postcoñunio.

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ, beátæ Rosæ Vírginis suavitátem redoléntes: ut cœléstibus dápibus temporáliter recreáti, ætérni convívii dulcédine perfruámur. Per Dóminum.

Quando celebratur de beata Rosa ex voto, vel devotione per annum, Officium tempore Paschali fit ut supra, addito Allelúja, post Introitum, Offertorium, et Coñunionem et loco Gradualis dicitur

Allelúja, allelúja. ℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ: et quasi flos rosárum in diébus vernis. Allelúja. ℣. Matth. 28. Surréxit Christus, et occúrrens muliéribus, ait: Avéte. Tunc accessérunt, et tenuérunt pedes ejus. Allelúja.

Tempore Ascensionis, post secundum Allelúja.

℣. Eph. 4. Ascéndens Christus in altum, captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Allelúja.

Extra tempus Paschale.

Introitus. Ps. 44.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem, proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Ps. ib. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Cetera ut supra, nisi quod infra Septuag. dicitur

Graduale. Ps. 44. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur. ℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei, sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Et omissis Allelúja, et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam. ℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo. ℣. Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi. ℣. Afferéntur in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum regis.

Cetera ut in die, excepto Credo.

Dominica I. Septembris.

B. Mariæ V. titulo de Penha.

Missa. Salve, sancta parens. ut in Missis votivis B. Mariæ Virg. a Pentecoste usque ad Adventum, cum comm. Dominicæ occurrentis, et ejus Evangelio in fine.

Et dicitur Credo. et Præfatio de beata Maria. Et te in Festivitáte.

Die 1. Septembris.

S. Laurentii a Brundusio Confessoris.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 7. Julii.

Die 4. Septembris.

S. Rosæ Viterbiensis Virg.

Missa. Dilexísti. de Communi Virginis præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Rosam sanctárum tuárum vírginum collégio aggregáre dignátus es: tríbue nobis, quǽsumus; ut ejus précibus et méritis a culpis ómnibus expiémur, et tuæ majestátis consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum.

Die 7. Septembris.

S. Petri Claver Confessoris e Soc. Jesu.

Introitus. Ps. 106.

atiávit Dóminus ánimam inánem: sedéntes in ténebris et umbra mortis, vinctos in mendicitáte et ferro. Ps. ib. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui abréptos in servitútem Nigrítas ad agnitiónem tui nóminis vocatúrus, beátum Petrum mira in eis juvándis caritáte et patiéntia roborásti: ejus nobis intercessióne concéde; ut quæ Jesu Christi sunt quæréntes, próximos ópere et veritáte diligámus. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit commemoratio Octav. Nativ. B. M. V. et S. Gorgonii Mart.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 58. b.

Hæc dicit Dóminus: Dissólve colligatiónes impietátis, solve fascículos depriméntes, dimítte eos qui confrácti sunt líberos, et omne onus dirúmpe. Frange esuriénti panem tuum, et egénos, vagósque induc in domum tuam: cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris. Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te. Tunc invocábis, et Dóminus exaúdiet: clamábis, et dicet: Ecce adsum. Cum effúderis esuriénti ánimam tuam, et ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, et ténebræ tuæ erunt sicut merídies.

Graduale. Ps. 71. Liberábit paúperem a poténte, et paúperem cui non erat adjútor. Parcet paúperi et ínopi, et ánimas paúperum salvas fáciet.
℣. Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum: et honorábile nomen eórum coram illo.

Allelúja, allelúja.
℣. Ps. 9. Exsúrge Dómine Deus: exaltétur manus tua: ne obliviscáris paúperum. Tibi derelíctus est pauper: órphano tu eris adjútor. Allelúja.

Post Septuagesimam, omisso Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Isaiæ 61. Misit me Dóminus ut medérer contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam.
℣. 1. Cor. 9. Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucrifácerem.
℣. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos.

Temp. Paschali: Allelúja, allelúja.
℣. Ps. 123. Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium: láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus. Allelúja.
℣. Ps. 84. Prope timéntes eum salutáre ipsíus: ut inhábitet glória in terra nostra. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10. e.

In illo témpore: Legisperítus quidam volens justificáre seípsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus próximus? Suscípiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et íncidit in latrónes, qui étiam despoliavé-

runt eum: et plagis impósitis abiérunt, semivívo relícto. Accidit autem ut sacérdos quidam descénderet eádem via; et viso illo prætérívit. Simíliter et levíta, cum esset secus locum, et vidéret eum, pertránsiit. Samaritánus autem quidam iter fáciens, venit secus eum: et videns eum, misericórdia motus est. Et apprópians alligávit vúlnera ejus, infúndens óleum et vinum: et impónens illum in juméntum suum, duxit in stábulum, et curam ejus egit. Et áltera die prótulit duos denários, et dedit stabulário, et ait: Curam illíus habe; et quodcúmque supererogáveris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuísse illi, qui íncidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac simíliter.

Credo. ratione Octavæ.

Offertorium. Job. 29. Eo quod liberássem paúperem vociferántem, et pupíllum, cui non esset adjútor, benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram paúperum.

Secreta.

Caritátis víctima, quam immolántes offérimus, sit nobis, Dómine, te miseránte, propitiábilis: et beáti Petri précibus et méritis, ad obtinéndum patiéntiæ et caritátis augméntum, éfficax et salutáris. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria V. Et te in Nativitáte.

Comunio. Ezech. 34. Ego pascam oves meas, et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus. Quod períerat, requíram; et quod abjéctum erat, redúcam; et quod confráctum fúerat, alligábo; et quod infírmum fúerat, consolidábo.

Postcommunio.


Crescat in nobis, Dómine, tuæ pietátis efféctus salutáris: ut cœlésti pábulo nutríti ætérnæ vitæ corónam, beáto Petro intercedénte, felíciter assequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Die 11. Septembris.

Bb. Caroli Spinulæ et Soc.

Martyrum.

Introitus. Ps. 78.


Ntret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est.

Ps. ibid. Deus venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Annue, quǽsumus, omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Cároli et Sociórum ejus nos lætíficet festíva solémnitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit comm. Oct. Nativ. B. M. V.

Oratio.

Fámulis tuis, quǽsumus, Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum.

Postea Ss. Proti et Hyacinthi Mart.
Oratio.

Beatórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi nos, Dómine, fóveat pretiósa conféssio; et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dñm.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 7.

In diébus illis: Respóndit unus de senióribus, et dixit mihi: Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus: et qui sedet in throno, habitábit super illos. Non esúrient, neque sítient ámplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum, et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum.

Graduale. Exodi 15. Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.
℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja.
℣. Eccli. 44. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatiónem, et generatiónem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia, et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas, et custódias, trahéntes ad reges, et præsides propter nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta.

Réspice, quǽsumus, Dómine, múnera, quæ in sanctórum Mártyrum tuórum Cároli et Sociórum ejus commemoratióne deférimus: et præsta; ut quorum honóre sunt grata, eórum nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dñm.

Pro Octava. Secreta.

Unigéniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas: ut qui natus de Vírgine, matris integritátem non mínuit, sed sacrávit; in Nativitátis ejus solémniis, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem no-

stram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster.

Pro Ss. Martyribus. Secreta.

Pro sanctórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi commemoratióne, múnera tibi, Dómine, quæ debémus, exsólvimus: præsta quǽsumus; ut remédium nobis perpétuæ salútis operéntur. Per Dñm.

Præfatio de B. Maria. Et te in Nativitáte.

Communio. Sap. 3. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocaústa accépit eos.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti sacraméntis et gaúdiis, súpplices te rogámus Dómine: ut quorum gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum nostrum.

Pro Octava. Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta: præsta quǽsumus; ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant, et ætérnæ.

Pro Ss. Martyribus. Postcomunio.

Ut percépta nos, Dómine, tua sancta puríficent, beatórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi, quǽsumus, implóret orátio. Per Dóminum.

Die 25. Septembris.

S. Petri de Arbues Mart.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont.: cum Evang.: Nihil est opértum. ex Missa Lætábitur.

Oratio.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur; qui pro ejúsdem fídei defensióne martýrii palmam méruit obtinére. Per Dóminum.

Dominica II. Octobris.

Prodigiorum B. M. V.

Missa. Salve, sancta parens, ut in Missis votivis B. Mariæ Virg. a Pentecoste usque ad Adventum, cum comm. Dominicæ occurrentis, et ejus Evangelio in fine.

Et dicitur Credo, et Præfatio de B. Maria. Et te in Festivitáte.

Die 17. Octobris.

B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. præter Orationes sequ.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias Cordis tui beátæ Margarítæ Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis ejus méritis et imitatióne; ut te in ómnibus, et super ómnia diligéntes jugem in eódem Corde tuo mansiónem habére mereámur: Qui vivis.

Secreta.

Accépta tibi sint, Dómine, plebis tuæ múnera et concéde, ut ignis ille divínus nos inflámmet, quo de Corde Fílii tui emísso beáta Margaríta veheménter æstuávit. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Córporis et Sánguinis tui, Dómine Jesu, sumptis mystériis, concéde nobis quǽsumus, beáta Margaríta Vírgine intercedénte, ut supérbis sǽculi vanitátibus exútis, mansuetúdinem et humilitátem Cordis tui indúere mereámur: Qui vivis.

Die 19. Octobris.

S. Petri de Alcantara Conf.

(Patroni Imperii Brasiliensis.)

Missa ut in Missali, et dicitur Credo, per totam Octavam.

Die 22. Octobris.

B. Gundisalvi de Lagos Conf.

Missa. Os justi. de Communi Confessoris non Pontificis, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus virtútum, qui beátum Gundisálvum Confessórem tuum ánimi demissióne, morum candóre, ac singulári caritáte mirábilem effecísti: concéde quǽsumus; ut ejus exémpla imitántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavæ S. Petri de Alcantara et dicitur Credo.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 25. Octobris.

Ss. Crispini et **Crispiniani** Martyrum.

Introitus. Ps. 78.

INtret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est.

Ps. ibid. Deus venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Adésto Dómine pópulo tuo: ut beatórum Mártyrum tuórum Crispíni et Crispiniáni mérita præclára suscípiens, ad impetrándam misericórdiam tuam semper eórum patrocíniis adjuvétur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Octavæ S. Petri de Alcantara.

Oratio.

Deus, qui beátum Petrum Confessórem tuum, admirábilis pœniténtiæ, et altíssimæ contemplatiónis múnere illustráre dignátus es: da nobis, quǽsumus; ut ejus suffragántibus méritis, carne mortificáti, facílius cœléstia capiámus.

Postea Ss. Chrysanthi et Dariæ Martyrum.

Oratio.

Beatórum Mártyrum tuórum, Dómine, Chrysánthi et Daríæ, quǽsumus, adsit nobis orátio: ut, quos venerámur obséquio, eórum pium júgiter experiámur auxílium. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 3.

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et æstimáta est affĺictio éxitus illórum: et quod a nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocaústi hóstiam

accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale. Gloriósus Deus in Sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua Dómine glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja.

℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Lucæ 21. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia, et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas, et custódias, trahéntes ad reges, et præsides propter nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta.

Súscipe Dómine múnera propítius obláta: quæ majestáti tuæ beatórum Mártyrum tuórum Crispíni et Crispiniáni comméndet orátio. Per Dóminum.

Pro Octava. Secreta.

Præsta nobis, quǽsumus omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet.

Pro Ss. Martyribus. Secreta.

Pópuli tui, quǽsumus Dómine, tibi grata sit hóstia, quæ in natalítiis sanctórum mártyrum tuórum Chrysánthi et Daríæ solémniter immolátur. Per Dóminum.

Communio. Sap. 3. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocaústa accépit eos.

Postcommunio.

Puríficent nos Dómine sacraménta, quæ súmpsimus: et intercedéntibus beátis Martýribus tuis Crispíno et Crispiniáno a cunctis effíciant vítiis absolútos. Per Dñm.

Pro Octava. Postcommunio.

Quǽsumus omnípotens Deus: ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Petro Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur.

Pro Ss. Martyribus. Postcomunio.

Mýsticis, Dómine, repléti sumus votis et gaúdiis: præsta quǽsumus; ut, intercessiónibus sanctórum mártyrum tuórum Chrysánthi et Daríæ, quæ temporáliter ágimus, spirituáliter consequámur. Per Dóminum nostrum.

Die 26. Octobris.

In Octava

S. Petri de Alcantara Conf.

Missa ut in Festo, cum Commem. S. Evaristi Papæ et Martyr. ut in Missali.

Die 29. Octobris.

Translationis **S. Elisabeth** Reginæ Portugalliæ.

Missa. Gaudeámus omnes. ut supra die 4. Julii 22* (sine Credo) præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, ómnium largítor donórum, qui hunc diem beátæ Elísabeth venéranda Translatióne illustrásti: quǽsumus; ut, ejus précibus et intercessióne, nos de terrénis ad consórtia tránsferas Beatórum. Per Dóminum.

Die 30. Octobris.

In Commemoratione Sanctorum,

quorum Corpora, seu Reliquiæ in ecclesiis asservantur.

Missa. Multæ tribulatiónes. ut inter festa pro aliqu. locis in fine Nov.

Dominica postrema Octobris.

B. M. V. sub titulo **Auxilium Agonizantium.**

Missa. Salve. ut in Missali a Pentecoste usque ad Adventum.

Oratio.

Deus, qui Unigénito tuo pendénti in Cruce pro animárum salúte ejus Genitrícem Vírginem Maríam adésse voluísti: fac ut nos in extrémo vitæ perículo constitúti, ejus intercessióne adjuvémur, et ætérna prǽmia cónsequi mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Die 2. Novembris.

In Commemoratione **Omnium fidelium Defunctorum.**

Tres Missæ.

Prima Missa.

Dicitur ut in Missali hac die.

Secunda Missa.

Dicitur ut in eodem Missali in Anniv. Defunctorum, cum Sequentia: Dies iræ, dies illa, etc. et Orationibus ut infra.

Oratio.

Deus, indulgentiárum Dómine: da animábus famulórum famularúmque tuárum refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

Secreta.

Propitiáre Dómine, supplicatiónibus nostris pro animábus famulórum famularúmque tuárum, pro quibus tibi offérimus sacrifícium laudis; ut eas Sanctórum tuórum consórtio sociáre dignéris. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Præsta, quǽsumus Dómine: ut ánimæ famulórum famularúmque tuárum, his purgátæ sacrifíciis, indulgéntiam páriter et réquiem cápiant sempitérnam. Per Dóminum nostrum.

Ad tertiam Missam.

Omnia prout in Missali in Missis quotidianis Defunctorum, cum Sequentia: Dies iræ, dies illa, etc. et Orationibus ut infra.

Oratio.

Deus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor, quǽsumus cleméntiam tuam; ut ánimas famulórum famularúmque tuárum, quæ ex hoc sǽculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte, cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas. Per Dóminum.

Secreta.

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ; et animábus ómnium Fidélium Defunctórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ cunctórum remissiónem tríbue peccatórum. Per Dñm.

Postcommunio.

Præsta, quǽsumus omnípotens et miséricors Deus: ut ánimæ famulórum famularúmque tuárum, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem Sacraménti, a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem. Per Dóminum.

Die 5. Novembris.

B. Martini de Porrez Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Confessoris non Pontificis: cum Evangelio: Confíteor tibi Pater. ut in festo S. Francisci 4. Octobris.

Oratio.

Deus humílium celsitúdo, qui beátum Martínum Confessórem tuum ad cœléstia regna transíre fecísti: ejus méritis et intercessióne concéde; nos ejus humilitátem ita imitári in terris, ut cum ipso exaltári mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Comm. Octavæ Omnium Sanctorum: et dicitur Credo.

Dominica
post Octavam Omnium Sanctorum.

Patrocinii B. M. V.

Missa. Salve sancta parens. ut in Missis votivis B. M. V. a Pentecoste ad Adventum, cum Commemoratione Dominicæ et ejus Evangelio in fine.

Et dic. Credo et Præfatio B. M. V. Et te in Festivitáte.

Die 13. Novembris.

S. Stanislai Kostkæ Conf.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.



Imprimatur.

Ratisbonæ, die 28. Augusti 1889.

G. Erlenborn, Vicarius in Spirit. Generalis.

Index alphabeticus.

Ratisbonæ 1889. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

APPENDIX MISSARUM
AD
PROPRIUM PORTUGALLENSE
PRO
DIŒCESI PORTUENSI.

Die 9. Decembris.

S. Leocadiæ Virg. et Mart.

Missa. Me exspectavérunt. de Communi Virginum, 2. loco.

Oratio.

Beátæ Leocádiæ, Vírginis et Mártyris tuæ, quǽsumus, Dómine, précibus et méritis adjuvémur: ut, quæ pro tui nóminis confessióne cárceres et mortem pértulit, suo nos patrocínio ab ætérno cárcere deféndat. Per Dóminum.

Reliqua de Missa. Loquébar.

Commem. Octavæ et Feriæ.

Die 10. Decembris.

S. Eulaliæ Emeritensis Virg. Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: da nobis in festivitáte sanctæ Vírginis et Mártyris tuæ Euláliæ cóngrua devotióne gaudére; ut et poténtiam tuam in ejus passióne laudémus, et promíssum nobis percipiámus auxílium. Per Dóminum.

Commem. Octavæ et Feriæ.

Die 30. Decembris.

Translatio **S. Jacobi** Apostoli.

Introitus. Isaiæ 66.



Onam in eis signum, dicit Dóminus: et mittam ex eis ad eos, qui non audiérunt de me: et annuntiábunt glóriam meam géntibus. Ps. 18. Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui dispositióne mirábili corpus beáti Jacóbi Apóstoli de Jerosólymis ad Hispániam transférri, et in Compostélla gloriόse sepelíri voluísti: concéde, quǽsumus; ut, ejus méritis et précibus, in cœlésti Jerúsalem collocári mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 4.

Fratres: Puto quod Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc ho-

ram et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo. Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo: sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

Graduale. Lex Dómini semper fuit in ore ejus; et iníquitas non est invénta in lábiis suis. ℣. In pace et in æquitáte ambulávit, et ímpios convértit ab iniquitáte.

Allelúja, allelúja.
℣. O sidus refúlgens Hispániæ, sancte Jacóbe Apóstole. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 20.

IN illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedǽi cum fíliis suis adórans et petens áliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, ut sédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam, et unus ad sinístram in regno tuo. Respóndens autem Jesus, dixit: Nescítis quid petátis. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Dicunt ei: Póssumus. Ait illis: Cálicem quidem meum bibétis: sedére autem ad déxteram meam vel sinístram, non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. Credo.

Offertorium. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus: nimis confortátus est principátus eórum, allelúja.

Secreta.

Sanctífica, quæsumus Dómine, obláta múnera, quæ in translatióne beáti Jacóbi Apóstoli tui offerúntur: ita ut per ea vita nostra inter advérsa et próspera ubíque dirigátur. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Ipsum elégit Dóminus in salútem Géntium: dedit illi in præcéptis suis potestátem docére Jacob testimónia, et in lege sua lucem dare Israël.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus: ut intercedénte beáto Jacóbo Apóstolo tuo, quæ pro illíus veneránda gérimus translatióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Die 27. Februarii.

S. Valerii Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui sacram beáti Valérii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitátem hodiérna die venerári voluísti: nos fámulos tuos ab omni culpa líberos esse concéde; ut ejus intercessióne ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum.

Die 28. Februarii.

S. Juliani Episc. et Confess.

Introitus. Eccli. 31.


Tabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénum et paúperem: in die mala liberábit eum Dóminus.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Excita, quǽsumus Dómine, in pópulo tuo spíritum caritátis, quo beátum Juliánum Confessórem tuum atque Pontíficem replére dignátus es: et concéde; ut cujus festivitátem celebrámus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Agnetis secundo ut in Missali.

Léctio Actuum Apostolórũ. Act. 20.

In diébus illis: A Miléto Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres natu Ecclésiæ. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis: Atténdite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. Comméndo vos Deo, et verbo grátiæ ipsíus, qui potens est ædificáre, et dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus. Argéntum, et aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis: quóniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes, opórtet suscípere infírmos, ac meminísse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit: Beátius est magis dare, quam accípere.

Graduale. Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sǽculum sǽculi. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja.

℣. Eccli. 29. Conclúde eleemósynam in sinu paúperis, et hæc pro te exorábit ab omni malo. Allelúja.

Post Septuages., omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Tob. 4. Ex substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere fáciem tuam ab ullo paúpere. ℣. Si multum tibi fúerit, abundánter tríbue: si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libénter impertíri stude: prǽmium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis. ℣. Quóniam eleemósyna ab omni peccáto et a morte líberat; et non patiétur ánimam ire in ténebras.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 6.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte thesaurizáre vobis thesaúros in terra, ubi ærúgo, et tínea demolítur, et ubi fures effódiunt, et furántur. Thesaurizáte autem vobis thesaúros in cœlo, ubi neque ærúgo, neque tínea demolítur, et ubi fures non effódiunt, nec furántur. Ubi enim est thesaúrus tuus, ibi est et cor tuum. Lucérna córporis tui est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit. Si autem óculus tuus fúerit nequam, totum corpus tuum tenebrósum erit. Si ergo lumen, quod in te est, ténebræ sunt, ipsæ ténebræ quantæ erunt? Nemo potest duóbus dóminis servíre: aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget: aut unum sustinébit, et álterum contémnet. Non potéstis Deo servíre et mammónæ. Ideo dico vobis, ne sollíciti sitis ánimæ vestræ, quid manducétis, neque córpori vestro, quid induámini. Nonne ánima plus est quam esca, et corpus plus quam vestiméntum? Respícite volatília cœli, quóniam non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea; et Pater vester cœléstis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis

illis? Quis autem vestrum cógitans, potest adjícere ad statúram suam cúbitum unum? Et de vestiménto quid sollíciti estis? Consideráte lília agri quómodo crescunt: non labórant, neque nent. Dico autem vobis: quóniam nec Sálomon in omni glória sua coopértus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hódie est, et cras in clíbanum míttitur, Deus sic vestit: quanto magis vos módicæ fídei? Nolíte ergo sollíciti esse dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Hæc enim ómnia gentes inquírunt. Scit enim Pater vester, quia his ómnibus indigétis. Quǽrite ergo primum regnum Dei, et justítiam ejus: et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

Offertorium. Eccli. 29. Pone thesaúrum tuum in præcéptis Altíssimi, et próderit tibi magis, quam aurum.

Secreta.

Pro sancti Confessóris tui Juliáni, Dómine, solemnitáte hóstiam immolámus, humíliter deprecántes: ut quod nostris méritis obtinére non póssumus, ejus, qui tibi plácuit, nobis intercessióne donétur. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesaúrum non deficiéntem in cœlis: quo fur non appropíat, neque tínea corrúmpit.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti sacraméntis, te súpplices, Dómine, deprecámur: ut qui beáti Juliáni Confessóris tui atque Pontíficis solémnia recólimus, per illum tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem. Per Dñm.

Die 1. Martii.

B. Joannis de Britto Mart.

Missa. Lætábitur justus. ut in Com̃. unius Mart. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui ad fidem cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem Mártyrem tuum invícta constántia roborásti: ipsíus méritis et intercessióne concéde; ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriæ.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Mártyris tui Joánnis suffragántibus méritis concéde; ut passióni et morti unigéniti Fílii tui configuráti, resurrectiónis quoque, et glóriæ consórtes éffici mereámur: Qui tecum vivit.

Postcommunio.

Redemptiónis humánæ pígnore sacro per hæc mystéria refécti, te, Dómine, súpplices exorámus: ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáto Joánne Mártyre tuo intercedénte, véniam consequámur et pacem. Per Dñm.

Die 15. Maji.

S. Indaletii Episc. et Mart.

Missa. Protexísti. de Communi Mart. temp. Pasch.

Oratio.

Deus, qui nobis ad primítias fídei propagándas, beátum Indalétium Mártyrem tuum atque Pontíficem tribúere dignátus es: da, quǽsumus; ut quem festívo venerámur obséquio, ejus intercedéntibus méritis, ætérna gaúdia consequámur. Per Dóminum.

Secreta et Postcomm. 1. loco. Si celebretur post temp. pasch. Missa. Státuit. de Comm. Mart. Pont. Oratio ut supra.

Die 23. Maji.

S. Basilei Episc. et Mart.

Missa. Státuit. de Communi Mart. Pont. 1. loco. præter sequentia.

Oratio.

Preces pópuli tui, quǽsumus Dómine, cleménter exaúdi: ut beáti Basiléi Mártyris tui, atque Pontíficis méritis adjuvémur, cujus passióne lætámur. Per Dóminum.

Secreta.

Súscipe, quǽsumus Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Basiléi Mártyris tui, atque Pontíficis suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus quǽsumus semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 16. Julii.

In Festo Triumphi **S. Crucis.**

Introitus. Matth. 25.



Eníte, benedícti Patris mei, percípite regnum, quod vobis parátum est ab orígine mundi, allelúja, allelúja.

Ps. 97. Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per Crucem tuam pópulo in te credénti triúmphum contra inimícos concédere voluísti: quǽsumus; ut tua pietáte adorántibus Crucem, victóriam semper tríbuas et honórem: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 6.

Fratres: Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Graduale. Ps. 117. Hæc dies, quam fecit Dóminus, exsultémus, et lætémur in ea.

℣. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: déxtera Dómini fecit virtútem.

Allelúja, allelúja.

℣. O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes sancti, amícti stolis albis, sequúntur Agnum quocúmque íerit. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter

nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. Credo.

Offertorium. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: déxtera Dómini fecit virtútem: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta.

Sacrifícium, Dómine, quod tibi immolámus, placátus inténde; ut ab omni nos éruat bellórum nequítia; et per vexíllum sanctæ Crucis Fílii tui, ad conteréndas adversariórum insídias, nos in tuæ protectiónis securitáte constítuat. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Tob. 12. Benedícimus Deum cœli, et coram ómnibus viséntibus confitébimur ei: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Postcommunio.

Exaúdi nos, Deus salutáris noster: et per triúmphum sanctæ Crucis a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Die 5. Octobris.

S. Froylani Episc. et Confess.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pontificis.

Oratio.

Deus, qui beátum Froylánum monástici institúti propagándi stúdio decorásti, et ex erémo ad episcopále munus cœlésti indício vocátum, miráculis clarum effecísti: concéde propítius; ut, cujus patrocínio gloriámur, ejus instruámur exémplis. Per Dóminum.

Die 27. Novembris.

S. Eugenii Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Fiat, quæsumus Dómine, pópulus tuus beáti Eugénii Confessóris tui, atque Pontíficis festivitáti devótior: et præsta; ut quem habuísse gaudet pastórem in terris, étiam patrónum séntiat in cœlis. Per Dóminum.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 11. Nov. 1885.

M. Dandl, Vic. in Spirit. Generalis.

Ratisbonæ. 1886. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. Typographi.

MISSÆ PROPRIÆ
DIŒCESIS S. SEBASTIANI FLUMINIS JANUARII.

Die 4. Decembris.
S. Barbaræ Virg. et Mart.
Missa ut in Appendice Missarum eadem die.

Die 18. Decembris.
Exspectatio Partus B. M. V.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 23. Decembris.
S. Servuli Confessoris.
Missa. Os justi. de Comuni Conf. non Pont. Evang. Homo quidam. ex Feria V. post Dom. II. Quadrag.

Die 15. Januarii.
S. Mauri Abbatis.
Missa. Os justi. de Com. Abbat.

Die 16. Januarii.
Ss. Bernardi et **Soc.** Mart. Maroch.
Missa ut in Propr. Portugall. eadem die.

Die 20. Januarii.
S. Sebastiani Mart. Patroni Principalis Civitatis et Diœceseos.
Introitus.
Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Sebastiáni Mártyris: de cujus passióne gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei. Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.
Orationes, et reliqua dicuntur ex Missa. Lætábitur. pro Martyre non Pont. Et dicitur Credo per Oct.

Die 23. Januarii.
Desponsatio B. M. V. cum S. Joseph.
Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 27. Januarii.
Octava **S. Sebastiani** Mart.
Missa ut in die festo.

Die 28. Januarii.
B. Gundisalvi Confessoris.
Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Die 3. Februarii.
S. Ildephonsi Episc. et Conf.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 23. Januarii cum Oratione propria. Et fit comm. S. Blasii Ep. et Mart. ex Missa Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 9. Februarii.
S. Apolloniæ Virg. et Mart.
Missa. Loquébar. de Comm. Virg. et Mart. 1. loco.

Die 11. Februarii.
B. Joannis de Britto Mart.
Missa. Lætábitur. ut in Com. unius Mart. non Pont. præter Orat. sequ.
Oratio.
Deus, qui ad fidem cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem Mártyrem tuum invícta constántia roborásti: ipsíus méritis et intercessióne concéde; ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Mártyris tui Joánnis suffragántibus méritis concéde; ut passióni et morti unigéniti Fílii tui configuráti, resurrectiónis quoque, et glóriæ consórtes éffici mereámur: Qui tecum vivit.

Postcommunio.

Redemptiónis humánæ pígnore sacro per hæc mystéria reīécti, te, Dómine, súpplices exorámus: ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáto Joánne Mártyre tuo intercedénte, véniam consequámur et pacem. Per Dñm.

Die 14. Februarii.

Ss. XXVI Mart. Japonens.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 5. Febr. Et fit commem. S. Valentini Martyr. ut in Missali hac die.

Die 16. Februarii.

S. Fabiani Papæ et Mart.

Missa. **Státuit.** de Communi unius Mart. Pont. 1. loco.

Die 18. Februarii.

S. Theotonii Confessoris.

Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Die 26. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona Pœnit.

Missa. **Cognóvi.** ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Feria III. post Dom. Septuag.

Orationis D. N. Jesu Chr.

in monte Olivarum.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria III. post Dom. Sexages.

In Coñem. **Passionis D. N. J. C.**

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Cineres.

Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag.

Sacr. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag.

Sacr. Sindonis D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag.

Sacr. Quinque Vulnerum D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag.

Pretios. Sanguinis D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Die 13. Martii.

B. Sanciæ Virginis.

Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 18. Martii.

S. Gabrielis Archangeli.

Missa. **Benedícite.** ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 24. Martii.

Institutio **Ss. Corporis Christi.**

Missa. **Cibávit.** votiva de Ss. Eucharistiæ Sacramento, cum **Glória**, **Sequéntia Lauda Sion** (ut in Solemnitate Ss. Corp. Chr.), **Credo** et Præfatio de Nativitate Dñi. Et fit coñ. Feriæ in Quadrag.

Die 26. Martii.

S. Boni Latronis Conf.

Missa ut in Appendice Missarum, omissis Allelúja et loco Allelúja et vers. sequ. dic. sequ.

Graduale. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.
℣. Propter quod et Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Tractus. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi: quia per crucem tuam redemísti mundum. ℣. Tuam crucem adorámus Dómine, tuam gloriósam recólimus passiónem: miserére nostri, qui passus es pro nobis. ℣. O crux benedícta, quæ sola fuísti digna portáre Regem cœlórum, et Dóminum.

Die 3. Aprilis.

S. Benedicti a S. Philadelpho
Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Com. Conf. non Pont. 2. loco præter

Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum Confessórem tuum cœléstibus donis locupletásti, eúmque in Ecclésia tua signis et virtútibus clarére fecísti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Die 27. Aprilis.

S. Thuribii de Mogrovejo Episc. et Confessoris.

Missa. Státuit. de Com. Conf. Pont.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, beáti Thuríbii Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi; ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dñm.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 50.

Ecce Conféssor magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio, et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis: et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens. Circa illum coróna fratrum, et quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua.

Feria II. post Dom. in Albis.

Gaudiorum B. M. V.

Ut in Propr. Portug. eadem feria.

Dom. IV. Aprilis.

Fugæ B. M. V. ad Ægyptum.

Ut in Propr. Portug. ead. Domin.

Dom. I. Maji.
Maternitatis B. M. V.
Missa ut in Propr. Portug. ead. Dom.

Die 2. Maji.
B. Maphaldæ Virg.
Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 5. Maji.
Conversio **S. Augustini** Ep., Conf. et Eccl. Doct.
Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 12. Maji.
S. Joannæ Lusitanæ Virg.
Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 14. Maji.
B. Ægidii Confessoris.
Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 15. Maji.
S. Joannis Damasceni Conf.
Missa ut in Proprio Portugalliæ die 11. Maji.

Die 16. Maji.
S. Joannis Nepomuceni Mart.
Missa. Protexísti. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die 1. loco.

Die 22. Maji.
B. Ritæ de Cassia Viduæ.

Introitus. Ps. 117. APeríte mihi portas justítiæ, ingréssus in eas confitébor Dómino: lápidem, quem reprobavérunt, hic factus est in caput ánguli. Ps. Confitémini Dómino quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátæ Ritæ tantam grátiam conférre dignátus es, ut quæ te in dilectióne inimicórum suórum imitáta est, in corde et fronte caritátis et passiónis tuæ signa portáret: da nobis, quǽsumus; ejus intercessióne et méritis inimícos nostros dilígere, et tuæ passiónis dolóres spina compunctiónis júgiter contemplári: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Cant. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles. Símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum: en ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit: imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra: tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptér-

ea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

℣. Ps. 45. Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 20. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

Temp. Pasch. Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 44. Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram. Allelúja.

℣. Ps. 20. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthǽum. Matth. 13. f.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quæréntì bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consumatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Offertorium. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Secreta.

Corda nostra, quǽsumus Dómine, beátæ Ritæ méritis, supérni dolóris spina confíge: ut a peccátis ómnibus tua grátia liberáti, sacrificáre tibi hóstiam laudis pura mente valeámus. Per Dóminum.

Communio. Ps. 20. Prævenísti eam, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

Cœléstibus, Dómine, pasti delíciis, súpplices te rogámus; ut intercedénte beáta Rita, caritátis et passiónis tuæ in méntibus nostris signa ferámus, et perpétuæ pacis fructu júgiter perfruámur. Per Dñm.

Die 23. Maji.

S. Ivonis Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pont. 2. loco cum Evang. Sint lumbi. ex Missa Os justi.

Oratio.

Deus, qui beátum Ivónem, Confessórem tuum, piis opéribus, signis et virtútibus in Ecclésia tua clarére fecísti: præsta quǽsumus; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Die 24. Maji.

B. Mariæ Virg. sub tit. **Auxilium Christianorum.**

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Feria VI. post Oct. Corp. Chr.
Ss. Cordis Jesu.
Missa. Egredímini. ut inter festa pro aliqu. locis eadem feria.

Die 2. Junii.
B. Mariæ Annæ a Jesu de Paredes Virginis.
Missa ut in Append. Miss. ead. die.

Die 13. Junii.
S. Antonii de Padua Conf.
Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die. Graduale tamen sumitur ex Missa de Com̃. Doct.

Die 17. Junii.
B. Teresiæ Reginæ Viduæ.
Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 20. Junii.
Octava **S. Antonii** Conf.
Missa ut in die festo.

Dominica ultima Junii.
Puritatis B. M. V.
Missa ut in Proprio Portugalliæ præter Postcomm. sequ.

Postcommunio.

Beatíssima Virgo María, quæ Spíritus sancti habitáculum virginitáte et humilitáte fíeri meruísti: intercéde pro nobis apud Deum omnipoténtem, ut mundi corde et húmiles spíritu tua imitémur exémpla. Per Dóminum.

Die 4. Julii.
S. Elisabeth Reginæ Portug. Vid.
Missa ut in Propr. Portug. ead. die.

Die 7. Julii.
S. Pulcheriæ Imper. Virg.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis Dom. II. Julii cum commem. Octavæ S. Elisabeth.

Die 11. Julii.
Octava **S. Elisabeth.**
Missa ut in die festi.

Die 15. Julii.
Bb. Quadraginta Martyrum Ignatii de Azevedo et **Soc.** Soc. Jes.
Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens ætérne Deus, qui nos in beáto Ignátio et Sóciis ejus ad prædicándam Brasíliæ géntibus cathólicam fidem missis, quadragínta Mártyrum palmas sub una tríbuis solemnitáte venerári: concéde propítius; ut quorum in cœlis glóriam læti suspícimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum.

Die 16. Julii.
B. M. V. de Monte Carmelo
Titul. Ecclesiæ Cathedr. Flumin. Januar.
Missa ut in Missali eadem die. Et dicitur Credo et Præfatio Et te in Com̃emoratióne per totam Octav.

Die 23. Julii.
Octava **B. M. V. de Monte Carmelo.**
Missa ut in die festi.

Dom. III. Julii.
S. Angeli Custodis Imperii Brasiliæ.
Missa ut in Proprio Portugalliæ ead. Dominica præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui ineffábili providéntia unicuíque regno singulárem Angelum ad custódiam deputásti: concéde quæsumus; ut Angeli Impérii nostri Custódis précibus et patrocíniis ab ómnibus semper eruámur advérsis. Per Dóminum.

Dominica ultima Julii.
S. Annæ Matris B. M. V. Patronæ Civit. et Diœc. post S. Sebast.
Missa ut in Missali die 26. Julii. Et dicitur Credo per totam Octav.

Dom. I. Augusti.
Octava **S. Annæ Matris B. M. V.**
Missa ut in die festi.

Die 9. Augusti.
S. Emygdii Episc. et Mart.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 16. Augusti.
S. Rochi Confessoris.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Dom. post Oct. Assumpt. B. M. V.
Ss. Cordis B. M. V.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis Domin. III. post Pentec.

Die 4. Septembris.
S. Rosæ Viterbiensis Virg.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 7. Septembris.
S. Petri Claver Confessoris.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis die 9. Sept.

Die 11. Septembris.
Bb. Caroli Spinolæ et **Soc.** Mart. Soc. Jesu.
Missa ut in festo Ss. Mauritii et Soc. Mart. die 22. huj., præter Orationes sequ.

Oratio.

Annue, quǽsumus omnípotens Deus: ut beatórum Mártyrum tuórum Cároli et Sociórum ejus, nos lætíficet festíva solémnitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Oct., ac Ss. Proti et Hyacinthi Mm. ut in Missali.

Secreta.

Réspice, quǽsumus Dómine, múnera, quæ in beatórum Mártyrum tuórum Cároli et Sociórum ejus commemoratióne deférimus: et præsta; ut, quorum honóre sunt grata, eórum nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti sacraméntis et gaúdiis: súpplices te rogámus, Dómine; ut quorùm gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum.

Die 25. Septembris.
S. Petri de Arbues Mart.
Missa ut in Proprio Portugalliæ die 17. Sept.

Die 10. Octobris.
S. Francisci Borgiæ Conf.
Missa ut in Missali eadem die.

Die 19. Octobris.
S. Petri de Alcantara Conf. Patroni præcipui totius Imperii Brasiliæ.
Missa ut in Missali eadem die. Dicitur Credo per totam Octav.

Die 21. Octobris.
Ss. Ursulæ et **Soc.** Virg. et Mart.
Missa. Loquébar. de Comm. Virg. et Mart. cum Orationibus ut in Missali hac die.

Die 22. Octobris.
B. Gundisalvi de Lagos Conf.
Missa ut in Proprio Portugalliæ die 16. Nov.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Missa ut inter festa pro aliqu. loc. eadem die.

Die 25. Octobris.

Ss. Crispini et **Crispiniani** Mart.

Missa ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Die 26. Octobris.

Octava **S. Petri de Alcantara** Conf.

Missa ut in die festi.

Die 2. Novembris.

In Commemoratione

Omnium Fidelium Defunctorum.

Omnia ut in Proprio Portugalliæ eadem die.

Die 5. Novembris.

B. Martini de Porrez Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco.

Oratio.

Deus humílium celsitúdo, qui beátum Martínum Confessórem tuum ad cœléstia regna transíre fecísti: ejus méritis et intercessióne concéde; nos ejus humilitátem ita imitári in terris, ut cum ipso exaltári mereámur in cœlis. Per Dñm.

Evangelium. Confíteor tibi, Pater. ut in Missali, die 15. Januarii.

Dominica post Oct. Oo. Sanctorum.

Patrocinii B. M. V.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis Dom. II. Novembr.

Index alphabeticus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 18. Maji 1888.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

Ratisbonæ 1888. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



MISSÆ PROPRIÆ
PRO
SICILIÆ REGNO.

Die 4. Decembris.
S. Barbaræ Virg. et Mart.
Missa. **Loquébar.** de Communi.

Die 8. Decembris.
Immaculatæ Conceptionis B. M. V.
Patroni Princ. Urbis et Regni Siciliæ.
Missa ut in Missali.

Die 10. Januarii.
S. Agathonis Papæ et Conf.
Patroni Principalis.
Missa. **Státuit.** de Communi, cum commem. Octavæ Epiph.
Credo. per totam Octav. Præfatio et **Communicántes.** de Epiph.

Die 22. Januarii.
S. Vincentii Levitæ et Mart.

Introitus. Sap. 10.

CErtámen forte dedit illi Dóminus, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Ps. 58. Fortitúdinem meam ad te custódiam: quia Deus suscéptor meus es. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus, advérsa mundi invícta mentis constántia toleráre, qui beátum Levítam Vincéntium nec minis terréri, nec pœnis passus es superári. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. c. 2. et 3.

IN diébus illis: Audívi vocem magnam tamquam tubæ, dicéntis: Scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in déxtera sua: Scio ópera tua et labórem, et patiéntiam tuam, et quia non potes sustinére malos: et sustinuísti propter nomen meum, et non defecísti. Qui habet aurem, aúdiat quid Spíritus dicat: Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod est in paradíso Dei mei, manna abscónditum et cálculum cándidum: et in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit,

nisi qui áccipit. Qui vícerit, et custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes; vestiétur vestiméntis albis, et non delébo nomen ejus de libro vitæ, et confitébor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus: fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, et dabo ei sedére mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Graduale. 2. Timoth. 4. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Philipp. 1. Magnificábitur Christus in córpore meo sive per vitam, sive per mortem.

Allelúja, allelúja.
℣. 1. Cor. 15. Cum mortále hoc indúerit im̃ortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 58. Cantábo fortitúdinem tuam, Dómine, et exaltábo mane misericórdiam tuam.
℣. Quia factus es suscéptor meus, et refúgium meum in die tribulatiónis meæ.
℣. Adjútor meus, tibi psallam: quia Deus suscéptor meus es.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehéñam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Offertorium. Apoc. 3. Qui vícerit, vestiétur vestiméntis albis, et confitébor nomen ejus coram Patre meo et coram Angelis ejus.

Secreta.

Hodiérnum tibi, Dómine, sacrifícium lætántes offérimus: qui beáti Vincéntii cœléstem victóriam recenséntes, et tua magnália prædicámus, et nos acquisísse gaudeámus suffrágia gloriósa. Per Dñm.

Communio. Marc. 8. Qui perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium, salvam fáciet eam.

Postcommunio.

Cœléstibus, Dómine, corróbora nos sacraméntis; ut eádem virtúte vitiórum blandiménta vincámus, qua beátus Martyr Vincéntius tormentórum im̃anitátem pro fide tui nóminis superávit. Per Dóminum nostrum.

Die 28. Januarii.

S. Juliani Episc. et Conf.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 30. Januarii.

B. Sebastiani Valfrè Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. Oratio.

Da nobis, quǽsumus Dómine: ita pro animárum subsídio in tua dilectióne manére; sicut beátum Sebastiánum, Confessórem tuum, ad multórum salútem novum tibi sacerdótem fidélem suscitásti. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Beáti Sebastiáni Confessóris tui, Dómine, vestígiis inhæréntes, fac nos sacri altáris mystérium: et pura tractáre manu, et digno prósequi piæ devotiónis affectu. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Vitáli, Dómine, sacraménto reféctos, beáti Sebastiáni Confessóris tui méritis, ita nos protegéndo confírma: ut quibus dedísti grátiam, largiáris et glóriam. Per Dóminum nostrum.

℟ Missæ de Passione Domini ante et per Quadrages. ut inter festa pro aliquibus locis.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episc. et Mart.

Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Blásium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, in suis perferéndis supplíciis, et in aliórum depelléndis infirmitátibus admirábilem effecísti: concéde propítius; ut illíus et in fide constántiam imitémur, et in perículis patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Die 9. Februarii.

Sancti Anastasii Martyris.

Missa. In virtúte tua. de Comuni. Evangel. Si quis venit ad me. ex Missa. Státuit.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Anastásii Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Anastásio Mártyre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dñm.

Die 5. Martii.

Sancti Eliæ Prophetæ.

Introitus. 3. Reg. 19.



Elo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, dixit Elías ad Dóminum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israël, altária tua destruxérunt, Prophétas tuos occidérunt gládio: derelíctus sum ego solus, et quærunt ánimam meam, ut aúferant eam. Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus, eódem interveniénte, ad cœléstia sublevémur, et sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dñm.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 48.

Surréxit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum illíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt: non enim póterant sustinére præcépta Dómini. Verbo Dómini contínuit cœ-

lum, et dejécit ignem de cœlo ter: sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis; et quis potest simíliter sic gloriári tibi? Qui sustulísti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui dejecísti reges ad perníciem, et confregísti fácile poténtiam ipsórum, et gloriósos de lecto suo. Qui audis in Sina judícium, et in Horeb judícia defensiónis. Qui ungis reges ad pœniténtiam, et Prophétas facis successóres post te. Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum: qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini, et restitúere tribus Jacob.

Graduale. 4. Reg. 1. Factum est cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías, et Eliséus de Gálgalis.
℣. Cumque incèdéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque: et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum.

Allelúja, allelúja.
℣. 1. Machab. 2. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. 3. Reg. 18. Elías ascéndit in vérticem Carméli, et pronus in terram pósuit fáciem suam inter génua sua, et dixit ad púerum suum: Ascénde, et próspice contra mare sépties.
℣. In séptima autem vice, ecce nubécula parva, quasi vestígium hóminis, ascendébat de mari.
℣. Qui ait: Ascénde, et dic Achab: Junge currum tuum, et descénde, ne óccupet te plúvia; et facta est plúvia grandis.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.
℣. Eccli. 48. Quis potest simíliter sic gloriári tibi? Qui sustulísti mórtuum ab ínferis. Allelúja.
℣. Qui recéptus es in túrbine ignis in curru equórum igneórum. Allelúja.

Evangelium. Assúmpsit Jesus. ut in festo Transfigurationis Domini, die 6. Augusti.

Offertorium. Jac. 5. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et oratióne orávit, ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex: et rursus orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Secreta.

Offérimus tibi, Dómine, hóstiam laudis in honórem sancti Elíæ Prophétæ tui: et sicut tu holocaústo suo adfuísti, ita sacrifícium nostrum suscípere dignéris; ut per illud ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam. Per Dóminum.

Communio. Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus, et horríbilis, et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.

Postcommunio.

Deus, qui per sanctum Angelum tuum beáto Elíæ Prophétæ tuo cibum, et potum tribuísti: ipso interveniénte concéde; ut quæ de cœlésti mensa percépimus, sincéris méntibus illibáta servémus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Die 6. Martii
vel Dominica II. Julii.
S. Pulcheriæ Virg. Imperatricis.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis Dominica II. Julii.

Die 9. Martii.
S. Catharinæ Virg. Bononiensis.
Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.
Oratio.

Concéde nos fámulos tuos, Deus, beátæ Catharínæ Vírginis suffrágiis adjuvári, cujus odóre unguentórum tráhimur ad tua sancta lætántes. Per Dóminum.

Die 11. Martii.
B. Petri de Hieremia Conf.
Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.
Oratio.

Deus, qui beáti Petri, Confessóris tui, précibus et hortaméntis errántes in viam justítiæ, misericórditer redíre fecísti: diláta, quæsumus, illíus intercessióne, corda nostra, ut sémitam mandatórum tuórum semper currámus. Per Dóminum.

Die 3. Aprilis.
S. Benedicti a S. Philadelpho
Confessoris.
Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pont.
Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum, Confessórem tuum, cœléstibus donis locupletásti, eúmque in Ecclésia tua signis, et virtútibus claráre fecísti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis, et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Die 17. Aprilis.
B. Mariæ Annæ a Jesu.
Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.
Oratio.

Deus, qui beátam Maríam Annam Vírginem tuam innúmeris grátiæ tuæ munéribus cumulásti: ejus nobis précibus concéde; ut quam solémni veneratióne cólimus, étiam actiónibus imitémur. Per Dóminum.

Dom. II. post Pascha.
S. Francisci de Paula Conf.
Introitus.


Aritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis, allelúja, allelúja. Ps. 72. Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde! ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátum Francíscum Confessórem sanctórum tuórum glória sublimásti: tríbue, quæsumus; ut ejus méritis, et imitatióne promíssa humílibus præmia felíciter consequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 13.

Fratres: Si linguis hóminum loquar, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cýmbalum tínniens. Et si habúero prophetíam, et nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam: et si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos paúperum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus

meum, ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest. Cáritas pátiens est, benígna est: Cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congaúdet autem veritáti. Omnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas numquam éxcidit: sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Nunc autem manent fides, spes, cáritas, tria hæc: major autem horum est cáritas.

Allelúja, allelúja.
℣. In te cantátio mea semper: tamquam prodígium factus sum multis: et tu adjútor fortis. Allelúja.
℣. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Allelúja.

Evangelium. Confíteor. ut in festo S. Francisci die 4. Octobris.
Et dicitur Credo.

Offertorium. Univérsa terra, Dómine, in spíritu humilitátis suscipiátur, et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo, ut pláceat tibi, allelúja.

Secreta.

Quæsumus, Dómine, ut múnera obláta sanctífices: et corda nostra intercessióne beáti Francísci tuæ répleas abundántia caritátis. Per Dóminum.

Comũnio. Matth. 11. Díscite a me quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris, allelúja.

Postcommunio.

Deus, qui supérbis resístis, et humílibus grátiam tríbuis: exaúdi preces nostras, et intercedénte beáto Francísco Confessóre tuo, da nobis alta non sápere; sed majestáti tuæ húmili semper corde servíre. Per Dóminum.

Die 5. Maji.

S. Angeli Carmelitæ Mart.

Missa. Protexísti. de Communi Mart. temp. Paschali, sed Evangel. Si quis vult post me veníre. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco, extra temp. Paschale.

Oratio.

Plebs tua, Dómine, beáti Sacerdótis, et Mártyris tui Angeli te glorificatióne sanctíficet: et eódem semper precánte, te mereátur habére rectórem. Per Dóminum.

Die 10. Maji.

Ss. Alphii, Philadelphi et **Cyrini** Martyrum.

Introitus. Ps. 33.

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus, allelúja. Dóminus custódit ómnia ossa eórum, unum ex his non conterétur, allelúja, allelúja.

Ps. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore, semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Alphii, Philadélphi, et Cyríni natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 10.

Réddidit Deus justis mercédem labórum suórum: et dedúxit illos in via mirábili; et fuit illis in

velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem. Tránstulit illos per mare rubrum, et transvéxit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demérsit in mare, et ab altitúdine inferórum edúxit illos. Ideo justi tulérunt spólia impiórum, et decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt páriter, Dómine Deus noster.

Allelúja, allelúja.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Allelúja.

℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 3.

IN illo témpore: Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem, et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infírmos. Et ait ad illos: Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúmque domum intravéritis, ibi manéte, et inde ne exeátis: et quicúmque non recéperint vos, exeúntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per castélla, evangelizántes, et curántes ubíque.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in Sanctis suis, Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja, allelúja.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte reddántur. Per Dóminum nostrum.

Communio. Joann. 15. Ego elégi vos de mundo, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat, allelúja.

Postcommunio.

Præsta nobis, quǽsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Alphio, Philadélpho, et Cyríno: ut quod ôre contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 11. Maji.

S. Francisci de Hieronymo Conf. Societatis Jesu.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 19. Maji.

B. Augustini Novelli Conf.

Introitus. Ps. 44.


Uis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, et volábo, et requiéscam? Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine, allelúja, allelúja. Ps. ib. Exaúdi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam, inténde mihi, et exaúdi me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui supérbis resístis, humílibus autem das grátiam: concéde, quǽsumus, nobis, intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo, supérbe non sápere, sed ad te verum Deum humíliter gradiéndo perveníre. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 8.

Si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur: quis horum, quæ sunt, magis quam illa est ártifex? et si justítiam quis díligit: labóres hujus magnas habent virtútes: sobrietátem enim, et prudéntiam docet, et justítiam, et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus. Et si multitúdinem sciéntiæ desíderat quis, scit prætérita, et de futúris æstimat: scit versútias sermónum, et dissolutiónes argumentórum: signa, et monstra scit ántequam fiant, et evéntus témporum, et sæculórum. Propósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis, et tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis: et acútus invéniar in judício, et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me: tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo per hanc immortalitátem: et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos: et natiónes mihi erunt súbditæ.

Temp. Paschali: Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 17. Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi, in audítu auris obedívit mihi. Allelúja.

℣. Matth. 11. Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde. Allelúja.

Extra temp. Paschale.

Graduale. Ps. 83. Mélior est dies una in átriis tuis, Dómine, super míllia. ℣. Elégi abjéctus esse in domo Dei magis, quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Allelúja, allelúja.

℣. Phil. 3. Omnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 14.

In illo témpore: Dicébat Jesus et ad invitátos parábolam, inténdens quómodo primos accúbitus elígerent, dicens ad illos: Cum invitátus fúeris ad núptias, non discúmbas in primo loco: ne forte honorátior te sit invitátus ab illo; et véniens is, qui te, et illum vocávit, dicat tibi: Da huic locum: et tunc incípias cum rubóre novíssimum locum tenére; sed cum vocátus fúeris, vade, recúmbe in novíssimo loco: ut cum vénerit, qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascénde supérius. Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus: quia omnis, qui se exáltat, humiliábitur: et qui se humíliat, exaltábitur.

Offertorium. Eccli. 11. Oculus Dei respéxit illum in bono, et eréxit eum ab humilitáte ipsíus, et exaltávit caput ejus: et miráti sunt in illo multi, et honoravérunt Deum, allelúja.

Secreta.

Deus, qui odóre unguentórum tuórum fidéles tuos in solitúdinem trahis, ibíque in eórum córdibus lóqueris, ac cœléstibus delíciis áffluis: concéde propítius; ut beáto Augustíno Confessóre tuo intercedénte, in solitúdinem cordis, et córporis gradiámur. Per Dñm.

Communio. Luc. 18. Amen dico vobis, nemo est, qui relíquit do-

mum, aut paréntes, aut fratres, aut uxórem, aut fílios propter regnum Dei, et non recípiat multo plura in hoc témpore, et in sæculo ventúro vitam ætérnam, allelúja.

Postcommunio.

Deus, a quo bona cuncta procédunt: largíre nobis, cœléstis ádipe fruménti satiátis, ut beáti Augustíni Confessóris tui humilitátis exémpla sectántes in terris, exaltári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Feria VI.
post Octavam Ss. Corp. Christi.
Ss. Cordis Jesu.

Missa. Miserébitur. in Missali eadem Feria.

Die 16. Junii.
S. Mamiliani Episc. et Mart.
Patr. Princip. Urbis Panorm.

Missa. Státuit. de Communi.

Die 18. Junii.
S. Calogeri Confessoris.

Introitus. Ps. 36.



Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Calógeri, Confessóris tui, áñua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Epistola. Est quæstus. ut in festo S. Alexii Conf., die 17. Julii.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad añuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Coñunio. Marc. 16. Signa autem eos, qui in me credunt, hæc sequéntur: dæmónia ejícient, super ægros manus impőnent, et bene habébunt.

Postcommunio.

Refécti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut in cujus hæc coñemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 27. Junii.

S. Agrippinæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Communi.

Oratio.

Deus, qui beátæ Agrippínæ largítus es, ut cum virginitátis flore martýrii palmam copuláret: concéde; ut ejus intercessióne, illécebris et advérsis mundi superátis, ad gaúdia ætérna perveníre mereámur. Per Dóminum.

Die 29. Junii.

Commemorationes addendæ in Missa Ss. Apost. **Petri** et **Pauli.**

Pro omnibus Ss. Apostolis.

Oratio.

Exaúdi nos, Deus salutáris noster, et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis.

Pro omnibus Ss. Martyribus.

Oratio.

Deus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum: réspice ad preces humilitátis nostræ; ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

Pro omnibus Ss. Apostolis.

Secreta.

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam celebrántes, quæsumus, ut eámdem, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus.

Pro omnibus Ss. Martyribus.

Secreta.

Súscipe, quæsumus Dómine, et sanctífica hoc sacrifícium: ut quod in honórem beatórum Mártyrum tuórum offértur ad glóriam, nobis prosit ad véniam. Per Dñm.

Pro omnibus Ss. Apostolis.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: ut fidéles tui venerándas assídue celebrántes sanctórum Apostolórum tuórum passiónes, et cópiam invéniant perpétuæ devotiónis, et salútis ætérnæ suffrágia majóra conquírant.

Pro omnibus Ss. Martyribus.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut non désinant sancti pro nostris tibi supplicáre peccátis, a quibus voluísti pro peccatóribus exorári. Per Dóminum.

Die 5. Julii.

B. Archangeli a Calataphimo Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Com̃. Conf. non Pont.

Oratio.

Clementíssime Deus, qui beátum Archángelum, Confessórem tuum, solitúdinis cultórem evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti: concéde nobis fámulis tuis; ut ejúsdem imitántes exémpla, consequámur et præmia. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Oblátis, quæsumus Dómine, placáre munéribus: et intercedénte beáto Archángelo Confessóre tuo, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Famíliam tuam, quæsumus Dómine, quam sacris munéribus satiásti, beáti Archángeli intercessióne réfove: ut humilitátis ejus vestígia ínsequens, ad gaúdia pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Die 9. Julii.

S. Veronicæ de Julianis Virg.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 15. Julii.

Inventio Corporis **S. Rosaliæ** Virg. Patr. Princip.

Missa ut infra die 4. Septembris.

Die 20. Julii.

S. Margaritæ Virg. Mart. Patr.

Missa. Me exspectavérunt. de Communi Virginum.

Die 21. Julii.

S. Macrinæ Virg. Abbatissæ.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.

Oratio.

Deus, veritátis amátor, qui beátæ Macrínæ Vírginis ad tui nóminis glóriam vota suscípere dignátus es: fac nos rádios veræ lucis agnóscere, et ad perpétuæ caritátis tuæ ampléxus felíciter perveníre. Per Dóminum.

Die 27. Julii.

S. Pantaleonis Martyris.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 9. Augusti.

S. Alberti Carmelitæ Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont.

Die 11. Augusti.

B. Josephi Mariæ Card. Thomasii.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Joséphum Maríam Confessórem tuum gloriósis méritis, et doctrínis decoráre dignátus es: concéde propítius; ut et cœléstis doctrínæ pábulo nutriámur, et ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Secreta.

Cum timóre ac fidúcia tibi, Dómine, hæc múnera offérimus: ut a te sanctificáta et misericórdiam nobis concílient, et pacem. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Hujus nos, Dómine, percéptio sacraménti mundet a crímine, et beáti Joséphi Maríæ Confessóris tui intercedéntibus méritis, ad cœléstia regna perdúcat. Per Dóminum nostrum.

Die 12. Augusti.

S. Euplii Diaconi et Mart.

Introitus. Ps. 118.



Uómodo diléxi legem tuam, Dómine? tota die meditátio mea est. Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo, quia in ætérnum mihi est.

Ps. Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, cujus verbo erudítus, et grátia roborátus Eúplius Martyr, bonum certámen in gloriósa Evangélii tui confessióne certávit: da nobis eámdem fídei firmitátem, ut per consolatiónem Scripturárum spem habeámus, et a caritáte tua nullis tentatiónibus separémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 1.

Habéntes administratiónem, juxta quod misericórdiam con-

secúti sumus, non defícimus, sed abdicámus occúlta dedécoris, non ambulántes in astútia, neque adulterántes verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo. Quod si étiam opértum est Evangélium nostrum: in iis qui péreunt, est opértum: in quibus Deus hujus sǽculi excæcávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum; nos autem servos vestros per Jesum. Quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesaúrum istum in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus: semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes. Semper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum: ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habéntes autem eúmdem spíritum fídei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum: et nos crédimus, propter quod et lóquimur: sciéntes, quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit, et constítuet vobíscum.

Graduale. Ps. 39. Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei. ℣. Ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. Justítiam tuam non abscóndi in corde meo: veritátem tuam, et salutáre tuum dixi.

Allelúja, allelúja.
℣. Matth. 3. Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 16.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Ps. 118. A judíciis tuis non declinávi, quia tu legem posuísti mihi. Quam dúlcia faúcibus meis elóquia tua! super mel ori meo.

Secreta.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Eúplii Mártyris tui præclára exémpla sectántes, Evangélium Fílii tui sincéra dilectióne servémus, cujus córpori communicámus et sánguini: Qui tecum vivit et regnat.

Communio. Ps. 93. Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, et de lege tua docúeris eum.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus Dómine: ut quod beáto Eúplio robur cóntulit ad certámen, nobis quoque præstet fídei, spei et caritátis augméntum. Per Dóminum.

Die 13. Augusti.

S. Liborii Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm.

Die 19. Augusti.

S. Ludovici Tolosani Ep. et Conf.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die. Et dicitur Credo.

Die 26. Augusti.

S. Philumenæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. 1. loco.

Die 1. Septembris.

In solemni Commemoratione

Conceptionis Immaculatæ B. M. V.

Missa ut in Missali die 8. Dec.

Die 4. Septembris.

S. Rosaliæ Virg. Panormitanæ.

Introitus.

REgnum mundi, et omnem ornátum sǽculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi: quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi.

Ps. 120. Levávi óculos meos in montes, unde véniet auxílium mihi.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátam Rosáliam Vírginem e regálibus delíciis in móntium solitúdinem transtulísti: concéde propítius; ut ejus méritis, et intercessióne a mundi voluptátibus in cœléstium amórem erigámur, et ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 10.

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ: sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale. Ps. 44. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam, et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui, et concupíscet rex decórem tuum.
℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Allelúja, allelúja.
℣. Mémores erunt nóminis tui in omni generatióne, et progénie. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.
℣. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.
℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.
℣. Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum. Allelúja.
℣. Sap. 4. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte! Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui ínvenit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quæréнti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti; quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova, et vétera.

Offertorium. Ps. 54. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, et volábo, et requiéscam? Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine.

Secreta.

Réspice, quǽsumus Dómine, ad hæc salútis ætérnæ múnera: ut qui in beátæ Rosáliæ solemnitáte hóstiam virgináli odóre fragrántem offérimus, tantæ Vírginis imitémur exémpla, et assíduæ protectiónis increménta sentiámus. Per Dñm.

Communio. Ps. 26. Abscóndit me Dóminus in tabernáculo suo: in die malórum protéxit me: in petra exaltávit me.

Postcommunio.

Rex vírginum, et castitátis amátor, cleméntiam tuam súpplices deprecámur: ut redemptiónis tuæ múnere vegetátos, beátæ Rosáliæ précibus gloriósis, ab omni mentis, et córporis contagióne tueáris: Qui vivis et regnas.

In Missis tamen votivis, quæ extra Octavam ejusdem S. Rosaliæ celebrari contigerint, in Secreta dicatur: ut qui in beátæ Rosáliæ commemoratióne.

Die 6. Septembris.

S. Camilli de Lellis Conf.

Missa ut in Missali die 18. Julii. Et dicitur Credo.

Die 9. Septembris.

S. Sergii Papæ et Conf.

Missa. Státuit. de Communi.

Die 22. Septembris.

S. Mariæ de Cervellione Virg.

Missa. Dilexísti. de Communi.

Oratio.

Deus, qui nos cónspicis in tot perículis constitútos pro nostra fragilitáte non posse subsístere: concéde propítius; ut, intercedénte beáta María fámula tua, de præséntis vitæ flúctibus edúcti, ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

Die 5. Octobris.

Ss. Placidi et **Sociorum** Mart.

Missa. Salus autem. de Communi plur. Mart. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Plácidum in aquis pene demérsum mira-

bíliter eripuísti, ut fidem inde, quam cum plúribus sóciis coram persecutóribus conféssus est, próprio sánguine confirmáret: ipsórum nobis intercessióne concéde; ut ánimas nostras propter te pérdere non timéntes, eas apud te felíciter invenire mereámur. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Plácido et Sóciis ejus: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 8. Octobris.

S. Simeonis Prophetæ.

Missa. Os justi. de Comuni Conf. Pont., præter Orat. et Evang.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum ulnis beáti Simeónis in templo suscipiéndum præsentásti: tuam súpplices deprecámur cleméntiam; ut, eo interveniénte, in templo sancto glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2.

IN illo témpore: Homo erat in Jerúsalem cui nomen Símeon, et homo iste justus, et timorátus, exspéctans consolatiónem Israël, et Spíritus sanctus erat in eo. Et respónsum accéperat a Spíritu sancto non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini. Et venit in spíritu in templum. Et cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit: Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace: quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, quod parásti ante fáciem ómnium populórum: lumen ad revelatiónem Géntium, et glóriam plebis tuæ Israël. Et erat pater ejus et mater mirántes super his, quæ dicebántur de illo, et benedíxit illis Símeon: et dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam, et in resurrectiónem multórum in Israël; et in signum, cui contradicétur: et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

Die 12. Octobris.

S. Ludovici Bertrandi Conf.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Dominica II. Octobris.
Maternitatis B. Mariæ Virg.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Dominica III. Octobris.
Puritatis B. Mariæ Virg.
Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Dominica IV. Octobris.
Ss. Angelorum Custodum.
Missa ut in Missali, die 2. Octobris. Dicitur Credo. per totam Octav.

Die 25. Octobris.
Ss. Gavini et **Soc.** Mart.
Missa. Intret. de Comm. plurim. Mart., præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui per beátos Mártyres tuos Gavínum, Protum et Januárium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut quos patrónos venerámur in terris intercessóres habére mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Die 29. Octobris.
B. Mariæ V. Agonizantium.
Missa ut in festis B. M. V. per annum præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui Unigénito Fílio tuo pendénti in cruce pro animárum salúte, ejus Genitrícem Vírginem Maríam adésse voluísti: fac, ut nos in extrémo vitæ perículo constitúti, ejus intercessióne adjuvémur, et ætérna præmia cónsequi mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et dicitur Credo.
Præf. Et te in festivitáte B. M. V.

Die 12. Novembris.
S. Nymphæ Virg. et Mart.
Missa. Loquébar. de Communi. Dicitur Credo. per totam Octav.

Die 13. Novembris.
S. Stanislai Kostkæ Conf.
Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 14. Novembris.
B. Joannis Liccii Conf.
Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum plena sui abnegatióne, atque exímiæ caritátis zelo claréscere voluísti: ejus nobis imitatióne concéde; ut abdicátis terrénis affectibus, in tua dilectióne vivámus. Per Dóminum.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 6. Maji 1887.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

Ratisbonæ 1887. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Die 31. Maji.

In Festo

Beati Felicis a Nicosia Confessoris.

Introitus. Ps. 36.


S justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Deus, qui beátum Felícem Confessórem tuum in simplicitáte et humilitáte tibi servíre, ac mirábiles in corde suo ascensiónes dispónere docuísti: concéde propítius; ut ipsíus exémpla sectántes in terris, ejúsdem glóriæ partícipes efficiámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória, et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja. ℣. Eccli. 45. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.


Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12. e.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles ho-

mínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti: quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium. Ps. 88. **Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.**

Secreta.

Ad cœléste Sacraméntum fac nos, quǽsumus Dómine, ea caritáte fervéntes accédere, qua beáti Felícis cor illud percipiéndo flagrábat. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. **Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.**

Postcommunio.

Da, quǽsumus Dómine, famíliæ tuæ, quam in festivitáte beáti Felícis, Córporis et Sánguinis Fílii tui sacraménto refecísti: ut in bonis semper opéribus augeátur, et ad cœléstia prǽmia capiénda tuæ grátiæ múnere præparétur. Per eúmdem Dóminum.

Decretum.

In Apostolicis litteris in forma Brevis propediem expediendis ad assequendam formalem Beatificationem Ven. Servi Dei Fr. Felicis a Nicosia Laici Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, quum ex majorum præscripto et praxi Sacrorum Rituum Congregationis apponendæ sint Orationes propriæ in Officio et Missa de Communi in honorem novi Beati legendæ ab iis omnibus, quibus in Brevi recensito Officium ipsum persolvendi Missamque celebrandi facultas impertitur; Sacra eadem Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributis, ad humillimas preces Rev. P. Mauri a Leonissa Sacerdotis Professi præfati Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, Causæ Postulatoris, suprascriptas Orationes proprias, a R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore revisas, benigne approbavit, atque ab omnibus, quibus Officium cum Missa concessum est post expletam formalem Beatificationem recitari posse indulsit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9. Decembris 1887.

L. ✠ S. **A. Card. Bianchi,** S. R. C. Præfectus.

Laurentius Salvati, S. R. C. Secretarius.

Concordat cum suo originali. In fidem etc. Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 24. Januarii 1888.

L. ✠ S. Pro **R. P. D. Laurentio Salvati** Secretario

Joannes Ponzi, Substitutus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 4. Maji 1890.

G. Erlenborn, Vicarius in Spirit. Generalis.

Ratisbonæ 1890. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM IN DIŒCESI CALATANISIADENSI.

Die 1. Decembris.

S. Eligii Episc. et Conf.

Introitus.



Tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Tríbue nobis, quæsumus Dómine, singulárem sancti Elígii Confessóris tui, atque Pontíficis caritátem imitáre, ut illíus mérita in spíritu, et veritáte celebrémus. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. Petri 5. 1.

Senióres ergo, qui in vobis sunt, óbsecro, consénior et testis Christi passiónum: qui et ejus, quæ in futúro revelánda est, glóriæ communicátor: páscite qui in vobis est gregem Dei, providéntes non coácte, sed spontánee secúndum Deum: neque turpis lucri grátia, sed voluntárie: neque ut dominántes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo. Et cum apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. Simíliter adolescéntes súbditi estóte senióribus. Omnes autem ínvicem humilitátem insinuáte, quia Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis.

Graduale. Eccl. 44. Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.
℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja.
℣. Ps. 109. Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre profectúrus, vocávit servos suos, et trádidit illis

bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam Dómini sui. Post multum vero témporis venit Dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens, qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi Dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gaúdium Dómini tui. Accéssit autem, et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi Dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gaúdium Dómini tui.

Offertorium. Ps. 101. 5. Jucúndus homo, qui miserétur, et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício, quia in ætérnum non commovébitur.

Secreta.

Hæc oblátio, quæsumus Dómine, in córdibus nostris veræ caritátis effectum confírmet, quo beátus Póntifex, et Conféssor tuus Elígius terréna ómnia despéxit. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ep. 1. S. Joann. 2. 21. Hoc mandátum habémus a Deo, ut qui díligit Deum, díligat et fratrem suum.

Postcommunio.

Implóret nobis, Dómine, sancti Elígii Confessóris tui, atque Pontíficis intercéssio, ita hæc divína frequentáre mystéria, ut ad ætérnum regni tui convívium perveníre mereámur. Per Dóminum.

Die 6. Februarii.

B. Matthæi Episc. Agrig. et Conf. Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. præter sequ.

Oratio.

Da quæsumus, omnípotens Deus, interveniénte beáto Matthǽo Confessóre tuo atque Pontífice; ut sicut ipse sanctíssimi Nóminis Fílii tui Jesu amóre flagrávit, ita nos eódem accénsi, studeámus calcáre terréna et amáre cœléstia: Qui tecum vivit.

Die 15. Februarii.

B. Bernardi a Corileone Conf. Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Bernárdum Confessórem tuum, heróica caritáte, et admirábili pœniténtia clarére fecísti: ejus nobis intercessióne concéde, te super ómnia toto cordis afféctu dilígere, et dignos pœniténtiæ fructus fácere. Per Dóminum nostrum.

Die 25. Februarii.

S. Gerlandi Episc. Ag. et Conf. Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Gerlándum Confessórem tuum, atque Pontíficem prædicatiónis grátia ad fidei

exaltatiónem decoráre dignátus es, præsta, quǽsumus: ut ejus suffragántibus méritis, quod ipse dócuit, ópere adimplére mereámur. Per Dóminum nostrum.

Die 27. Februarii.

S. Leandri Episc. et Conf.

Missa ut in Appendice Missarum die 11. Martii.

Oratio. Deus, qui ariánam. ut ib.

Die 1. Martii.

B. Joannæ M. Bonomo Virg.

Missa. Dilexísti. ut in Com̃. Virg. præter sequ.

Oratio.

Dómine Jesu Christe virtútum ómnium exémplar et prǽmium, qui beátam Joánnam Maríam Vírginem tuam admirábili patiéntiâ pro nóminis tui amóre decorásti: da pópulo tuo ejus solémnia celebránti, ita sequi vestígia, ut assequátur et prǽmia: Qui vivis et regnas.

Secreta.

Placatiónis hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, intercedénte beáta Joánna María, optátæ nobis patiéntiæ plenitúdinem largiátur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta nobis, omnípotens Deus, ut qui in honórem beátæ Joánnæ Maríæ cœléstia aliménta percépimus, per ejus vestígia gradiéntes carne mortificáti facílius ad te perveníre valeámus. Per Dóminum nostrum.

Die 2. Martii.

B. Joannis Marinonii Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter sequ.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátum Joáñem Confessórem tuum per assíduam Passiónis tuæ contemplatiónem imitatórem tui exímium effecísti: ipsíus quǽsumus intercessióne concéde; ut ejúsdem vestígiis inhæréntes, passiónis tuæ fructus percípere valeámus: Qui vivis et regnas.

Die 24. Martii.

B. Josephi M. Card. Thomasii Confessoris.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Joséphum Maríam Confessórem tuum gloriósis méritis, et doctrínis decoráre dignátus es: concéde propítius, ut et cœléstis doctrínæ pábulo nutriámur, et ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Secreta.

Cum timóre, et fidúcia tibi, Dómine hæc múnera offérimus, ut a te sanctificáta, et misericórdiam nobis concílient, et pacem. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Hujus nos, Dómine, percéptio Sacraménti mundet a crímine, et beáti Joséphi Maríæ Confessóris tui intercedéntibus méritis, ad cœléstia regna perdúcat. Per Dñm.

Die 26. Aprilis.

B. M. V. de Bono Consilio.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 28. Aprilis.

S. Thuribii Archiepisc. Limani et Confessoris.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter Orationem et Epistolam, ut infra.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Thuríbii Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi: ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dñm.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 50.

Ecce Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio, et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne, qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis: et ingréssus domus, et átrii amplificávit. Qui quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet, et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis. In ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum. In accipiéndo autem partes de manu sacerdótum, et ipse stans juxta aram. Et circa illum coróna fratrum, et quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua.

Die 14. Maji.

S. Cataldi Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco præter sequ.

Oratio.

Propitiáre nobis, quæsumus Dómine, fámulis tuis per beáti Catáldi Confessóris tui, atque Pontíficis mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Die 29. Maji.

B. Ritæ de Cassia Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Com̃. nec Virg. nec Mart. Epistola. Víduas honóra.

Oratio.

Deus, qui beátæ Ritæ tantam grátiam conférre dignátus es, ut quæ te in dilectióne inimicórum suórum imitáta est in corde, et fronte caritátis, et passiónis tuæ signa portáret, da nobis, quæsumus ejus intercessióne, et méritis, inimícos nostros dilígere, et tuæ passiónis dolóres spina compunctiónis júgiter contemplári: Qui vivis.

Die 17. Junii.

S. Germanæ Cousin Virg.

Ut in Appendice Missarum die 15. Junii.

Die 9. Julii.

S. Veronicæ de Julianis Virg. Abbatissæ Capuccinarum Tipherni.

Ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Dominica I. Augusti.

B. Mariæ Virg. de Mercede.

Introitus.



Audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis, de cujus Descensióne gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem ad liberándos Christi fidéles a potestáte paganórum, nova Ecclésiam tuam prole amplificáre dignátus es: præsta quǽsumus, ut quam pie venerámur tanti óperis institutrícem, ejus páriter méritis, et intercessióne, a peccátis ómnibus, et captivitáte dǽmonis liberémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commem. Dom. occurr.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium, inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni; jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale. Ibid. 4. et 5. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. ℣. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo.

Allelúja, allelúja. ℣. Tu regis alti jánua, et aula lucis fúlgida: vitam datam per Vírginem, gentes redémptæ plaúdite.

Sequentia.

Plaudat agmen captivórum,
Turba psallat christianórum,
Lætum sumat, et decórum,
In hac die cánticum.

Simul omnes exsultémus,
Atque grati celebrémus
Lucem tantam, qua gaudémus
Vincla fracta cérnere.

Fulget jam dies benígna,
Qua cœlitum plausu digna,
Suæ celebránda signa
Caritátis éxhibet.

Ecce fidem, ecce vitam,
Astu, plagis impetítam,
Fere tot malis contrítam,
Firmat Virgo génitrix.

Ejulátus, et laménta
Fidæ plebis, et torménta
Videns illa, non fuit lenta
Déxteram porrígere.

Ut discrímina solvántur,
Quibus merci contristántur,
Atque in pátriam reducántur
Fide rursus íntegri.

Dum Noláscus cogitáret,
Ut oppréssos liberáret,
Et assíduis vacáret,
Meditatiónibus,

Clemens se fronte seréna,
Ut miséllos de caténa
Ipse levet Saracéna,
Illi dat conspícere.

Sibi gratum nimis fore,
Nato quoque promit ore,
Sacrum si pro sui honóre
Ipse condat órdinem.

Cui præsértim sit curáre
Ferro vinctos explicáre,
Sospitésque revocáre
A fera tyránnide.

Hoc insígne amóris rari
Opus jubet asservári,
Et ut possit propagári
Palam docet álios.

Cœpit Petrus obsequéndo,
Cum sodálibus vovéndo,
Si necésse sit, manéndo
In pignus, redímere.

Dulcis advocáta nostra
Matrem nobis te esse monstra,
Et captívos réfove.

Ignem auge, fac præcláram,
Atque Nato redde caram,
Quam fundásti sóbolem.

Da quod tibi grati simus:
Et ut Tártara possímus
Evitáre, cum abímus,
Vultum tuũ éxhibe. Amen. Allel.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 19.

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium. Judith. 13. 31. Benedícta tu a Deo tuo in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël, allelúja.

Secreta.

Tua, Dómine, múnera recoléntes, hóstias tibi laudis offérimus: supplíciter deprecántes, ut qui dignátus es per Unigéniti tui matrem fidéles a barbarórum erípere servitúte, propítius nos quoque a dæmonis láqueis, et captivitáte præstes immúnes. Per eúmdem Dñm.

Præfatio de B. Maria V. Et te in Descensióne.

Communio. Ibid. 8. 7. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam, allelúja.

Postcommunio.

Redemptiónis nostræ, Dómine, sacraméntis percéptis, beatíssimæ Genitrícis tuæ intercessióne nos réfove: ut cujus ope córporis víncula exúimus, ab ánimæ quoque néxibus, ipsa te obsecránte, solvámur: Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Dom. occurr.

Die 17. Septembris.

B. Petri de Arbues Mart.

Missa. In virtúte tua. de Comm. unius Mart. non Pont. præter sequ.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro ejúsdem fídei defensióne martýrii palmam méruit obtinére. Per Dóminum.

Evangelium. Nihil est opértum. ex Missa. Lætábitur. de eod. Com.

Die 30. Octobris.

B. Alphonsi Rodriguez Conf.

Missa. Justus. de Com. Conf. non Pont. 2. loco præter sequ.

Oratio.

Deus fortitúdo fragílium, et humílium celsitúdo, qui fámulum tuum Alphónsum jugi mortificatiónis stúdio, et exímiæ humilitátis laude claréscere voluísti: da, ut ejus imitatióne, carne mortificáti, et in húmili Crucis Fílii tui sequéla fidéliter perseverántes, glóriam consequámur ætérnam: Qui tecum.

Secreta.

Oblatiónes nostras tibi, Dómine quǽsumus, beáti Alphónsi intercéssio sancta comméndet, quem coram tuis altáribus precántem, supernórum charísmatum dulcédine recreásti. Per Dóminum.

Postcommunio.

Spíritum nobis, Dómine, fortitúdinis tríbuat hæc mensa cœléstis: ut beáti Alphónsi Confessóris exémplo, salútis nostræ hóstium superátis insídiis, perpétua pace pérfrui mereámur. Per Dóminum.

Die 27. Novembris.

S. Gregorii II. Episc. Agrig. et Confessoris.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter sequ.

Oratio.

Deus, qui néminem in te sperántem nímium afflígi permíttis, concéde propítius: ut intercedénte beáto Gregório Confessóre tuo, atque Pontífice, et a cunctis adversitátibus muniámur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Adprobatio Ordinarii.

Collatione facta per Nostrum Revisorem cum aliis Missis jam adprobatis, visum est concordare.

Calatanisiaden die 25. Februarii 1883.

(L. S.) ✠ **Joannes** Episcopus.

Can. N. Diliberto a Secretis.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 26. Junii 1887.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

Index alphabeticus.





Ratisbonæ 1887. Typis **Fr. Pustet**, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

ADDITAMENTUM
PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Die 27. Februarii.

S. Leandri Episc. et Conf.

Missa. In médio. de Comuni Doct. præter sequ.

Oratio.

Deus, qui ariánam pravitátem doctrína sancti Confessóris tui atque Pontíficis Leándri ex Hispánia propulísti: da plebi tuæ; ut ejúsdem méritis et précibus, ab omni errórum et vitiórum labe semper líbera conservétur. Per Dñm.

Die 22. Martii.

S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ Vid.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart. præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Catharínam in contemplánda Fílii tui passióne divíni amóris igne flagráre fecísti: quæsumus; ut ipsa intercedénte, tuæ in nobis flammam caritátis accéndas, et ejúsdem passiónis partícipes dignánter effícias. Per eúmdem Dóminum.

Die 19. Aprilis.

B. Julianæ Cornelionensis Virg.

Missa. Dilexísti. de Comuni Virg. præter sequ.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Vírginem Juliánam ad promovéndum sanctíssimi Sacraménti cultum mirabíliter inflammásti: tríbue, quæsumus; ita nos humilitátis ejus vestígia sectári in terris, ut cum ipsa sublimári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Die 31. Maji.

S. Angelæ Mericiæ Virg.

Missa. Dilexísti. de Comuni Virg. præter Orationes sequ.

Oratio.

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti: da nobis ejus intercessióne angélicis móribus vívere; ut terrénis ómnibus abdicátis, gaúdiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dñm.

Secreta.

Hóstia, Dómine, quam tibi beátæ Angelæ memóriam recoléntes offérimus, et nostræ pravitátis véniam implóret, et grátiæ tuæ nobis dona concíliet. Per Dñm.

Postcommunio.

Cœlésti alimónia refécti, súpplices te Dómine deprecámur ut beátæ Angelæ précibus et exémplo, ab omni labe mundáti, et córpore tibi placeámus, et mente. Per Dóminum nostrum.

Die 15. Junii.

B. Germanæ Cousin Virg.

Missa. Dilexísti. de Comuni Virg. præter Orationes sequ.

Oratio.

Deus humílium celsitúdo, qui beátam Germánam Vírginem tuam, caritátis et patiéntiæ decóre excéllere disposuísti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut beátæ Germánæ Vírginis tuæ suffúlti præsídio, puris méntibus et mundo corde hæc sacra mystéria operémur. Per Dñm.

Postcommunio.

Divíni múneris participatióne reféсti, quæsumus Dómine Deus noster: ut intercedénte beáta Germána Vírgine tua, mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, tibi uni adhærére valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Die 3. Julii.

S. Irenæi Episc. et Mart.

Missa. Státuit. de Comuni unius Mart. Pont. 1. loco, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beáto Irenǽo Mártyri tuo atque Pontífici tribuísti, ut et veritáte doctrínæ expugnáret hǽreses, et pacem Ecclésiæ felíciter confirmáret: da, quæsumus, plebi tuæ in sancta religióne constántiam; et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dñm.

Evangel. Ego sum pastor bonus. ut in Dom. II. post Pascha.

Die 9. Julii.

S. Veronicæ de Julianis Virg.

Missa. Dilexísti. de Comuni Virg. præter Orationes sequ.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátam Verónicam Vírginem passiónis tuæ signis mirábilem effecísti: concéde propítius; ut carnem crucifigéntes, ad gaúdia ætérna perveníre mereámur: Qui vivis et regnas.

Secreta.

Súscipe, miséricors Deus, quas tibi humíliter offérimus laudis hóstias: et, interveniénte beáta Verónica Vírgine tua, fac eas nobis ad perpétuum proveníre subsídium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Postcommunio.

Cœlésti múnere roborátos fac nos, quæsumus Dómine Deus noster, beátæ Verónicæ Vírginis tuæ et exémplis ínstrui, et patrocíniis adjuvári. Per Dóminum.

Die 9. Augusti.

S. Emygdii Episc. et Mart.

Missa. Státuit. de Comuni unius Mart. Pont. 1. loco, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Emýgdium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, idolórum victória et miraculórum glória decorásti: concéde propítius; ut, eo interveniénte, malórum spirítuum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

Evangelium: Cum audiéritis prǽlia. ex Missa. Intret. de Comm. plurim. Mart. 1. loco.

Concordat cum aliis adprobatis.

Calatanisiaden, die 1. Decembris 1887.

L. S.

✠ **Joannes** Episc. Calatanisiaden.
Can. **N. Diliberte** a secretis.

Ratisbonæ 1888. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM

METROPOLITANÆ ECCLESIÆ, ET ARCHIDIOECESIS

CÆSARAUGUSTANÆ.

FESTA JANUARII.

DIE XXII.

S. VINCENTII MARTYRIS.

Introitus. *Psalm.* 63.



LÆTABITUR justus in Dómino, et sperábit in eo : et laudabúntur omnes recti corde. Ps. ibid. Exáudi Deus oratiónem meam, cum déprecor : a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris, ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti mártyris tui Vincéntii intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 10. g.

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant : et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale. Psalm. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur, quia Dóminus suppónit manum suam. ℣. Tota die miserétur, et cómmodat : et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúia, allelúia. ℣. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris : sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et ℣. sequenti, dicitur: Tractus. Psalm. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 12. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam ; et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur : et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium. Psalm. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso ; vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúia.

Secreta.

ACCEPTA sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio : et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Communio. Joan. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur : et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

Quæsumus omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto mártyre tuo Vincéntio, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

¶ In metropolitana Ecclesia Cæsaraugustana, festum sancti Vincentii Martyris, ac ejusdem sanctæ Ecclesiæ Archidiaconi, et Patroni, celebratur sub officio duplici primæ classis cum Octava. Missa : Lætábitur, ut supra, et dicitur Credo.

De sancto Anastasio Martyre fit prima die similiter non impedita. Missa : In virtúte tua, ut in Communi unius Mart. non Pont. Orationes dicuntur ut supra, mutato nomine sancti Vincéntii in Anastásium.

DIE XXIX.

S. VALERII, EPISC. CÆSARAUG. ET SINGULARIS PATRONI TOTIUS DIŒC.

Missa. Státuit, de Communi Conf. Pont. præter Orationes sequentes, et dicitur Credo. et per Octavam.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui sacram beáti Valérii Confessóris tui, atque Pontíficis, solemnitátem hodiérna die venerári voluísti : nos fámulos tuos ab omni culpa líberos esse, concéde : ut ejus intercessióne ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dñm.

In Metropolitana Ecclesia fit commemoratio diei Octavæ S. Vincentii.

Secreta.

Corporis, et sánguinis tui obláta múnera, quæsumus Dómine, ut cleménter accípias, et méritis beáti præsulis Valérii nobis profíciant ad salútem : Qui vivis et regnas.

Postcommunio.

Sacramenta quæ súmpsimus, spirituális alimóniæ, quæsumus Dómine, nos mundent, et múniant : et intercedénte beáto Valério Confessóre tuo, atque Pontífice, nobis grátiam cónferant sempitérnam. Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII.

DIE V.

OCTAVA S. VALERII, EPISC. CÆSARAUG.

Missa ut in die, et festum S. Agathæ transfertur.

DIE VI.

S. DOROTHEÆ, VIRG. ET MART.

In Metropoli, die 6 Februarii.

Missa. Me expectavérunt, de Communi Virg. et Mart. ij. loco, et dicitur Credo. intra Metropol.

FESTA MARTII.

DIE XIII.

INVENT. S. ENGRATIÆ, VIRG. ET SOC. EJUS MART.

Missa. Intret, ut in Communi plur. Mart. præter sequentes Orationes.

Oratio.

Respice, quæsumus Dómine, famíliam tuam, et præsta : ut qui sacrórum córporum beátæ Engrátiæ Sociorúmque ejus Inventiónem celebrámus, eórum intercessióne muníti, ab omni culpa simus líberi. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriæ occurrentis.

Secreta.

Preces nostras, quæsumus Dómine, propitiátus admítte : et dicátum tibi sacrifícium beátæ Engrátiæ vírginis et Sociórum ejus deprecátio comméndet. Per Dóminum.

Et fit comm. Feriæ.

Postcommunio.

Sanctæ Engrátiæ Mártyris, et Sociórum ejus précibus confidéntes, quæsumus Dómine : ut per ea quæ súmpsimus, eorúmdem sacrórum córporum inventiónem digne celebrémus atque ætérna remédia capiámus. Per Dóminum.

Et fit comm. Feriæ, cujus Evang. legitur in fine Missæ.

DIE XVIII.

S. BRAULII, EPISC. CÆSARAUG. ET CONF.

Missa. Státuit, de Comm. Conf. Pont.

Oratio.

Ecclesiam tuam, Dómine, perpétuis tuére præsídiis: quam beáti Bráulii Confessóris tui atque Pontíficis muníri voluísti zelo, eruditióne, et exémplis. Per Dóminum.

Et dicitur Credo.

FESTA APRILIS.

DIE XVI.

SS. ENGRATIÆ, VIRG. ET SOC. EJUS MART.

Si venerit tempore Paschali, dicitur Missa. Sancti tui. Si extra tempus Paschale, Missa. Intret in conspéctu tuo. Quolibet in tempore dici debent sequentes Orationes.

Oratio.

Respice, quæsumus Dómine, famíliam tuam, et præsta: ut beátæ Engrátiæ Sociorúmque ejus intercessióne muníta, ab omni sit culpa defénsa. Per Dóminum.

Secreta.

Preces nostras, quæsumus Dómine, propitiátus admítte, et dicátum tibi sacrifícium beátæ Engrátiæ mártyris et Sociórum ejus deprecátio comméndet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sanctæ Engrátiæ, et Sociórum ejus précibus confidéntes, quæsumus Dómine; ut per ea quæ súmpsimus, ætérna remédia capiámus. Per Dóminum.

DIE X.

CORONÆ D. N. J. C.

Introitus. *Cant.* 3.



Egredimini fíliæ Sion, et vidéte Regem pacíficum in diademáte quo coronávit eum mater Synagóga. Allelúia, allelúia. Psalm. 66. Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi Corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória et honóre coronári mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Pro comm. SS. Mart. Gordiani et Epimachi.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beatórum mártyrum tuórum Gordiáni, et Epímachi solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli. Cap. 14.

In diébus illis: Vidi, et ecce nubem cándidam: et super nubem sedéntem símilem Fílio hóminis, habéntem in cápite suo corónam áuream, et in manu sua falcem acútam. Et álius Angelus exívit de templo, clamans voce magna ad sedéntem super nubem: Mitte falcem tuam, et mete quia venit hora ut metátur, quóniam áruit messis terræ. Et misit, qui sedébat super nubem, falcem suam in terram, et deméssuit eam.

Allelúia, allelúia. ℣. Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera, quæ sola fuísti digna sustinére Regem cœlórum et Dóminum.

Allelúia, allelúia. ℣. Coróna rubens Jesu Nazaréni, quæ fit ad ignomíniam, convértitur in glóriam. Allelúia.

Si transferatur, dicitur eadem Missa sine comm. SS. Mart.

Post Octavam Pentecostes omittitur Allelúia. In totum, præterquam post Epistolam, ubi omissis duobus ℣℣. suprapositis, dicitur Graduale cum Allelúia, ad ultimum ℣. ut sequitur.

Graduale. Pósuit pérfida Judæa in cápite Jesu corónam, non argénteam candóris, et decóris, non áuream ful-

góris et honóris, sed spíneam dedécoris, et mœróris. ℣. Circúmdedit caput ejus, quasi regem sponsum decorátum coróna.

Allelúia, allelúia. ℣. Coróna rubens Jesu Nazaréni, quæ fit ad ignomíniam, convértitur in glóriam. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 19.

In illo témpore : Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spínis, imposuérunt cápiti ejus: et veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, et dicébant : Ave, Rex Judæórum. Et dabant ei álapas. Exívit íterum Pilátus foras, et dicit eis : Ecce addúco vobis eum foras, ut cognoscátis, quia nullam invénio in eo causam. (Exívit ergo Jesus portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum.) Et dicit eis : Ecce homo. Cum ergo vidíssent eum Pontífices, et minístri, clamábant, dicéntes : Crucifíge, crucifíge eum. Dicit eis Pilátus : Accípite eum vos, et crucifígite : ego enim non invénio in eo causam.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Dignus es, Dómine Jesu, Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem : quia tu liberásti nos a morte, et a diábolo qui habébat impérium ejus. Allelúia.

Secreta.

Domine Jesu Christe, qui ut tólleres spinas peccatórum nostrórum, spinis coronári patiénter voluísti ; concéde : ut tuæ corónæ devóti, spinis peccatórum despinéntur : Qui vivis et regnas.

Pro SS. Mart. Gordiano et Epimacho.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine beatórum Mártyrum tuórum Gordiáni, et Epímachi dicátas méritis, benígnus assúme, et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Præfatio de Cruce. Qui salútem.

Communio. Vidi, et ecce equus albus, et qui sedébat super eum habébat arcum, et data est ei coróna, et exívit vincens, ut vínceret. Allelúia.

Postcommunio.

Bone Jesu, te súpplices rogámus : ut sicut propter nos caput tuum contuméliæ coróna cingi voluísti, ita caput nostrum in judício finâli coróna glóriæ circumcíngere dignéris : Qui vivis et regnas.

Pro SS. Mart. Gordiano et Epimacho.

Postcommunio.

Quæsumus omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedéntibus sanctis martyribus tuis Gordiáno et Epímacho, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

FESTA MAJI.

DIE XV.

SS. TORQUATI, ET SOC. MART.

In Metropoli, die 15 Maji.

Missa ut in Communi plur. Mart. secundum tempus in quo celebretur, cum Orationibus sequentibus.

Et dicitur Credo.

Oratio.

Deus, qui per beátos Pontífices et Mártyres tuos Torquátum, Secúndum, Indalétium, Tesiphóntem, Cœcílium, Esychium, Euphrásium, Theodórum, ac Athanásium, innúmerum pópulum Hispánum convertísti; præsta quæsumus : ut Ecclésia tua eórum sublevétur précibus quorum gloriátur doctrína. Per Dóminum.

Secreta.

Hostias, quæsumus Dómine, tuæ plebis intênde : et quas in honóre beatórum Pontíficum et Mártyrum tuórum Torquáti, et Sociórum devóta mente célebrat, sibi profíciant ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio.

Corporis sacri et pretiósi sánguinis repléti libámine, quæsumus Dómine Deus noster : ut per mérita sanctórum Pontíficum et Mártyrum tuórum Torquáti, et Sociórum ejus

quod pia devotióne gérimus, certa redemptióne capiámus. Per Dóminum.

FESTA JUNII.

DIE I.

S. ENNECONIS, ABBATIS.

Missa. Os justi, ut in Comm. Abb.

DIE XIX.

S. LAMBERTI, MARTYRIS.

Introitus. *Psalm.* 20.



IN virtúte tua, Dómine, lætábitur justus : et super salutáre tuum exultábit veheménter : desidérium ánimæ ejus tribuísti ei. Ps. ibid. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beáti Lambérti mártyris tui sánguine Cæsaraugústam urbem decorásti : concéde propítius : ut ejus méritis, et précibus a malis ómnibus liberémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 10. g.

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi : et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant : et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum : et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur.

Allelúia, allelúia. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 14. f.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, non prius sedens cómputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad perficiéndum ; ne, posteáquam posúerit fundaméntum, et non potúerit perfícere, omnes, qui vident, incípiant illúdere ei, dicéntes : Quia hic homo cœpit ædificáre, et non pótuit consummáre? Aut quis Rex itúrus commíttere bellum advérsus álium Regem, non sedens prius cógitat, si possit cum decem míllibus occúrrere ei, qui cum viginti míllibus venit ad se? Alióquin, adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntiat ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus.

Offertorium. Psalm. 8. Glória et honóre coronásti eum : et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

PRECES nostras, quæsumus Dómine, propitiátus admítte : et dicátum tibi sacrifícium beáti Lambérti mártyris tui deprecátio comméndet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum : et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Sancti Lambérti mártyris tui précibus confidéntes, quæsumus Dómine; ut ípsius méritis, a peccatórum nostrórum máculis emundémur. Per Dóminum.

Prima die non impedita fit de SS. Gervasio, et Protasio Mart. Missa ut in corpore Missalis, die xix. Junii.

DIE XXI.

S. RAYMUNDI, EPISC. ET CONF.

Missa. Státuit, de Comm. Conf. Pont. Oratio. Exáudi, ut infra die xx. Octobris, cum sua Secreta, et Postcommunione. Et in Metropoli dicitur Credo.

FESTA JULII.

DIE XVII.

SS. JUSTÆ, ET RUFINÆ, VIRG. ET MARTYRUM.

Missa ut in propr. festorum Hisp.

DIE XIX.

INVENT. S. BRAULII, EP. ET CONF.

In Metropoli, die xix. Julii.

Missa. Státuit, de Communi Conf. Pont. Oratio. Exáudi, ut infra die xx. Octobris, cum sua Secreta, et Postcomm. Et dicitur Credo.

FESTA AUGUSTI.

DIE VI.

TRANSFIGURATIONIS DOMINI.

In Metropoli, die vj. Augusti.

Missa ut in Missali Romano sine commem. SS. Xysti, etc. Martyrum.

FESTA SEPTEMBRIS.

DOMINICA PRIMA.

S. ANGELI CUSTODIS.

Missa ut in Missali Romano, die ij. Octobris, cum comm. Dominicæ occurrentis, cujus Evangelium legitur in fine. Et dicitur Credo.

In Metropoli duplex ij. classis, Missa ut supra.

DIE XVII.

B. PETRI ARBUES, MARTYRIS.

Missa ut in proprio festorum Hispanorum, eodem die.

DIE XXII.

SS. MAURITII ET SOC. EJUS, MART.

In Metropoli, die xxij. Septembris.

Missa ut in corpore Missalis, hac die. Et dicitur Credo.

FESTA OCTOBRIS.

DIE XII.

DEDICATIO S. ECCL. METROP.

S. SALVATORIS, ET B. M. V. DE COLUMNA.

Missa de Communi Dedicat. Ecclesiæ. Et dicitur Credo.

In civitate Cæsaraugustana cum Octava, et dicitur Credo in ea.

Extra Metropol. in Oratione Secreta omittitur Parenthesis.

DIE XVI.

COMM. B. M. V. DE COLUMNA,

HODIE DIES FIXUS.

Missa. Salve sancta parens, ut in Missa votiva a Pentecoste usque ad Adventum et dicitur Credo. Præfatio. Et te in festivitáte.

DIE XIX.

OCTAVA DEDICATIONIS,

IN CIVITATE CÆSARAUGUSTANA,

Et festum S. Petri de Alcantara celebratur prima die non impedita.

DIE XX.

TRANSLAT. S. VALERII, EPISC.

CÆSARAUGUSTANI ET CONF.

Missa. Státuit, ut in Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Exaudi, Dómine preces nostras, quas in sancti Valérii confessóris tui atque pontíficis Translatióne deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Dómine, pro Translatióne sancti confessóris tui atque pontíficis Valérii offérimus, deprecántes : ut sicut illi præbuísti sacræ fídei claritátem, sic nobis indulgéntiam largiáris, et pacem. Per Dóminum.

Postcommunio.

SUMENTES, Dómine, gáudia sempitérna participatióne sacraménti ; præsta quæsumus, ut beáti confessóris tui atque pontíficis Valérii, cujus Translatióne ágimus, précibus sublevémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XXI.

SS. URSULÆ, ET SOC. VIRG. ET MART.

In Metropoli, die xxj. Octobris.

Missa. Loquébar, de Comm. Virg. Epistola. De virgínibus, ut in Missa. Vultum tuum, de eodem Comm. Et dicitur Credo.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum vírginum et mártyrum tuárum Ursulæ, et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári, ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro commem. S. Hilarionis Abbat. Oratio.

INTERCESSIO nos quæsumus Dómine, beáti Hilariónis Abbátis commendet : ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Secreta.

INTENDE, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum vírginum et mártyrum tuárum Ursulæ, et Sociárum ejus festivitáte propósita ; ut sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Pro S. Hilarione Abbate, Secreta.

SACRIS altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hilárion Abbas, quæsumus in salútem nobis provenire depóscat. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis virgínibus, et martyribus tuis : ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Pro sancto Hilarione Abbate. Postcommunio.

PROTEGAT nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Hilárion Abbas, pro nobis intercedéndo : ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE III.

SS. INNUMERABILIUM, MART. CÆSARAUGUSTANORUM.

Missa ut in proprio festorum Hisp.

DIE XVII. VEL ALIA DIE.

S. GERTRUDIS, VIRGINIS.

Missa. Dilexísti, ut in Comm. Virg.

Oratio.

DEUS, qui in puríssimo corde beátæ Gertrúdis vírginis tuæ, jucúndam tibi habitatiónem præparásti : ejus méritis, et intercessióne cordis nostri máculas clementer abstérge ; ut digna divínæ majestátis tuæ habitátio éffici mereátur. Per Dóminum.

DIE XXIV.

S. JOANNIS A CRUCE, CONF.

Missa. Os justi, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

DEUS, qui sanctum Joánnem Confessórem tuum, perféctæ sui abnegatiónis, et crucis amatórem exímium effecísti : concéde, ut ejus imitatióni júgiter inhæréntes, glóriam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

INDEX MISSARUM

QUÆ IN HOC CODICE CONTINENTUR.

Imprimi possunt.

Mechliniæ, die 30 Junii 1888.

† PETRUS LAMBERTUS, Archiepiscopus Mechlinien.

APPENDIX MISSARUM

QUÆ CELEBRANTUR IN DIŒCESIBUS

CANARIENSI, CORDUBENSI, GADITANA, PACENSI, TENERIFFENSI ET SEPTENENSI

ECCLESIÆ HISPALENSI SUBJECTIS.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XXVII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. FLORÆ ET MARIÆ VIRG. M.

Introitus. *Psalm.* 8.



LOQUEBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar : et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. Ps. ibid. Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

SANCTARUM Vírginum, ac Mártyrum Floræ, et Maríæ, quæsumus Dómine, beáta solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos ut eárum intercessióne placátus semper a nobis mala ómnia, quæ merémur, avértas. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Coríntthios. 1. Cor. 7.

FRATRES : De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri ? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre ? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit : tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : Tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent tamquam non gaudéntes : et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur : præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu : in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem. ℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. Allelúia, allelúia. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes; sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum : prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexé-

runt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro,quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non suffíciat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes , et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus; et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias : et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam.

Offertorium. Ps. 44. **Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne : adducéntur in templum Regi Dómino.**

Secreta.

Accepta tibi sit, quæsumus, Dómine, nostræ servitútis oblátio, ut sanctárum Vírginum, ac Mártyrum tuárum Floræ, et Maríæ précibus sociáta, ad véniam nobis váleat delictórum. Per Dóminum.

Communio. Ps. 118. **Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me : ego autem in mandátis tuis exercébor,in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.**

Postcommunio.

Alimoniis benedictiónis cæléstis satiáti, omnípotens Deus, cleméntiam tuam humíliter deprecámur,ut sanctárum Vírginum,et Mártyrum tuárum Floræ, et Maríæ contínua nobis non desit orátio, qui eárum in sexu frágili martyrii victóriam ánnua devotióne recólimus.Per Dóminum.

FESTA DECEMBRIS.

DIE XI.

In Diæcesi Gaditana.

S. EUTYCHII MARTYRIS.

Missa. **In virtúte tua.** de Communi unius Mart.

FESTA JANUARII.

DOM. III. POST EPIPH.

In Diæcesi Pacensi.

B. JOANNIS DE RIBERA

EPISC. ET CONFESSORIS.

Missa. **Státuit.** exceptis Orationibus quæ dicuntur ut infra.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum, atque Pontíficem pastoráli sollicitúdine,et Divíni Sacraménti Córporis, et Sánguinis tui dilectióne admirábilem effecísti ; quæsumus, ut ejus intercessióne, redemptiónis tuæ fructus nos júgiter fácias esse partícipes : Qui vivis.

Secreta.

Illo nos igne, Dómine, altári tuo interveniéntes accendámur, quo beátus Joánnes Conféssor tuus et Póntifex hæc peragéndo æstuábat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sumpto, Dómine, salutári mystério, quæsumus,ut exémplo beáti Joánnis Confessóris tui atque Pontíficis in perpétua tantæ dignatiónis recordatióne, maneámus. Per Dóminum.

DIE XIX.

In Diæcesi Cordubensi.

SS. GUMERSINDI ET SERVIDEI

MARTYRUM.

Missa. **Salus autem.** de Communi plur. Mart., iij. loco. Evangelium. **Cum audiéritis prælia.** ut in Missa **Intret.** de eodem Comm. j. loco.

FESTA FEBRUARII.

DIE III.

In Diæcesi Gaditana.

SS. FELICIS ET JANUARII MART.

Missa. **Sapiéntiam.** de Comm. plurimorum Martyrum ij. loco.

DIE XIV.

In Diæcesi Cordubensi.

B.JOANNIS BAPTISTÆ A CONCEPT.

CONFESSORIS.

Missa. **Justus ut palma.** de Comm.

Conf. non Pont. ij. loco, præter sequentes Orationes.

Oratio.

DEUS, qui ad majórem Sanctíssimæ Trinitátis glóriam propagándam, beátum Joánnem Baptístam Confessórem tuum admirábili spíritus fortitúdine, et invícta patiéntia roborásti : concéde nobis fámulis tuis; ut ejus imitatióni júgiter inhæréntes, glóriam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Valentini Mart. ut in Missali.

Secreta.

PURIFICET nos, quæsumus Dómine; múneris præséntis oblátio, et intercessióne beáti Joánnis Baptístæ Confessóris tui fiat per grátiam tuam in nobis spíritus renovátio. Per Dñum.

Postcommunio.

CORPORIS tui sacri, ac pretiósi Sánguinis, quo redémpti sumus, Dómine Jesu Christe, partícipes efféeti, quæsumus , ut intercedénte beáto Joánne Baptísta Confessóre tuo, Redemptiónis ætérnæ fructus percípere mereámur : Qui vivis et regnas.

DIE XVII.

In Diœcesi Cordubensi.

B. ALVARI CONF.

Missa. Os justi. de Comm Conf. non Pont. j. loco, præter seq. Orationes.

Oratio.

DEUS, qui beátum Alvárum Confessórem tuum caritátis, et pœniténtiæ donis insígniter decorásti; da, ut ejus intercessióne, et exémplo semper Christi mortificatiónem in córpore et tui amórem in corde gerámus. Per eúmdem Dóminum.

Secreta.

LAUDIS tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum : quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio.

REFECTI cibo, potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus : ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

DIE XVIII.

In Diœcesi Cordubensi.

S. HELLADII EPISC. ET CONF.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. j. loco, præter seq. Orationes.

Evangelium. Vos estis sal terræ. de Comm. Doct.

Oratio.

TRIBUE quæsumus omnípotens Deus, ita nos beáti Helládii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitátibus gloriári; ut pietátem, quam suo exémplo dócuit, ejúsdem intercessióne fidélius exerceámus. Per Dóminum.

Secreta.

SANCTI tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRÆSTA , quæsumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Helládio Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

FESTA MARTII.

DIE I.

In Diœcesi Gaditana.

S. HISCII EPISC. ET MART.

Missa. Státuit. de Comm. unius Mart. Pont. j. loco.

Evangelium. Si qui vult. ex Missa. Sacerdótes. de eodem Comm. ij. loco.

DIE X.

In Diœcesi Cordubensi.

S. ANGELI CUSTODIS.

Introitus.



ALVE sancte Custos, quem ad nostram custódiam divína pietas destinávit: cui sit honor, et glória in sæcula sæculórum. Ps. 102. Bénedic ánima

mea Dómino, et ómnia quæ intra me sunt nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, ex cujus ineffábili providéntia per Angelórum ministérium vita hóminum dispensátur, et régitur; concéde, quæsumus, ut nostri Custódis preces, et patrocínia ab ómnibus nos tueántur advérsis. Per Dóminum.

Léctio libri Regum.

Lib. 4., cap. 19. v. 32.

HÆC dicit Dóminus, de Rege Assyriórum: Non ingrediétur urbem hanc, nec mittet in eam sagíttam, nec occupábit eam clypeus, nec circúmdabit eam munítio: per viam qua venit, revertétur, et civitátem hanc non ingrediétur, dicit Dóminus. Protegámque urbem hanc, et salvábo propter me, et propter David servum meum. Factum est ígitur in nocte illa venit Angelus Dómini, et percússit in castris Assyriórum centum octogínta quinque míllia; cumque dilúculo surrexísset vidit ómnia córpora mortuórum, et recédens ábiit: et revérsus est Sennácherib Rex Assyriórum, et mansit in Nínive.

Graduale. Muro Angelórum inexpugnábili circumcínxit nos Dóminus: et armis suæ poténtiæ protéxit nos. ℣. Non accédet ad nos malum: et flagéllum non appropinquábit tabernáculo nostro.

Tractus. Ezech: 28. Tu es signáculum similitúdinis Dei, plenus sapiéntiæ, et perféctus decóre, habens signum Dei vivi.

In Missis votivis per annum loco Tractus: Allelúia, allelúia. Sancte Angele Custos noster, defénde nos in prælio, ut non pereámus in treméndo judício. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Allelúia, allelúia. ℣. Sancte Angele Custos noster, defénde nos in prælio, ut non pereámus in treméndo judício. Allelúia. ℣. Angelus Dómini descéndit de cælo, et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 18. v. 1.

IN illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis putas, major est in regno cælórum? Et ádvocans Jesus párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cælórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit. Qui autem scandalizáverit unum de pusíllis istis, qui in me credunt, éxpedit ei ut suspendátur mola asinária in collo ejus, et demergátur in profúndum maris. Væ mundo a scándalis. Necésse est enim ut véniant scándala: verúmtamen væ hómini illi, per quem scándalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalízat te, abscíde eum, et prójice abs te; bonum tibi est ad vitam íngredi débilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habéntem mitti in ignem ætérnum. Et si óculus tuus scandalízat te, érue eum, et prójice abs te; bonum tibi est cum uno óculo in vitam intráre, quam duos óculos habéntem mitti in gehénnam ignis. Vidéte ne contemnátis unum ex his pusíllis: dico enim vobis, quia Angeli eórum in cælis semper vídent fáciem Patris mei, qui in cælis est.

Offertorium. Dan. 6. Misit Dóminus Angelum suum, ánimam meam liberávit de médio catulórum leónum, et non nocuérunt mihi.

Secreta.

PRECES pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exaúdi: et sacránda hæc múnera per manus nostri Angeli præsenténtur: ut quæ in illíus offerúntur gloriósa recordatióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Communio. Gaúdium tibi erit, An-

gele, super peccatóribus tibi commíssis pœniténtiam agéntibus, et tuis intercessiónibus Dei glóriam obtinéntibus.

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine Deus noster, ut nostræ custódiæ sancto interveniénte Angelo, quæ ore percépimus Sacraménta, ad véniam nobis prosint, et pacem. Per Dóminum.

DIE XI.

In Diœcesi Cordubensi.

S. EULOGII PRESB. ET MART.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont. j. loco, præter sequentes Orationes.

Oratio.

Deus, qui in summa témporum turbuléntia afflíctæ famíliæ tuæ beátum Eulógium Mártyrem ad solátium tribúere dignátus es; concéde propítius, ut qui hæc læti festa perágimus, ejus quoque in religióne constántiam imitémur. Per Dóminum.

Secreta.

Sacrandum tibi Dómine, munus offérimus, quo beáti Eulógii Mártyris tui solémnia recoléntes, ejúsdem pro nobis apud te perpétuam intercessiónem implorámus. Per Dñum.

Postcommunio.

Perceptis, Dómine, ad beáti Eulógii Mártyris tui glóriam salutáribus Sacraméntis, supplíciter exorámus, ut quæ pro ipsius veneránda passióne sunt gesta, tibi nos reddant accéptos. Per Dóminum.

DIE XIII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. RUDERICI ET SALOMONIS MARTYRUM.

Missa. Sapiéntiam. de Comm. plur. Mart. ij. loco, præter sequentes Orationes.

Evangelium ex Missa. Intret. de eodem Comm. j. loco.

Oratio.

Deus, qui nos Beatórum Mártyrum tuórum Ruderíci, et Salomónis tríbuis solemnitáte gloriári; concéde quæsumus, ut ad meliórem vitam eórum exémpla nos próvocent, quorum venerándam passiónem ánnua devotióne recólimus. Per Dóminum.

Secreta.

Has tibi, Dómine, laudis hóstias immolámus supplíciter exorántes, ut beatórum Mártyrum tuórum Ruderíci, et Salomónis veneránda confessióne, ab ómnibus mentis, et córporis perículis liberémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Salutaribus, Dómine, repléti mystériis te súpplices exorámus, ut beatórum Mártyrum tuórum Ruderíci, et Salomónis intercéssio perpétua hæc tuæ circa nos pietátis dona custódiat. Per Dóminum.

DIE XV.

In Diœcesi Cordubensi.

S. LEOCRITIÆ VIRG. ET MART.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. et Mart. j. loco.

Evangelium. Símile est regnum cælórum thesaúro. ex Missa. Me expectavérunt. de eodem Comm. ij. loco.

DIE XVI.

In Diœcesi Cordubensi.

S. PATRITII EPISC. ET CONF.

Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont. præter sequentes Orationes.

Oratio.

Vota nostra, Dómine propitiátus inténde, et beáti Patrítii Confessóris tui atque Pontíficis, cujus tríbuis solémnia celebráre, fac gaudére suffrágiis, ut ejus précibus adjúti ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum.

Secreta.

Sancti Patrítii Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, præsta; ut beáti Patrítii Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

FESTA APRILIS.

DOM. II. POST PASCHA.

In Diœcesi Canarien. et Tenneriffen.

B. M. V. MATRIS DIVINI PASTORIS.

Missa. **Salve, sancta Parens.** ut in Missis votivis B.M.V. a Pascha usque ad Pentecosten. Dicitur **Credo.** Præfatio. **Et te in festivitáte.**

Oratio.

Domine Jesu Christe, Pastor bone, qui pro óvibus tuis ánimam dedísti, nosque pópulum tuum, et oves páscuæ tuæ in cruce pendens Matri Vírgini commendásti; ipsa interveniénte concéde, ut te Pastórem nostrum sequéntes in terris, ad Páscua ætérnæ vitæ perducámur in cælis: Qui vivis.

DIE III.

In Diœcesi Pacensi.

S. ENCRATIDIS VIRG. ET MART.

Missa. **Me exspectavérunt.** de Comm. Virg. et Mart. ij. loco, præter Orationes sequentes et Evangelium. **Símile erit regnum cælórum decem Virgínibus.** ex Missa. **Loquébar.** de eodem Comm. j. loco.

Oratio.

Deus ómnium largítor bonórum, qui in fámula tua Encrátide cum virginitátis flore martyrii palmam conjunxísti; mentes nostras ejus intercessióne, ita tibi conjúnge, ut nulla creatúra nos unquam a tua séparet caritáte. Per Dóminum.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, beátæ Encrátidis Vírginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Divini múneris largitáte satiáti, quæsumus Dómine Deus noster: ut, intercedénte beáta Encrátide Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dñum.

DIE V.

In Diœcesi Cordubensi.

B. JULIANÆ CORNELIONENSIS

SANCTÆ NUNCUPATÆ.

Missa. **Dilexísti** de Comm. Virginis tantum j. loco, præter Orationes seq.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Vírginem Juliánam ad promovéndum Sanctíssimi Sacraménti cultum mirabíliter inflammásti; tríbue, quæsumus, ita nos humilitátis ejus vestígia sectári in terris, ut cum ipsa sublimári mereámur in cælis. Per Dóminum.

Secreta.

Accepta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Satiasti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

DIE XVII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. HELIÆ PRESBYTERI,

PAULI ET ISIDORI MARTYRUM.

Missa. **Sancti tui.** de Communi plurimorum Martyrum, vel **Intret in conspéctu.** de eodem Communi, juxta diversitatem temporis cum sequentibus Orationibus.

Oratio.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus, ut beatórum Mártyrum tuórum Héliæ, Pauli, et Isidóri méritis et intercessióne, a nostris reátibus absolúti, a gehénnæ incéndiis liberémur. Per Dóminum.

Secreta.

Munera tibi Dómine, dicáta sanctífica, per quæ beatórum Mártyrum tuórum Héliæ, Pauli et Isidóri solémnia recoléntes, vitam nostram pétimus inter próspera, et advérsa, a cleméntia tua júgiter gubernári. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sanctificet nos, quæsumus, Dómine, tui percéptio Sacraménti, quam sicut tuis sanctis ad glóriam, ita nobis ad véniam prodésse perfícias. Per Dóminum.

DIE XVIII.

In Diœcesi Cordubensi.

S. PERFECTI, MARTYRIS.

Missa. **Protexísti.** de Communi unius Mart., vel **In virtúte tua.** de eodem Communi, juxta diversitatem temporis, cum sequentibus Orationibus.

Oratio.

Majestatem tuam, Dómine, supplíciter exorámus. ut beáti Perfécti Mártyris tui, précibus, et méritis indulgéntiam nobis tríbuas placátus, et pacem. Per Dóminum.

Secreta.

Sacrificium nostrum tibi, Dómine, quæsumus beáti Perfécti mártyris tui precátio sancta concíliet, ut per ejus intercessiónem ad perpétuam nobis fácias illud proveníre salútem. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sumpsimus, Dómine, divína mystéria, quæ intercessióne sancti Perfécti mártyris tui sempitérna nos fácias protectióne consérvent. Per Dóminum.

DIE XXVIII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. AMATORIS, PETRI, ET LUDOVICI MARTYRUM.

Missa. **Sancti tui.** de Communi plurimorum Martyrum temp. Pasch. Orationes dicuntur ut ibidem iij. loco.

FESTA MAJI.

DIE VI.

In Diœcesi Cordubensi.

IN OCTAVA S. PETRI MART.

Missa sicut in die xxix. Aprilis in Missali Romano. **Credo.**

DIE VII.

In Diœcesi Cordubensi.

S. ARCHANGELI RAPHAELIS CUSTODIS CORDUBENSIS.

Introitus. ***Psalm.* 102.**



Benedicite Dóminum omnes Angeli ejus : poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus. Allelúia, allelúia. Psalm. ibid. Bénedic, ánima mea, Dómino : et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ fámulo tuo iter properánti prævium direxísti : et inter hujus viæ, ac vitæ varietátes, atque discrímina donásti custódem : da quæsumus, ut ejúsdem semper protegámur auxílio, quátenus vitæ præséntis vitémus perícula, et ad gaúdia mereámur perveníre cæléstia. Per Dóminum.

Léctio libri Tobíæ. Cap. 12. v. 12.

Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos : ego óbtuli oratiónem tuam Dómino, et quia accéptus eras Deo necésse fuit ut tentátio probáret te : et nunc misit me Dóminus, ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum. Cumque hæc audíssent turbáti sunt, et treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus : Pax vobis, nolíte timére, étenim cum essem vobíscum, per voluntátem Dei eram, ipsum be-

nedícite, et cantáte illi ; vidébar quidem vobíscum manducáre, et bíbere; sed ego cibo invisíbili, et potu, qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus est ergo, ut revértar ad eum, qui me misit : vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus : et cum hæc dixísset, ab aspéctu eórum ablátus est, et ultra eum vidére non potuérunt. Tunc prostráti per horas tres in fáciem, benedixérunt Deum et exsurgéntes, narravérunt ómnia mirabília ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 137. In conspéctu Angelórum psallam tibi, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Allelúia. ℣. Matth. 28. Angelus Dómini descéndit de cælo, et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúia.

Extra Tempus Paschale, Graduale. Psalm. 137. Laudáte Dóminum de cælis : laudáte eum in excélsis. ℣. Laudáte eum omnes virtútes ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi : adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et versu sequenti, dicitur :

Tractus. Psalm. 102. Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus : poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus : ℣. Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus : minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus. ℣. Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus : omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 5. v. 1.

In illo témpore : Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam. Est autem Jerosólymis Probática Piscína, quæ cognominátur hebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum, exspectántium aquæ motum. Angelus autem Dómini descendébat secúndum tempus in piscínam : et movebátur aqua. Et qui prior descendísset in piscínam post motiónem aquæ, sanus fiébat a quacúmque detinebátur infirmitáte.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua : et data sunt ei incénsa multa : et ascéndit fumus arómatum de manu Angeli in conspéctu Dei. Allelúia.

Secreta.

Hostias tibi Dómine, laudis offérimus supplíciter deprecántes, ut eásdem Angélico pro nobis interveniénte suffrágio, et placátus accípias, et ad salútem nostram proveníre concédas. Per Dóminum.

Communio. Angeli, Archángeli Principátus, et Potestátes, Virtútes cælórum, Dóminatiónes, et Throni, Chérubim, atque Séraphim, Dóminum benedícite in ætérnum. Allelúia.

Postcommunio.

Repleti, Dómine, benedictióne cæléšti, supplíciter implorámus : ut quod frágili celebrámus offício, Sanctórum Angelórum, atque Archangelórum nobis prodésse sentiámus auxílio. Per Dóminum.

DIE XXI.

In Diœcesi Cordubensi.

S. SECUNDINI MARTYRIS.

Missa. Protexísti. de Comm. unius Mart. cum Orationibus ut ibidem de iij. loco, vel In virtúte tua. pro diversitate temporis.

DIE XXII.

SS. TORQUATI, ET SOC. EPISC. MARTYRUM.

Introitus. *Daniel.* 3.



Sacerdotes Dei, benedícite Dóminum : sancti et húmiles corde, laudáte Deum. Allelúia, allelúia. Cant. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino : laudáte et superexaltáte eum in sæcula. Allelúia. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos post beatíssimum Jacóbum Apóstolum, per beátos Mártyres tuos, atque Pontífices Torquátum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cæcílium, Hesychium, et Euphrásium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti ; concéde propítius, ut quos festívo venerámur obséquio, eórum intercedéntibus méritis, ætérna gaúdia consequámur. Per Dóminum.

Léctio Libri Sapiéntiæ. Cap. 5.

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili , et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes. Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

Allelúia, allelúia. ℣. Posuísti, Dómine, super cápita eórum corónam de lápide pretióso. Allelúia. ℣. Beáti Pontífices nostri, qui nos docuérunt legem tuam, Dómine: hódie in cælis coronáti regnant in ætérnum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 15.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum ; et omnem qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem , quem locútus sum vobis. Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite ; sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum ; quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent,et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis.

Offertorium. Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine, et veritátem tuam in Ecclésia sanctórum. Allelúia.

Secreta.

Grata tibi sit, Dómine, nostræ servitútis oblátio, pro qua sancti Antístites et Mártyres nostri Torquátus, Ctésiphon, Secúndus, Indalétius, Cæcílius, Hesychius et Euphrásius precatóres accédant. Per Dóminum.

Communio. Lætabúntur justi in Dómino, et sperábunt in eo, et laudabúntur omnes recti corde. Allelúia.

Postcommunio.

Fideles tui, Dómine, quæ súmpsimus sacraménta custódiant,et qui beatórum Mártyrum tuórum atque Pontíficum Torquáti, Ctesiphóntis, Secúndi, Indalétii, Cæcílii, Hesychii, et Euphrásii prædicatióne ad fidem pervenímus, eórum quoque méritis discámus terréna despícere, et amáre cæléstia. Per Dóminum.

EADEM DIE XXII.

In Diœcesi Pacensi.

S. ATHONIS, EPISC. ET CONF.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. ij. loco.

Oratio.

Exaudi, Dómine, preces nostras et interveniénte beáto Athóne Confessóre tuo atque Pontífice, indulgéntiam nobis tríbue placátus et pacem. Per Dóminum.

Secreta.

Sancti Athónis Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos : ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, præsta; ut beáti Athónis Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

DIE XXIII.

In Diœcesi Gaditana.

SS. EPITATII ET BASILÆI PP. ET MM.

Missa. **Sancti tui.** de Comm. temp. Pasch. vel **Intret.** Orationes de j. loco.

DIE XXIV.

In Diœcesi Canariensi et aliis.

B. MARIÆ V. SUB TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Missa ut in Appendice Missalis pro aliquibus locis.

FESTA JUNII.

DIE I.

In Diœcesi Gaditana.

S. FIRMI, MARTYRIS.

Missa. **Protexísti.** de Comm. Orationes de ij. loco: vel **In virtúte.** Orationes. **Deus, qui nos.** ut in Missa. **Sacerdótes Dei.**

DIE III.

In Diœcesi Cordubensi.

S. ISAACI, MARTYRIS.

Missa. **Lætábitur.** de Comm. Mart. non Pont. præter Orationes sequentes. Evang. **Si quis vult.**

Oratio.

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exaúdi, ut qui beáti Isaac Mártyris tui natalítia cólimus, et ánnua solemnitáte lætémur, et ejus pro nobis apud te perpétuo patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Secreta.

Accepta tibi sit, quæsumus, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, ut quæ beáti Isaac Mártyris tui patrocínio nítitur, ejus précibus se auxílium in tribulatióne impetrásse cognóscat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Da, quæsumus, Dómine, fidélibus pópulis, ut beáti Isaac Mártyris tui, ubíque orátio nos ádjuvet, in cujus veneratióne sacra hæc solémniter celebrámus. Per Dóminum.

Tempore Paschali dicitur Missa. **Protexísti.** cum Orationibus ut supra.

EADEM DIE III.

In Diœc. Canarien. Teneriffen. et aliis.

B. MARIÆ ANNÆ A JESU

DE PAREDES, VIRGINIS.

Missa. **Dilexísti.** de Communi præter sequentes Orationes.

Oratio.

Deus, qui inter sæculi étiam illécebras beátam Maríam Annam, ut lílium inter spinas, virgináli castitáte, et jugi pœniténtia floréscere voluísti; præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne retrahámur a vítiis, et perfectióra sectémur. Per Dóminum.

Secreta.

Ascendant ad te, Dómine, quas in beátæ Maríæ Annæ solemnitáte offérimus preces, et hóstia hæc salutári virgíneo fragrans odóre. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cælesti alimónia refécti súpplices te, Dómine, deprecámur, ut beátæ Maríæ Annæ précibus et exémplo ab omni labe mundáti, et córpore tibi placeámus et mente. Per Dóminum.

DIE V.

In Diœcesi Cordubensi.

S. SANCTII, MARTYRIS.

Missa. **Protexísti.** vel **In virtúte.** de Communi. Orationes de iij. loco.

DIE VII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. PETRI ET SOCIOR. MARTYRUM.

Missa. **Sancti tui.** vel **Sapiéntiam.**

de Communi præter sequentes Orationes.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus, pópulo tuo cum beatórum Mártyrum tuórum Petri et Sociórum patrocínio supplicánti, et tantæ fídei exémplo profícere, et ætérnæ vitæ reperíre subsídium. Per Dóminum.

Secreta.

Omnipotens sempitérne Deus, sacránda hæc múnera beatórum Mártyrum tuórum Petri et Sociórum précibus, tibi quæsumus, reddas accépta, in quorum honoránda confessióne laudis tibi hóstias immolámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hæc tua família, omnípotens Deus, sacris munéribus satiáta, humíliter deprecátur, ut beatórum Mártyrum tuórum Petri et Sociórum oratióne, hæc perpétuo in nostris méntibus pietátis dona consérves. Per Dóminum.

DIE XIII.

In Diœcesi Cordubensi.

S. FANDILÆ, PRESB. ET MART.

Missa. In virtúte. præter sequentes Orationes.

Oratio.

Deus, qui pópulum tuum beáti Fandílæ Mártyris tui ánnua solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut quem læti venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Secreta.

Debitum tibi, Dómine, nostræ servitútis offícium in honórem beáti Fandílæ Mártyris tui solémniter immolámus, supplíciter deprecántes, ut quæ ipsíus obláta sunt glória, méntibus et corpóribus nostris perpétuam áfferant incolumitátem. Per Dóminum.

Postcommunio.

Adesto famíliæ tuæ précibus, misericors Deus, et intercedénte pro nobis beáto Fandíla Mártyre tuo, concéde propítius, ut quos ore percépimus, júgiter in méntibus nostris pietátis tuæ dona consérvent. Per Dóminum.

DIE XV.

In Diœcesi Cordubensi.

S. BENILDIS MATRONÆ MART.

Missa. Me exspectavérunt. de Communi non Virg.

DIE XVII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. ANASTASII, FELICIS ET DIGNÆ MARTYRUM.

Missa. Salus autem. de Communi. Orationes de iij. loco in Missa. Sapiéntiam.

DIE XVIII.

In Diœcesi Pacensi.

SS. MARCI ET MARCELLIANI MARTYRUM.

Missa ut in Missali Romano.

DIE XXI.

In Diœcesi Cordubensi.

S. PELAGII, MARTYRIS.

Introitus. *Psalm.* 24.



Confessio, et pulchritúdo in conspéctu ejus, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus. Psalm. ibid. Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino, omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius, ut qui te in beáto Pelágio Mártyre tuo mirábilem prædicámus, ejus preces apud te ad nostrum sentiámus proveníre subsídium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ B. Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. cap. 9. v. 6.

Fratres: Qui parce séminat, parce et metet: et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. Unusquisque prout desti-

návit in corde suo, non ex tristítia, aut ex necessitáte: hílarem enim datórem díligit Deus. Potens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi. Qui autem adminístrat semen seminánti: et panem ad manducándum præstábit, et multiplicábit semen vestrum, et augébit increménta frugum justítiæ vestræ.

Graduale. Psalm. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem. ℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúia, allelúia. ℣. ibid. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 12. v. 24.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium. Psalm. 118. Feci judícium, et justítiam, Dómine, non calumniéntur mihi supérbi: ad ómnia mandáta tua dirigébar.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus, ut nostræ humilitátis oblátio, intercessióne beáti Pelágii Mártyris tui, tibi reddátur accépta, cujus nos précibus, et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi ego sum illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

Protegat nos, Dómine, cum cæléstis perceptióne mystérii beátus Pelágius Mártyr tuus pro nobis intercedéndo: ut cujus hæc commemoratióne præstítimus, ejus in advérsis ómnibus perpétuo muniámur, et précibus. Per Dóminum nostrum.

DIE XXVII.

In Diœcesi Cordubensi.

S. ZOYLI, MARTYRIS.

Missa. In virtúte. de Comm. præter Orationes sequentes. Evangelium Nisi granum. ut in præced. Missa.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Zoyli Mártyris tui méritis, et intercessióne lætíficas, concéde, quæsumus, pópulo supplicánti, ejus semper et exémplo profícere, et oratióne deféndi. Per Dóminum.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Dómine, múnera majestáti tuæ dignánter obláta: et da pópulo supplicánti; ut beáti Zoyli Mártyris tui intercessióne, córpore nos páriter, et mente puríficet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sanctificati, Dómine, salutári mystério supplíciter deprecámur, ut cujus solémnia celebrámus, ejus patrocínio, a mentis, et córporis perículis perpétuo liberémur. Per Dóminum.

FESTA JULII.

DIE VII.

In Diœcesi Canariensi et Teneriff.

IN FESTO ET DIE OCTAVA

S. MARTIALIS, EPISC. ET CONF.

Missa. Státuit. de Communi.

In Insul. Lanzaroth. ubi est Patronus dicitur Credo. et per Octavam.

In Diœcesi Cordubensi.

S. ARGIMIRI, MARTYRIS.

Missa. In virtúte. de Comm.

EADEM DIE VII. VEL ALIA.

In Diœcesi Canariensi et Teneriff.

S. PULCHERIÆ, IMPERATRICIS VIRGINIS.

Introitus. *Psalm.* 44.



VULTUM tuum deprecabúntur omnes dívites plebis : adducéntur Regi vírgines post eam : próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne. Psalm. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátam Pulchériam vírginem tuam singulári castitátis prærogatíva decorásti, quique illi ad defendéndam Ecclésiam tuam summum fídei amórem tribúere voluísti : concéde; ut ejus intercessióne tibi puris méntibus inhæréntes, ab ómnium hóstium insídiis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ B. Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. cap. 7. v. 25.

FRATRES : De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit : tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : Tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint.

Graduale. Psalm. 44. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúia, allelúia. ℣. Fíliæ regum in honóre tuo : ástitit regína, a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 17. v. 3.

IN illo témpore : Dixit Jesus : Hæc est autem vita ætérna : ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Ego te clarificávi super terram : opus consummávi, quod dedísti mihi ut fáciam : et nunc clarífica me tu, Pater, apud temetípsum, claritáte, quam hábui, priúsquam mundus esset, apud te. Manifestávi nomen tuum homínibus, quos dedísti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedísti ; et sermónem tuum servavérunt. Nunc cognovérunt, quia ómnia, quæ dedísti mihi, abs te sunt : quia verba, quæ dedísti mihi, dedi eis et ipsi accepérunt, et cognovérunt vere, quia a te exívi, et credidérunt, quia tu me misísti.

Offertorium. Judith. 15. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri : quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum, eo quod castitátem amáveris.

Secreta.

ACCEPTA tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum, quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio. Sap. 4. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte! Immortális est enim memória illíus, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines.

Postcommunio.

SATIASTI, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

DIE IX.

In Diœcesi Canariensi.

SS. ZENONIS ET SOCIOR. MART.

Missa. Intret. de Communi. Credo. in Cathedrali tantum.

¶ *In Diœcesi Gaditana.*

SS. LUCIÆ ET SOCIORUM MART.

Missa. Sapiéntiam. de Comm. Orationes de ij. loco.

DIE XI.

In Diœcesi Cordubensi.

S. ABUNDII, MARTYRIS.

Missa. Lætábitur. de Comm. præter sequentia.

Oratio.

EXAUDI, quæsumus, Dómine, preces pópuli supplicántis, et concéde propítius, ut qui beáti Abúndii Mártyris tui natalítia ánnua devotióne recólimus, ejus quoque ad ætérnã vitam exémplis instruámur. Per Dñum.

Secreta.

SALUTARIA hæc dona, omnípotens Deus, quæ tuo tibi grata sunt institúto, beáti Abúndii Mártyris tui précibus effécta gratióra, tuæ pietátis in nobis perpétuo dona concílient. Per Dóminum.

Postcommunio.

SACRI hujus múneris participatióne refécti, omnípotens Deus, majestátem tuam supplíciter exorámus: ut beáti Abúndii Mártyris tui intercessióne placátus, quod temporáli celebrámus offício, perpétua in nobis salvatióne consérves. Per Dóminum.

¶ *In Diœcesi Gaditana.*

S. AQUILÆ, EPISC. ET MART.

Missa. Státuit. de Communi.

DIE XIV.

In Diœcesi Cordubensi.

S. FRANCISCI SOLANI, CONF.

Introitus. *Psalm.* 36.



Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium : lex Dei ejus in corde ipsíus. Psalm. ibid. Noli æmulári in malignántibus : neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui plúrimas Américæ gentes per beátum Francíscum ad sinum Ecclésiæ perduxísti; ejus méritis, et précibus indignatiónem tuam a peccátis nostris avérte, et in gentes, quæ te non cognovérunt, timórem nóminis tui benígnus immítte. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Cap. 10.

FRATRES : Corde enim créditur ad justítiam : ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non crediderunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem aúdient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? sicut scriptum est: Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Graduale. Jac. 1. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam ; et veritátem tuam per noctem. Allelúia. ℣. Beátus vir, qui suffert tentatiónem; quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Cap. 16. v. 5.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc

sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient : linguis loquéntur novis : serpéntes tollent : et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent, et bene habébunt. Credo.

Offertorium. Psalm. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine mea exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

MUNUS, quod tibi offérimus, det nobis, quæsumus, omnípotens Deus, fídei, spei, et caritátis augméntum : et ut mereámur ássequi, quod promíttis, interveniénte beáto Francísco Confessóre tuo, fac nos amáre quod præcipis. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem cum vénerit dóminus ejus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

UT sumptis, Dómine, reddámur digni munéribus ; intercedénte beáto Francísco Confessóre tuo, fac nos tuis semper obedíre mandátis. Per Dóminum.

DIE XV.

In Diœc. Canar., Tenerif., et aliis.

BB. QUADRAGINTA MART.

IGNATII DE AZEVEDO ET SOC.

Missa. Intret. de Communi præter Orationes sequentes.

Oratio.

OMNIPOTENS ætérne Deus, qui nos in beáto Ignátio et Sóciis ejus quadragínta Mártyrum palmas sub una tríbuis solemnitáte venerári ; concéde propítius, ut quorum in cælis glóriam læti suspícimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum.

Secreta.

SUSCIPE, Dómine, acceptíssimum Unigéniti tui sacrifícium, ac beáto Ignátio et Sóciis ejus intercedéntibus præsta, ut quod illis roborávit ad pugnam, nos effíciat in tuo servítio atque amóre fervéntes. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

FIDEM in nobis, Dómine, quam de miseréntis grátiæ tuæ múnere suscépimus, aúgeant hæc sancta mystéria, nosque ad eam contra spirituália nequítiæ colluctántes profiténdam beatórum Ignátii et Sociórum ejus exémpla confírment. Per Dóminum.

DIE XVI.

In Diœcesi Cordubensi.

S. SISENANDI, LEVITÆ ET MART.

Missa. In virtúte. de Comm. Credo.

¶ In Diœcesi Pacensi vero dicitur eadem Missa. In virtúte. cum Evang. Si qui venit.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, arctam salútis viam viríliter ággredi, qui beáto Levítæ Sisenándo tribuísti ipsum martyrium ággredi et superáre. Per Dóminum.

DIE XIX.

In Diœcesi Cordubensi.

S. AUREÆ, VIRG., ET MART.

Missa. Loquébar. de Comm. cum Orationibus de Missa. Me exspectavérunt.

DIE XXIV.

In Diœcesi Canariensi.

S. FRANCISCI SOLANI, CONF.

Missa ut supra in die XIV., 14. sed cum comm. Vigiliæ S. Jacobi Apost., et ejusdem Evangelio in fine, ac S. Christinæ, Virg. et Mart.

DIE XXVII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. AURELII ET SOC. MART.

Missa. Salus autem. cum sequentibus Orationibus.

Oratio.

SEMPER nos, Dómine, Sanctórum Mártyrum tuórum Aurélii, Felícis, Geórgii, et Sociórum fóveat beáta solémnitas, ut quod nostris méri-

tis impetráre diffídimus, eórum apud te patrocínio consequámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Octavæ S. Jacobi.

Secreta.

MUNERA tibi, Dómine, nostræ devotiónis in sanctórum Mártyrum tuórum Aurélii, Felícis, Geórgii, et sociórum confessióne lætántes offérimus, quæ propítius súscipe, et eórum intercessióne víncula peccatórum nostrórum placátus absólve. Per Dóminum.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Dómine, cæléstis aliménti sacraménta votíva, in tuórum recordatióne Sanctórum; præsta, quæsumus, ut qui te in ipsórum gloriósa confessióne mirábilem prædicámus, per illos tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem. Per Dóminum.

DIE XXX.

In Diœcesi Cordubensi.

S. TEODEMIRI, MARTYRIS.

Missa. In virtúte. cum Credo.

FESTA AUGUSTI.

DIE II.

In Diœcesi Canariensi.

B. JOANNÆ DE AZA, VIDUÆ.

Missa. Cognóvi. de Communi præter Introitum et Orationes sequentes.

Introitus.



GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Joánnæ: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátæ Joánnæ fámulæ tuæ grátiam supérnæ vocatiónis fílii sui Domínici mirabíliter ostendísti: quæsumus, ut ipsam, præmonstratúmque fílium imitántes, pio utriúsque intervéntu ætérna præmia consequámur. Per Dóminum.

Secreta.

DEUS, in cujus conspéctu hæc, quam offérimus, hóstia, placábilis semper appáret, largíre ut per beátæ Joánnæ méritum, filiíque Domínici, propitiatória sit nobis ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio.

CÆLESTI pasti dulcédine ineffábilem tuam, Deus, exorámus cleméntiam, ut hæc hóstia, intercedéntibus méritis beátæ Joánnæ, ac Sancti fílii sui Domínici, sit nobis ablútio scélerum, grátiæ participátio, ac præmii ætérni consecútio. Per Dóminum.

DIE XIII.

In Diœcesi Cordubensi.

S. HIPPOLYTI, MARTYRIS.

Missa. In virtúte. de Comm. cum Evang. Atténdite a ferménto. et Orationibus sequentibus.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Hippóliti Mártyris tui veneránda solémnitas, et devotiónem nobis aúgeat, et salútem. Per Dóminum.

Secreta.

MUNERIBUS nostris, quæsumus Dómine, precibúsque suscéptis, et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

DA, quæsumus Dómine Deus noster: ut sicut tuórum commemoratióne sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

DIE XIV.

In Diœcesi Cordubensi.

S. PAULI DIACONI, MARTYRIS.

Missa. Lætábitur. de Comm., præter Orationes sequentes, et Evang. Si quis venit. Dicitur Credo.

Oratio.

Deus, qui cónspicis, quia nos úndique mala nostra pertúrbant: da pópulo tuo, ut beáti Pauli Mártyris précibus ab omni se reátu liberári lætétur. Per Dóminum.

Secreta.

Preces, quæsumus, Dómine, tuórum réspice, oblationésque fidélium, et intercedénte beáto Paulo Mártyre tuo, hæc, quæ majestáti tuæ in ejus honórem offérimus, ad nostram incolumitátem dona sanctífica. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cælestibus alimóniis satiáti, quæsumus, omnípotens Deus, ut intercedénte beáto Paulo Mártyre tuo, per id cujus exséquimur cultum, contra advérsa ómnia tua grátia muniámur. Per Dóminum.

DIE XVI.

In Diœcesi Gaditana.

S. ROCHI CONFESSORIS.

Missa. Os justi. de Communi Confessoris non Pontificis.

DIE XXIII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. CHRISTOPHORI ET LEOVIGILDI MARTYRUM.

Missa. Sapiéntiam. de Comm. cum Orationibus sequentibus.

Oratio.

Fac nos, quæsumus Dómine, Sanctórum Mártyrum tuórum Christóphori, et Leovigíldi veneránda natalítia ita celebráre, ut eórum patrocínio protectiónis tuæ perpétua dona sentiámus. Per Dóminum.

Secreta.

Super has, quæsumus Dómine, hóstias benedíctio copiósa descéndat: et ut sint digna quæ óculis tuæ majestátis offérimus, beatórum Mártyrum tuórum Christóphori, et Leovigíldi, intercéssio gloriósa tuam nobis cleméntiam semper obtíneat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Postcommunio.

Oblati múneris, quæsumus Dómine, reféctio nos gloriósa lætíficet, in tuórum honóre Sanctórum: ut hæc sacra mystéria, quæ pro reparatiónis nostræ munímine contulísti, eórum intercessióne cæléstis nos fáciant vitæ partícipes. Per Dóminum.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE III.

In Diœcesi Cordubensi.

S. SANDALII MARTYRIS.

Missa. In virtúte. de Communi unius Martyris non Pontificis.

DIE IV.

In Cathedrali Pacensi.

S. JULIANI MARTYRIS.

Missa. In virtúte. de Communi unius Martyris non Pontificis. Et dicitur Credo.

DIE XVII.

In Diœcesi Cordubensi.

S. COLUMBÆ VIRG. ET MART.

Missa. Loquébar. de Communi unius Virginis et Martyris.

DIE XVIII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. EMILLÆ ET HIEREMIÆ MART.

Missa. Intret. de Communi plurimorum Martyrum præter Orationes sequentes.

Oratio.

Sanctorum Mártyrum Emíllæ et Hieremíæ, quæsumus, Dómine, natalítia nobis votíva resplendeant, ut qui tua per eos benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Secreta.

Oblationi nostræ, quæsumus Dómine, Sanctórum Mártyrum tuórum Emíllæ, et Hieremíæ intercessióne inténde placátus, ut per eam nostra mundéntur crímina, per quam totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum.

Postcommunio.

SALUTARIS Sacraménti, quæsumus, Dómine, Sanctórum Mártyrum tuórum Emíllæ, et Hieremíæ précibus ita capiámus effectum, ut cujus per hæc pignus accépimus, véniam consequámur, et pacem. Per Dñum.

DIE XX.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. ROGELLII ET SERVI DEI MART.

Missa. Intret. de Communi plurim. Mart. præter Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Rogéllii et Servi Dei solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Secreta.

OBLATIS, quæsumus Dómine, placáre munéribus : et intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Rogéllii et Servi Dei a cunctis nos deféndе perículis. Per Dóminum.

Postcommunio.

HÆC nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Rogéllii et Servi Dei cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

EADEM DIE XX.

In Diœcesi Gaditana.

SS. MARIÆ, SUSANNÆ ET MARTHÆ MARTYRUM.

Missa. Me exspectavérunt. de Communi unius Martyris non Virginis cum Orationibus ibidem ij. loco.

EADEM VEL ALIA DIE.

In Diœcesi Cordubensi.

B. FRANCISCI DE POSADAS CONF.

Missa. Cáritas Dei. ut in die S. Philippi Nerii xxvj. Maji in Missali Romano, præter Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS qui beátum Franciscum Confessórem tuum, supérnæ caritátis dulcédine perfúsum verbi tui præcónem exímium effecísti : ejus intercessióne concéde, ut igne tui amóris incénsi, in tua dilectióne semper vivámus. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

DA quæsumus Dómine, ut sicut Beátus Franciscus juge se tibi sacrifícium ófferens, spíritum suum ad æternitátem áluit, grátiæ tuæ nobis semper concíliet ubertátem. Per Dóminum.

Postcommunio.

SACRIS reſécti aliméntis te súpplices deprecámur, Omnípotens Deus ut intercedénte Beáto Francísco, quem post oblátum tibi sacrifícium, ad salútis portum, pretiósa morte, transíre fecísti, nos étiam, in vitæ éxitu cælésti pábulo roborátos, ejúsdem glóriæ fácias esse consórtes. Per Dóminum.

DIE XXII.

In Diœcesi Cordubensi.

S. POMPOSÆ VIRG. ET MART.

Missa. Me exspectavérunt. de Communi unius Virginis et Martyris cum Evang. Símile est regnum cælórum decem virgínibus, ex Missa. Loquébar. de eodem Communi j. loco.

DIE XXVIII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. ADULPHI ET JOANNIS FRATRUM, MARTYRUM.

Missa. Salus autem. de Communi plurim. Mart. præter Orationes sequentes et Evang. Cum audiéritis prælia, ex Missa. Intret. de eodem Communi.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut nobis gemináta lætítia, in beatórum Mártyrum Adúlphi, et Joánnis natalítio, spirituálem cónferat grátiam gaudiórum, per quam fidélium mentes in viam ætérnæ salútis eórum intercessióne dirigántur. Per Dóminum.

Secreta.

Per hanc, quæsumus, Dómine, hóstiam quam sanctórum tuórum natalítia recenséntes offérimus, eórum intercessióne in méntibus nostris veræ fídei sacraménta confírma. Per Dóminum.

Postcommunio.

Placeat, quæsumus, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Adúlphi, et Joánnis précibus majestáti tuæ, ut iis tríbuant contínuum tua sancta præsídium quos salutáribus iis júgiter réficis sacraméntis. Per Dóminum.

FESTA OCTOBRIS.

DIE V.

In Cathedrali et Civitate Teneriff.

SS. PLACIDI ET SOCIOR. MART.

Missa. Salus autem justórum. de Communi plurimorum Mart. iij. loco, præter Orationes sequentes. Et dicitur Credo.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Plácidi et Sociórum, natalília cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta.

Munera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus : quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Plácidi et Sociórum, ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

DIE VI.

In Diœcesi Canariensi et Teneriff.

S. FIDEI VIRG. ET MART.

Missa. Loquébar. de Communi unius Virg. et Mart.

DIE X.

In Septennensi vulgo Ceuta.

SS. DANIELIS ET SOC. MART. PATRONORUM.

Introitus. *Eccli.* 44.



Sapientiam Sanctórum narrent pópuli : et laudes eórum núntiet Ecclésia : nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi. Psalm. 32. Exsultáte, justi, in Dómino ; rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Fraterna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ B. Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. cap. 6. v. 4.

Fratres : Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu Sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ a dextris et a sinístris; per glóriam et ignobilitátem ; per infámiam et bonam famam ; ut seductóres et veráces ; sicut qui ignóti et cógniti : quasi moriéntes, et ecce vívimus : ut castigáti, et non mortificáti : quasi tristes, semper autem gaudéntes : sicut egéntes, multos autem locupletántes : tamquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes.

Graduale. Psalm. 23. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos ; et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Juxta est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde, et húmiles spíritu salvábit.

Allelúia, allelúia. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina : Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 6. v. 17.

In illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere : quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos, dicébat : Beáti paúperes, quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis, quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis, quia ridébitis. Beáti éritis cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte : ecce enim, merces vestra multa est in cælo.

Dicitur Credo. et per Octavam.

Offertorium. Psalm. 140. Exsultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis ; exaltatiónes Dei in faúcibus eórum. Allelúia.

Secreta.

Iterata mystéria, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum commemoratióne, devóta mente tractémus : quibus et præsídium nobis crescat, et gaúdium. Per Dóminum.

Communio. Matth. 10. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut quorum memóriam sacraménti participatióne recólimus, fidem quoque proficiéndo sectémur. Per Dóminum.

DIE XIII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. FAUSTI, JANUARII ET MARTIALIS MARTYRUM.

Missa. Sapiéntiam. de Communi plurim. Mart. ij. loco, præter Orationes sequentes.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beatórum Mártyrum tuórum Fausti, Januárii, et Martiális veneránda natalítia ánnua solemnitáte recólimus, eórum patrocíniis ætérnæ vitæ suffrágia consequámur. Per Dóminum.

Secreta.

In beatórum Mártyrum tuórum Fausti, Januárii et Martiális solemnitáte, hæc tibi, Dómine, múnera deferéntes, quæsumus, ut ipsórum intercessióne, per ea a peccatórum nostrórum máculis emundémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Repleti alimónia cæléstí, et spirituáli póculo recreáti, quæsumus, omnípotens Deus, ut sanctórum Mártyrum tuórum Fausti, Januárii, et Martiális précibus, his tantis mystériis ad vitam nutriámur ætérnam. Per Dóminum.

DIE XXIII.

In Diœcesi Gaditana.

SS. SERVANDI ET GERMANI

FRATRUM MART. PATRONORUM.

Introitus.



Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum : redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum : víndica sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est. Psalm. Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam ; polluérunt templum sanctum tuum ; posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui sanctis frátribus Servándo et Germáno mirábilem fídei constántiam tribuísti ; concéde propítius, ut qui tantórum Mártyrum patrocínio fruímur, eórum perpétua intercessióne roborémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ B. Pauli Apóstoli ad Hebræos. Cap. 11. v. 33.

FRATRES: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos. Alii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem inveníreut resurrectiónem. Alii vero ludíbria, et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes; in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Gloriósus Deus in Sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúia, allelúia. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina; Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 6. v. 17.

IN illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti paúperes, quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis, quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis, quia ridébitis. Beáti éritis cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim, merces vestra multa est in cælo.

Offertorium. Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúia.

Secreta.

IN tuórum, Dómine, pretiósa morte sanctórum sacrifícium istud offérimus, de quo martyrium sumpsit omne princípium. Per Dóminum.

Communio. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocaústa accépit eos.

Postcommunio.

CÆLESTIBUS pasti delíciis, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos gemináta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Servándi, et Germáni, glorificatióne procédit, quos éadem fides, et pássio vere fecit esse germános. Per Dóminum.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XVII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. ACISCLI ET VICTORIÆ MART. PATRONORUM CORDUBENSIUM.

Introitus.



APIENTIAM Sanctórum narrent pópuli: et laudes eórum núntiet Ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi. Psalm. Exsultáte, justi, in Dómino; rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui famíliam tuam beatórum fratrum, et Mártyrum tuórum Acísculi, et Victóriæ gloriósis confessiónibus circúmdas, et prótegis: con-

céde propítius, ut quos Patrónos agnóscimus, eórum méritis, et intercessiónibus ab ómnibus adversitátibus liberémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ B. Pauli Apóstoli ad Hebræos. Cap. 11. v. 33.

FRATRES : Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum : accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos. Alii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem inveníret resurrectiónem. Alii vero ludíbria, et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres : lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt : circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus : in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 125. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus : adjutórium nostrum in nómine Dómini ; qui fecit cælum, et terram.

Allelúia, allelúia. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 5. v. 1.

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem ; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum docébat eos, dicens : Beáti paúperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti mites : quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti, qui lugent ; quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt, et sítiunt justítiam : quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes : quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici : quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam : quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos mentiéntes, propter me : gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis.

Dicitur Credo. et per Octavam.

Offertorium. Ps. 149. Exsultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis : exaltatiónes Dei in faúcibus eórum. Allelúia.

Secreta.

LAUDIS tibi, Dómine, hóstias immolámus, quas beatórum Mártyrum tuórum Acíscli, et Victóriæ suffragántibus méritis ad perpétuum nostræ famíliæ subsídium proveníre concéde. Per Dóminum.

Communio. Lucæ 12. Dico autem vobis amícis meis, ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio.

SALUTARI cibo, Deus noster, potúque refécti supplíciter exorámus, ut beatórum Mártyrum tuórum Acíscli, et Victóriæ suffrágiis nostra família præstet, incólumis, quæ de eórum patrocínio ánnua observatióne lætátur. Per Dóminum.

DIE XXIII.

In Diœcesi Pacensi.

S. CLEMENTIS PAPÆ ET MART.

Missa ut in Missali Romano sub hac die. Dicitur Credo et per Octavam in Civitate Pacensi tantum.

DIE XXVI.

In Diœcesi Cordubensi.

INVENT. RELIQUIARUM

SS. FAUSTI, JANUARII ET MARTIALIS ET ALIORUM MART.

Missa. Sapiéntiam. de Comm. plur.

Mart. præter Orationes sequentes, et Epistolam. Sancti per fidem. Et dicitur Credo.

Oratio.

Deus, qui pópulum tuum tam mira sanctórum Fausti, Januárii et Martiális, et aliórum inventióne lætíficas: concéde propítius, ut quorum córpora venerámur in terris, eórum méntibus associémur in cælis. Per Dóminum.

Pro comm. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart.

Oratio.

Infirmitatem nostram réspice, omnípotens Deus; et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Petri Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus, ut quorum inventiónis diem ánnua devotióne recólimus, eórum méritis, et intercessióne sacrifícium nostrum grátiam coram óculis tuis invéniat. Per Dóminum.

Pro S. Petro. Secreta.

Hostias tibi, Dómine, beáti Petri Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis benígnus assúme; et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, cujus mirabília in sanctórum Mártyrum glorióso certámine, prædicámus; concéde propítius, ut quorum lætámur inventióne, eórum patrocíniis ad gaúdia perveniámus ætérna. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Petro. Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster; ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Petro Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE XXVII.

In Diœcesi Cordubensi.

SS. FLORÆ ET MARIÆ VIRG. ET MARTYRUM.

Missa. Loquébar. de Comm. unius Virg. et Mart. præter Orationes seq. Epistola. De Virgínibus. ex Missa Vultum tuum. Et dicitur Credo.

Oratio.

Sanctarum Vírginum, ac Mártyrum tuárum, Floræ et Maríæ, quæsumus Dómine, beáta solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut eárum intercessióne placátus, semper a nobis mala ómnia, quæ merémur avértas. Per Dóminum.

Secreta.

Accepta tibi sit, quæsumus Dómine, nostræ servitútis oblátio, ut Sanctárum Vírginum ac Mártyrum tuárum Floræ et Maríæ précibus sociáta ad véniam nobis váleat delictórum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Alimoniis benedictiónis cæléstis satiáti, omnípotens Deus cleméntiam tuam humíliter deprecámur, ut Sanctárum Vírginum, et Mártyrum tuárum Floræ, et Maríæ contínua nobis non desit orátio, qui eárum in sexu frágili martyrii victóriam ánnua devotióne recólimus. Per Dóminum.

KALENDARIUM.

Imprimi possunt.

Mechliniæ, die 24 Decembris 1888.

✝ PETRUS LAMBERTUS, Archiep. Mechlinien.

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXXXIX.

MISSÆ PROPRIÆ

CATHALAUNIÆ PRINCIPATUI

ET DIŒCESIBUS PROVINCIÆ TARRACONENSIS

CONCESSÆ.

DIE VII. DECEMBRIS.

VIGIL. IMMAC. CONCEPT. B. M. V.

Missa ut in Missali, eadem die.

DIE VII. JANUARII.

In Diœcesi Barchinonensi.

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT CONFESSORIS.

Missa. Os justi, de Communi Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti : concéde; ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

Et fit com. Octavæ Epiph. Et dicitur Credo.

Secreta.

Munera, Dómine, Majestáti tuæ obláta sanctífica; et intercedénte beáto Raymúndo confessóre tuo, auxílium nobis tuæ defensiónis impénde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine Deus noster, ut sancti Raymúndi confessóris tui celebráta solémnitas, nobis indulgéntiam peccatórum et glóriam ætérnæ felicitátis acquírat. Per Dóminum.

DIE III. FEBRUARII.

In Diœcesi Cœlsonensi.

S. BLASII EPISC. ET MART.

Missa. Sacerdótes Dei, ut in Comm. Mart. cum Oratione sequenti.

Oratio.

Deus, qui beátum Blásium mártyrem tuum atque pontíficem in suis perferéndis supplíciis, et in aliórum depelléndis infirmitátibus admirábilem effecísti; concéde ut illíus et in fide constántiam imitémur, et in perículis patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

DIE V. FEBRUARII.

SS. VIGINTI SEX MART. JAPONEN.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XII. FEBRUARII.

In Diœcesi Barchinonensi.

IN FESTO, ET DIE OCTAVA

S. EULALIÆ VIRG. ET MART.

AC PATRON. CIV. BARCHIN.

Missa. Loquébar, de Comm. Virg. et Mart.

Oratio.

Deus, qui nos martyrii beátæ Euláliæ vírginis et mártyris tuæ solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut gloriosíssimis ejúsdem méritis, et terréna nobis profíciant, et cœléstia desideráta provéniant. Per Dóminum.

Et dicitur Credo, per totam Octavam.

Si festum S. Eulaliæ occurrit Feria iv. Cinerum vel Dominica prima Quadragesimæ, non transfertur, sed fit de Festo cum comm. Dñicæ vel Feriæ, et cum Octava ex privilegio; si vero occurrit die Octava in Feria iv. Cinerum vel in Dñica Quadragesimæ, fit de Dñica vel Feria cum comm. Octavæ.

Extra Diœc. Barchinon. dicitur eadem Missa sine Credo, nec Octava.

DIE XXVI. FEBRUARII.

S. ELIGII EPISC. ET CONF.

Missa. Statuit, de Comm. Conf. Pont.

DIE V. MARTII.

In Diœcesi Gerundensi.

B. NICOLAI FACTORIS CONF.

Missa ut in propr. Hispan. die xxiij. Decembris.

DIE VI. MARTII.

In Diœc. Barchinon. et Gerundensi.

S. OLLEGARII EPISC. ET CONF.

Missa. Státuit, de Comm. Conf. et Pont.

Oratio.

DEUS, qui ánimam beáti Ollegárii confessóris tui atque pontíficis in cælis cum Christo regnántem, et corpus in terris íntegrum illæsúmque consérvas : concéde propítius ; ut ejus intercessióne, ita in hoc mundo vivámus, ut cum Christo in glória regnáre valeámus : Qui tecum vivit.

In Cathedrali Barchinon. dicitur Credo.

DIE IX. MARTII.

In Diœcesi Barchinonensi.

S. PATIANI EPISC. ET CONF.

Missa. Státuit, de Comm. Conf. et Pont.

DIE XV. MARTII.

In Diœcesi Barchinonensi.

S. MATRONÆ VIRG. ET MART.

Missa. Me exspectavérunt, de Comm. Virg. et Mart.

DIE XVIII. MARTII.

In Diœcesi Gerundensi.

S. NARCISSI EPISC. ET MART.

PATRONI.

Missa ut in Propr. Hispan. die xxix. Octobris.

Et dicitur Credo.

EADEM DIE XVIII. MARTII.

In Diœcesi Gerundensi.

B. SALVATORIS AB HORTA CONF.

Missa. Justus, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Salvatóris confessóris tui memóriam recoléntes : ipsíus intercessióne a cunctis malis liberémur in terris, et ad gaúdia sempitérna perveníre mereámur in cælis. Per Dóminum.

DIE XXIII. MARTII.

In Diœc. Barchinonen. et aliis.

B. JOSEPHI ORIOL CONF.

Missa. Os justi, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

DEUS, qui beátum Joséphum confessórem tuum mirábili abstinéntiæ dono et curatiónum grátia decorásti : concéde; ut a culpis abstinéntes in terris, pœniténtiæ præmium assequámur in cælis. Per Dóminum.

Secreta.

PURIFICA, Dómine, corda nostra; ut qua puritáte beátus Joséphus cæléstem óbtulit víctimam, éadem nos offerámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

DIVINUM tuum épulum, Dómine, quod beáto Joséplo jejunánti temporále præbuit aliméntum, ætérnum nobis, te miseránte, largiátur. Per Dóminum.

DIE I. APRILIS.

In Diœcesi Vicensi.

INVENTIONIS CORPORUM.

SS. LUCIANI ET MARCIANI MART.

PATRONORUM.

Missa. Intret in conspéctu, de Comm. plur. Mart.

Oratio.

AUGE in nobis resurrectiónis fidem qui in Sanctórum tuórum Luciáni, et Marciáni relíquiis mirabília operáris, et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dñum.

Evang. Descéndens Jesus, Secreta et Postcommunio ex Missa. Sapiéntiam, ij. loco. Dicitur Credo. ubi asservantur Reliquiæ.

Tempore Paschali dicitur Missa. Sancti tui, cum Orationibus et Evangelio ut supra.

DIE VI. APRILIS.

In diversis Diœcesibus.

BEATÆ JULIANÆ VIRGINIS.

Missa ut in Appendice pro aliquibus locis.

DIE XV. APRILIS.

In Diœcesi Gerundensi.

S. PEREGRINI LATIOSI CONF.

Omnia ut in Propr. Hispan. die j. Junii.

DIE XVI. APRILIS.

SS. ENGRATIÆ ET SOC. MART.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

DIE XXIII. APRILIS.

S. GEORGII MART. PATR. PRINC.

Missa. Protexísti, ut in Missali Romano sub hac die. Et dicitur Credo, per totam Octavam. Si celebretur extra temp. Pasch. dicitur Missa, In virtúte tua, cum Orationibus propriis et Evang. Si quis venit.

¶ Si hoc festum venerit in Feria vj. vel Sabbato Majoris Hebdomadæ, transfertur una cum Octava ac præcepto audiendi Sacrum ad feriam ij. post Dom. in Albis.

DIE XXVIII. APRILIS.

S. PETRI ARMENGAUDII MART.

Missa. Protexísti, de Communi. Extra temp. Pasch. Missa. In virtúte tua, cum Evang. Si quis vult.

DOMINICA PROXIMA INSEQUENTE DIEM XXV. APRILIS.

Pro Clero Diœcesium Cathalauniæ.

B. MARIÆ V. DE MONTE SERRATO,

PATRONÆ CATHALAUNIÆ PRINCIPATUS.

Introitus. *Isaiæ* c. 35.



GERMINANS germinábit, et exsultábit lætabúnda et laudans : glória Líbani data est ei; decor Carméli et Saron. Allelúia, allelúia. Ps. 86. Fundaménta ejus in móntibus sanctis : díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

BONORUM ómnium largítor Deus, qui eléctum montem gloriósæ Unigéniti tui Matris insígni cultu claríficas : concéde ; ut ejúsdem Immaculátæ semper Vírginis Maríæ præsídio poténter adjúti, ad montem, qui Christus est, secúri perveniámus: Qui tecum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prov. 8.

DOMINUS possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram : necdum fontes aquárum erúperant : necdum montes gravi mole constíterant : ante colles ego parturiébar : adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cælos, áderam ; quando certa lege, et gyro vallábat abyssos : quando æthera firmábat sursum, et liberábat fontes aquárum : quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos : quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens : et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore ; ludens in orbe terrárum ; et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me : beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino.

Allelúia, allelúia. ℣. Num. 17. Virga Jesse flóruit : Virgo Deum et hóminem génuit : pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúia. ℣. Luc. 1. Ave, María, grátia plena : Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Allelúia.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Cant. 6. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúia, allelúia. ℣. Judith 13. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

In illo témpore : Exsúrgens María, ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda : et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero ejus : et repléta est Spíritu sancto Elísabeth : et exclamávit voce magna, et dixit : Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in aúribus meis, exsultávit in gaúdio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María : Magníficat ánima mea Dóminum : et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Credo.

Offertorium. Recordáre, Virgo Mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis. Allelúia.

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. Per Dóminum.

Communio. Luc. 1. Respéxit Dóminus humilitátem ancíllæ suæ : ecce enim ex hoc, o María, beátam te dicent omnes generatiónes. Allelúia.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis; da, quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

DOM. II. INTRA KALENDAS MAJI.

In Diœcesi Dertusensi.

B. MARIÆ VIRGINIS DE ROSARIO.

Missa votiva de S. Maria tempore Paschali. Salve sancta, cum Evang. Loquénte Jesu, et Præfatio Et te in festivitáte.

Oratio.

Omnipotens, sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis Matris Maríæ corpus et ánimam ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur Spíritu Sancto cooperánte præparásti; da, ut cujus Rosárii celebritáte lætámur, ejus pia intercessióne ab instántibus malis, et a morte perpétua liberémur. Per eúmdem Dóminum.

DOMINICA II. MAJI.

In Diœcesi Dertusensi.

B. MARIÆ V. DESERTORUM.

Missa. Salve sancta parens, ut in Missa votiva de S. Maria a Pascha usque ad Pentec.

DIE X. MAJI.

In Diœcesi Barchinonensi.

IN OCTAVA INVENT. S. CRUCIS.

Missa sicut in die iij. Maji in Missali Romano.

EADEM DIE.

In Diœcesi Ilerdensi.

S. ANASTASII MART. CIVITATIS PATRONI.

Missa. Protexísti, cum Orationibus de iij. loco. Et dicitur Credo. Ilerdæ tantum.

Extra tempus Paschale, Missa. In virtúte.

DIE XXI. MAJI.

In Diœcesi Gerundensi.

S. FELICIS A CANTALICIO CONF.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis, eadem die.

DIE XXII. MAJI.

In Diœcesi Urgellensi.

SS. TORQUATI, CTESIPHONTIS, SECUNDI, INDALETII, CÆCILII, HESYCHII ET EUPHRASII EPISCOPORUM MARTYRUM.

Introitus. *Dan.* 3.



ACERDOTES Dei, benedícite Dóminum : sancti et húmiles corde, laudáte Deum. Allelúia, allelúia. Ps. Ibid. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino : laudáte et superexaltáte eum in sæcula. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nos post beatíssimum Jacóbum Apóstolum per beátos mártyres tuos atque pontífices Torquátum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cæcílium, Hesychium et Euphrásium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : concéde propítius ; ut quos festívo venerámur obséquio, eórum intercedéntibus méritis, ætérna gaúdia consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 5.

STABUNT justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes : Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre : ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei et inter sanctos sors illórum est.

Tempore Paschali. Allelúia, allelúia. ℣. Posuísti, Dómine, super cápita eórum corónam de lápide pretióso : allelúia. ℣. Sancti Pontífices nostri, qui nos docuérunt legem tuam, Dómine, hódie in cælis coronáti regnant in ætérnum : Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 15.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis vera : et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum : et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis. Manéte in me : et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite : sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis.

Offertorium. Ps. 88. Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine, et veritátem tuam in Ecclésia sanctórum : Allelúia.

Secreta.

GRATA tibi sit, Dómine, nostræ servitútis oblátio, pro qua sancti antístites et mártyres nostri Torquátus, Ctésiphon, Secúndus, Indalétius, Cæcílius, Hesychius et Euphrásius precatóres accédant. Per Dóminum.

Communio. Lætabúntur justi in Dómino, et sperábunt in eo : et laudabúntur omnes recti corde. Allelúia.

Postcommunio.

FIDELES tuos, Dómine, quæ súmpsimus Sacraménta custódiant, et qui beatórum mártyrum tuórum atque pontíficum Torquáti, Ctesiphóntis, Secúndi, Indalétii, Cæcílii, Hesychii et Euphrásii prædicatióne ad fidem perveními us, eórum quoque méritis discámus terréna despícere, et amáre cæléstia. Per Dóminum.

Extra tempus Paschale dicitur Missa ut supra, demptis Allelúia, Epi-

stola, Graduale et Evangelium de Comm. plur. Mart. j. loco extra tempus Paschale.

DIE XXVIII. MAJI.

In Diœcesi Vicensi.

S. JUSTI CONF., CIVIT. PATRONI.

Missa. Os justi, de Comm. Conf. non Pont. Et dicitur Credo.

EADEM DIE.

In Diœcesi Urgellensi.

S. JUSTI EPISC. ET CONF.

Introitus. *Psalm.* 86.



Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium : lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. ibid. Noli æmulári in malignántibus, neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Ecclesiam tuam, quæsumus Dómine, grátia cæléstis amplíficet, quam beáti Justi, confessóris tui atque pontíficis, illustráre voluísti gloriósis méritis ac doctrínis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 13.

Fratres : Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri et hódie : ipse et in sæcula. Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis : quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, idest, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem et communiónis nolíte oblivísci ; tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris et subjacéte eis ; ipsi enim pervígilant quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri, ut cum gáudio hoc fáciant, et non geméntes : hoc enim non éxpedit vobis.

Graduale. Psalm. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári : et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu David, parávi lucérnam Christo meo.

Allelúia, allelúia. ℣. Prov. 11. Fructus justi lignum vitæ : et qui súscipit ánimas, sápiens est. Allelúia.

Tempore Paschali, omittitur Graduale, et ejus loco dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum, tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia. ℣. Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 24.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti : quia qua nescítis hora Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore ? Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium. Psalm. 91. 13. Justus ut palma florébit : sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta.

SANCTI Justi confessóris tui atque pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos; ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

DEUS, fidélium remunerátor animárum, præsta: ut beáti Justi, confessóris tui atque pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

DIE XXXI. MAJI.

B. M. V. SUB TITULO REGINÆ SS. OMNIUM, ET MATRIS PULCHRÆ DILECT.

Missa ut in Propr. Hisp. eadem die.

FERIA II. POST DOM. SS. TRINITATIS.

In Diœcesi Gerundensi.

SS. GERMANI ET SOC. MART.

Missa. Intret, de Comm. plur. Mart. Oratio de ij. loco.

DIE I. JUNII.

S. PEREGRINI LATIOSI CONF.

Missa ut in Propr. Hisp. eadem die.

DIE XVII. JUNII.

B. M. V. DE BONO CONSILIO.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis, die xxvj. Aprilis.

DOM. II. INTRA KALENDAS JULII.

In Cathedrali Barchinosensi.

TRANSLAT. II. S. EULALIÆ VIRG. ET MARTYRIS.

Missa. Loquébar, de Comm. pro Virg. et Mart., mutato nomine natalítia ex Oratione in translatiónem.

In Cathedrali Dertusensi.

SS. RELIQUIARUM.

Missa. Intret, de Comm. cum Evang. Descéndens Jesus, et Credo.

Oratio.

BEATORUM Mártyrum paritérque Pontíficum, et ómnium sanctórum quorum Relíquiæ in præsénti requiéscunt Ecclésia, nos quæsumus, Dómine, festa tueántur, et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

DIE V. JULII.

In Diœcesi Vicensi.

S. MICHAELIS A SANCTIS CONF.

Missa ut in Appendice pro aliquibus locis, eadem die.

DIE VII. JULII.

In Diœcesi Urgellensi.

S. ODONIS EPISC. ET CONF. ET CIVITATIS URGELLENSIS PATRONI.

Introitus. *Ps.* 32.



GAUDEAMUS omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre beáti Odónis epíscopi et confessóris: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei. Ps. ibid. Exsultáte, justi, in Dómino; rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui in cœlésti regno sanctum Odónem, confessórem tuum atque pontíficem, glória et honóre coronásti: concéde propítius; ut ejus précibus et méritis ita in hoc mundo vivámus, ut ad indeficiéntis vitæ præmia perveníre mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 7.

OPTAVI, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ: et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua: et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam: et propósui pro luce habére illam: quóniam inexstinguíbile

est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus: et lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia : et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesaúrus est homínibus : quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

Graduale. Psalm. 109. Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum : ℣. Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Allelúia, allelúia. ℣. Sancte Odo, Sedis Urgellénsis epíscope, tutéla nostra firmíssima, ab omni malo líbera nos semper. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio : sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Lucérna córporis tui, est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit; si autem nequam fúerit étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo ne lumen, quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te. Credo.

Offertorium. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet, et quasi sol refúlgens; sic Odo effúlsit in templo Dei.

Secreta.

Sacrificiis præséntibus, quæsumus, Dómine, inténde placátus, et præsta : ut hæc salutáris hóstia, intercedénte beáto Odóne confessóre tuo atque pontífice, subditórum tibi córpora mentésque sanctíficet. Per Dñum.

Communio. Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum : Justítia indútus sum : et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, judício meo. Oculus fui cæco, et pes claudo, pater eram paúperum.

Postcommunio.

Corda nostra, quæsumus, Dómine, intercedénte beáto Odóne, confessóre tuo atque pontífice, illústres ac fóveas, ut te pura fide agnóscant, et perfécta díligant caritáte. Per Dóminum.

EADEM DIE VII. VEL ALIA DIE.

S. PULCHERIÆ IMPERATR. VIRG.

Missa ut in Appendice pro aliquibus locis, eadem die.

DIE XXVII. JULII.

In Diœcesi Barchinonensi.

S. CUCUPHATIS MARTYRIS.

Missa. In virtúte, de Comm. unius Mart. cum Evang. Si quis vult, de Missa. Sacerdótes Dei.

DOM. PROXIMA KALENDIS AUGUSTI.

In Diœcesi Barchinonensi.

TRANSLAT. S. SEVERI EPISC. ET MARTYRIS.

Missa. Sacerdótes Dei, de Comm. Conf. Pont.

Oratio.

Deus, qui nobis júgiter præstolántibus, beáti Sevéri mártyris tui gloriósa pígnora concessísti : da, ut tanti præsulis nota præsídia sentiámus, cujus translatiónis diem solémniter cólimus. Per Dóminum.

Secreta et Postcommunio de Missa Státuit. Et dicitur Credo.

DIE I. AUGUSTI.

In Diœcesi Gerundensi.

S. FELICIS AFRICANI MART.

Missa ut in Propr. Hisp. eadem die.

DIE II. AUGUSTI.

In Diœcesi Dertusensi.

S. ANGELI CUSTODIS PATRONI.

Missa ut in Missali Romano sub die ij. Octobris.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. PHILUMENÆ VIRG. ET MART.

Missa. Loquébar, de Comm. Virg. et Mart.

DIE XIX. AUGUSTI.

In diversis Diœcesibus.

S. MAGINI MART. TARRAC.

Introitus. *Ps.* 54.



Quis dabit mihi pennas colúmbæ, et volábo et requiéscam? Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine. Psalm. ibid. Exaúdi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam : inténde mihi, et exaúdi me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui hunc diem beáti Magíni mártyris tui triúmpho consecrásti : exaúdi preces pópuli tui, et præsta; ut qui ejus mérita venerámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Cap. 11.

Fratres : Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum : accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos : álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem, álii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres : lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt : circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti : quibus dignus non erat mundus : in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti invénti sunt : in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Psalm. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 20. Posuísti, Dómine, super caput mártyris tui Magíni corónam de lápide pretióso. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis : et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Ps. 63. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo : et laudabúntur omnes recti corde. Allelúia.

Secreta.

Hanc oblatiónem, omnípotens Deus, beáti Magíni mérita tibi reddant accéptam : ut ipsíus subsídiis adjúti, glóriæ ejus consórtes efficiámur. Per Dóminum.

Communio. Psalm. 8. Glória et honóre coronásti eum; et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Postcommunio.

Sumpsimus, Dómine, ætérnæ vitæ sacraménta, te humíliter deprecántes : ut beáto Magíno mártyre tuo pro nobis deprecánte, véniam nobis concílient et grátiam. Per Dóminum.

DIE XXVII. AUGUSTI.

In Diœcesi Ilerdensi.

S. LICERII EPISC. ET CONF.

Missa. Sacerdótes tui, de Comm.

Episc. et Conf. cum Epistola. **Ecce sacérdos magnus**, de Missa **Státuit**, et Evangelium **Sint lumbi**, de Missa Os **justi.**

DIE XXXI. AUGUSTI.

In Diœcesi Cœlsonensi.

S. RAYMUNDI NONNATI CONF.

PATRONI DIŒC. CŒLSONENSIS.

Introitus. *Ps.* **138.**



u, Dómine, possedísti renes meos : suscepísti me ab útero matris meæ : confitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es; mirabília ópera tua et ánima mea cognóscit nimis. Psalm. ibid. **Dómine, probásti me, et cognovísti me : tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte, beátum Raymúndum confessórem tuum mirábilem effecísti ; ejus nobis intercessióne concéde ; ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isaiæ 43.

Hæc dicit Dóminus creans te, Jacob, et formans te, Israel : Noli timére, quia redémi te, et vocávi te nómine tuo : meus es tu. Cum transíeris per aquas, tecum ero, et flúmina non opérient te : cum ambuláveris in igne, non combuoréris, et flamma non ardébit in te : Quia ego Dóminus Deus tuus sanctus Israel Salvátor tuus, dedi propitiatiónem tuam Ægyptum, Æthiópiam, et Saba pro te. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis, et gloriósus : ego diléxi te, et dabo hómines pro te, et pópulos pro ánima tua. Noli timére, quia ego tecum sum : ab Oriénte addúcam semen tuum, et ab Occidénte congregábo te. Dicam Aquilóni : Da; et Austro : Noli prohibére : affer fílios meos de longínquo, et fílias meas, ab extrémis terræ. Et omnem, qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam creávi eum, formávi eum et feci eum. Educ foras pópulum cæcum, et óculos habéntem : surdum, et aures ei sunt.

Graduale. Psalm. 21. **Tu es, qui extraxísti me de ventre : spes mea ab ubéribus matris meæ : in te projéctus sum ex útero. ℣. De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discésseris a me.**

Allelúia, allelúia. ℣. Psalm. 38. **Posuérunt ori meo custódiam, humiliátus sum, et dolor meus renovátus est. Allelúia.**

Post Septuagesimam, omisso **Allelúia.** et versu sequenti, dicitur : **Tractus.** Psalm. 43. **Humiliásti nos in loco afflictiónis, et coopéruit nos umbra mortis. ℣. Quóniam propter te mortificámur tota die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis. ℣. Exsúrge, Dómine, ádjuva nos, et rédime nos propter nomen tuum.**

Tempore Paschali, omisso Graduali, dicitur : **Allelúia, allelúia. ℣.** Psalm. 41. **Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum, quando véniam et apparébo ante fáciem Dei ? Allelúia. ℣.** Psalm. 22. **Parásti in conspéctu meo mensam advérsus eos, qui tríbulant me. Allelúia.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.** Matth. 10.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ad præsides et ad reges ducémini propter me, in testimónium illis et géntibus. Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre, quómodo, aut quid loquámini : dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. Non enim vos estis, qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Credo.

Offertorium. Eccli. 15. **Cibábit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potábit illum : et firmábitur in illo, et non flectétur : et continébit illum, et non confundétur : et exaltábit illum apud próximos suos.**

Secreta.

Suscipe, Dómine, oblatiónem nostram : et beáti Raymúndi confessóris deprecatióne pietáti tuæ pérfice benígnus accéptam : et illam, quæ in eo flagrávit, fortis diléctio, in nobis aspíra benígnus. Per Dóminum.

Communio. Psalm. 77. **Mandávit Dóminus núbibus désuper, et jánuas cæli apéruit, et panem cæli dedit eis : panem Angelórum manducávit homo: cibária misit eis in abundántia.**

Postcommunio.

Pasce nos, Dómine, gáudiis sancti tui Raymúndi, quia nostræ salútis augménta sunt, quóties illi decus impénditur, in quo tu mirábilis prædicáris. Per Dóminum.

Infra Oct. S. Raymundi Nonnati, et in die Octava, Missa ut in festo.

DOM. I. SEPTEMBRIS.

In Diœcesi Dertusensi.

B. M. V. DE CINGULO PATRONÆ DERTUSENSIS.

Missa. **Salve, sancta Parens,** ut in votiva, a Pentecoste usque ad Adventum, excepta Oratione sequenti.

Oratio.

Omnipotens ætérne Deus, qui gloriósæ Vírginis Matris Maríæ corpus, et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte præparásti; da : ut cíngulo puritátis ejus præcíncti, cor nostrum esse habitáculum tuum perpétuo mereátur. Per eúmdem Dóminum.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

In Diœcesibus Vicensi et Urgellensi.

S. PETRI CLAVER, CONF.

Missa ut in Appendice pro aliquibus locis.

DIE XI. SEPTEMBRIS.

S. PULCHERIÆ IMPERATR. VIRG.

Introitus. ***Psalm.* 44.**



Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis : adducéntur Regi vírgines post eam : próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne. Psalm. ibid. **Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui beátam Pulchériam vírginem tuam singulári castitátis prærogatíva decorásti, quique illi ad defendéndam Ecclésiam tuam summum fídei amórem tribúere voluísti : concéde ; ut ejus intercessióne, tibi puris méntibus inhæréntes, ab ómnium hóstium insídiis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 7.

Fratres : De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit : tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : Tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint.

Graduale. Psalm. 44. **Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde et regna. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.**

Allelúia, allelúia. ℣. Fíliæ regum in honóre tuo : ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 17.

In illo témpore : Dixit Jesus : Hæc est autem vita ætérna : ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Ego te clarificávi super terram : opus consummávi, quod dedísti mihi ut fáciam : et nunc clarífica me tu, Pater, apud temetípsum, claritáte, quam hábui, priúsquam mundus esset, apud te. Manifestávi nomen tuum homínibus, quos dedísti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedísti ; et sermónem tuum servavérunt. Nunc cognovérunt, quia ómnia, quæ dedísti mihi, abs te sunt : quia verba, quæ dedísti mihi, dedi eis : et ipsi accepérunt, et cognovérunt vere, quia a te exívi, et credidérunt, quia tu me misísti.

Offertorium. Judith 15. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri : quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum, eo quod castitátem amáveris.

Secreta.

Accepta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum, quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio. Sap. 4. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte! Immortális est enim memória illíus, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines.

Postcommunio.

Satiasti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

B. CRESCENTII PUERI MART.

Missa. In virtúte de Comm. unius Mart. non Pont.

DIE XXIII. SEPTEMBRIS.

In provincia Tarraconensi.

S.THECLÆ VIRG.ET PROTOMART. PATRONÆ.

Missa ut in Propr. Hispan. eadem die.

DIE XXIV. SEPTEMBRIS.

In Diœcesi Barchinonensi.

DESCENSIONIS B. M. V. DE MERC.

Introitus.



Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ vírginis, de cujus Descensióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem ad liberándos Christi fidéles a potestáte paganórum nova Ecclésiam tuam prole amplificáre dignátus es : præsta, quæsumus ; ut quam pie venerámur tanti óperis Institutrícem, ejus páriter méritis et intercessióne a peccátis ómnibus et captivitáte dæmonis liberémur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. En diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hyems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra : tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra no-

stra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedéruntodórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ : osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale. Cant. 2. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. ℣. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo.

Allelúia, allelúia. ℣. Tu Regis alti jánua, et aula lucis fúlgida : vitam datam per Vírginem, gentes redémptæ, pláudite.

Sequentia.

Plaudat agmen captivórum,
Turba psallat christianórum,
Lætum sumat et decórum
In hac die cánticum.
Simul omnes exsultémus,
Atque grati celebrémus,
Lucem tantam, qua gaudémus,
Vincla fracta cérnere.
Fulget jam dies benígna,
Qua cælitum plausu digna,
Suæ celebránda signa
Caritátis éxhibet.
Ecce fidem, ecce vitam,
Astu, plagis impetítam,
Fere tot malis contrítam,
Firmat Virgo génitrix.
Ejulátus et laménta
Fidæ plebis et torménta
Videns illa, non fuit lenta
Déxteram porrígere.
Ut discrímina solvántur,
Quibus mersi contristántur,
Atque in pátriam reducántur
Fide rursus íntegri.
Dum Noláscus cogitáret,
Ut oppréssos liberáret,
Et assíduis vacáret
Meditatiónibus :
Clemens se fronte seréna,
Ut miséllos de caténa,
Ipse levet Saracéna,
Illi dat conspícere.
Sibi gratum nimis fore,
Nato quoque pronit ore,
Sacrum si pro sui honóre
Ipse condat Ordinem.
Cui præsértim sit curáre,
Ferro vinctos explicáre,
Sospitésque revocáre
A fera tyránnide.
Hoc insígne amóris rari
Opus jubet asservári;
Et ut possit propagári,
Palam docet álios.
Cœpit Petrus obsequéndo,
Cum sodálibus, vovéndo,
Si necésse sit, manéndo
In pignus, redímere.
Dulcis Institútrix nostra,
Matrem nobis te esse monstra,
Et captívos réfove.
Ignem auge, fac præcláram,
Atque Nato redde caram,
Quam fundásti sóbolem.
Da quod tibi grati simus :
Et ut tártara possímus
Evitáre, cum abímus,
Vultum tuum éxhibe. Amen.
Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 19.

In illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus Matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit Matri suæ : Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium. Judith 13. Benedícta tu a Deo tuo in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel, allelúia.

Secreta.

Tua, Dómine, múnera recoléntes, hóstias tibi laudis offérimus : supplíciter deprecántes; ut qui dignátus es per Unigéniti tui Matrem fidéles a barbarórum erípere servitúte, propítius nos quoque a dæmonis láqueis et captivitáte præstes immúnes. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio. Et te in Descensióne.

Communio. Cant. cap. 8. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam : si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam, allelúia.

Postcommunio.

Redemptionis nostræ, Dómine, sacraméntis percéptis, beatíssimæ Genitrícis tuæ intercessióne nos réfove ; ut cujus ope córporis víncula exúimus, ab ánimæ quoque néxibus, ipsa te obsecránte, solvámur. Qui vivis et regnas.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

In Diœcesi Gerundensi.

B. DALMATII MONERII CONF.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui húmilem fámulum tuum Dalmátium multis signis atque virtútibus decorásti, ac mirabíliter in tuo amóre, spretis temporálibus, inflammásti : tríbue nobis, quæsumus, ut ejus intercessióne a terrénis afféctibus expedíti et a cunctis adversitátibus, liberáti, sola cæléstia appetámus. Per Dóminum nostrum.

DIE IV. OCTOBRIS.

B. M. V. SUB TITULO MATRIS DIVINI PASTORIS.

Introitus.



Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis, Divíni Pastóris Matris, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 63. Protexísti me, Deus a convéntu malignántium, a multitúdine operántium iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui univérsum mundum ineffábili providéntia regis atque gubérnas : præsta nobis fámulis tuis ; ut, intercedénte beáta María semper vírgine, quæ vígili custódia nos pascit, ab hóstibus defénsi, et fructus tui dulcédine satiáti, ad cæléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris ; et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ, et veritátis : in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléminі. Spíritus enim meus super mel dulcis et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur, et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Cant. 1. Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere ; et abi post vestígia gregum. ℣. Pasce hædos tuos juxta tabernácula pastórum.

Allelúia, allelúia. ℣. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit. Allelúia.

Tempore Paschali. Allelúia, allelúia. ℣. Isai. 63. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit. Allelúia.

Evangelium. Stabant juxta crucem ut supra. 13. Et dicitur Credo.

Offertorium. Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

Secreta.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus ; ut précibus beátæ Maríæ semper vírginis fidéles tui hóstiam salutárem tibi fervéntius ófferant, et efféctum consequántur. Per Dñum.

Præfatio. Et te in festivitáte.

Communio. Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, et super iram inimicórum meórum ex-

téndes manum tuam, et salvum me fáciet déxtera tua.

Postcommunio.

Gratias tibi reférimus, Dómine, sacro múnere vegetáti, tuam misericórdiam deprecántes; ut ab illécebris carnis et mundánis oblectaméntis sub custódia semper vírginis Maríæ segregáti, cæléstia gáudia indesinénter appetámus. Per Dóminum.

DIE XXI. OCTOBRIS.

In Cathedrali et civitate Gerundensi.

SS. URSULÆ ET SOC. VIRG. ET M.

In Cathedrali Missa. **Loquébar,** de Comm. cum **Credo.**

In Civitate Missa. **Vultum tuum,** cum Orationibus et Evangelio de ipsa Missa. **Loquébar,** ut in Cathedrali.

DIE XXII. OCTOBRIS.

In Diœcesi Dertusensi.

SS. CORDULÆ ET CANDIDÆ VIRG. ET MARTYRUM.

Missa. **Loquébar,** de Comm. plur. Virg. et Mart.

Oratio.

Corda nostra, quæsumus, Dómine, fídei, et caritátis tuæ nexu astrínge: ut qui beatárum vírginum et mártyrum tuárum Córdulæ et Cándidæ continuáta festivitáte lætámur, intercessiónis eárum auxílio, et virtútis mérito, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

In Diœcesi Barchinonensi.

TRANSLAT. I. S. EULALIÆ VIRG. ET MARTYRIS.

Missa. **Loquébar,** de Comm. Virg. et Mart. mutato nomine **natalítia** ex Oratione in **translatiónem.**

Dicitur **Credo** in Cathedrali tantum.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. BERNARDI CALVO EPISC. ET CONFESSORIS.

Missa ut in Propr. Hisp. eadem die.

DIE XXVI. OCTOBRIS.

In Diœcesi Vicensi.

SS. LUCIANI ET MARCIANI MART. PATRONORUM.

Missa. **Intret,** de Communi plur. Mart.

Oratio.

Deus, qui beátos mártyres tuos Luciánum et Marciánum, per ignem probátos, et sine labe invéntos, in ætérna tabernácula transtulísti; da, ut nos quoque tuæ caritátis igne a vítiis expiáti, ipsórum patrocínio ad cæléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.** Luc. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto Pharisæórum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum est, quod non revelétur, neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur; et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis: timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis, hunc timéte. Nonne quinque pásseres væneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei. Credo.

Offertorium. **Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus. Allelúia.**

Secreta.

Oblatis, quæsumus, Dómine, placáre munéribus, et intercedéntibus sanctis martyribus tuis Luciáno

et Marciáno a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Communio. Sap. 3. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos : tamquam aurum in fornáce probávit eos,et quasi holocaústa accépit eos.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et intercedéntibus sanctis martyribus tuis Luciáno et Marciáno cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

DIE XXIX. OCTOBRIS.

In Diœcesi Gerundensi.

S. NARCISSI EPISC. ET MART.

PATRONI.

Missa. Noli timére, ut in Propr. Hispan. eadem die.

DIE III. NOVEMBRIS.

In Diœcesi Urgellensi.

S. HERMENGAUDII EPISC. ET CONF.

PATRONI.

Missa. Státuit, de Communi Confessoris Pontificis j. loco. præter sequentia.

Oratio.

Deus,qui beátum Hermengáudium confessórem tuum atque pontíficem, próximi caritáte flagrántem, ad præmia ætérna evocáre dignátus es : da, quæsumus, ita nos ejus exémplo proficere, ut consórtio quoque pérfrui mereámur in cælis. Per Dóminum.

Epistola. Ecce Conféssor magnus, ut in festo S. Thuribii, de Mogrovejo, die xxvij. Aprilis in Propr. Hispan.

Et dicitur Credo. per totam Octavam.

DIE VI. NOVEMBRIS.

In Diœcesi Barchinonensi.

S. SEVERI EPISC. ET MART. PATR.

Missa. Sacerdótes Dei, de Comm. unius Mart. Pont. j. loco, cum Credo.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die beáti Sevéri Pontíficis et Mártyris tui vérticem effusióne sui sánguinis consecrásti : da nobis, ejus suffragántibus méritis, ut tranquíllam in terris utriúsque hóminis pacem, et glóriam in cælis, quam póssidet, consequámur. Per Dóminum.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, beáti Sevéri Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis, benígnus assúme ; et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster ; ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Sevéro Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus effféctum. Per Dóminum.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

In Diœcesi Dertusensi.

S. RUFFI I. EPISC. CONF. AC DIŒC.

PATRONI.

Missa. Sacerdótes tui,de Communi Conf. et Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Ruffum Pontíficem, sanctórum tuórum méritis coæquásti : concéde propítius, ut qui commemoratiónis ejus festa percólimus , vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Credo, et per Octavam.

Imprimi possunt.

Mechliniæ, die 31 Augusti 1888.

† PETRUS LAMBERTUS, Archiepiscopus Mechliniensis.

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXXXVIII.

---

(1) Ce Propre comprend aussi les Messes des diocèses de :
Badajoz (Pacen.)
Cadix (Gaditan.)
Ceuta (Septenen.)
Cordoue (Corduben.)
Teneriffe (Teneriffen.)

